




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
2 B
20



CURSUS
PHILOSOPHICUS
Ad usum Studentium totius Ordinis Minorum.

TOMUS PRIMUS

Complectens universam Dialecticam, nempe tam Sumulas, quàm Logicam magnam, juxta mentem subtilis Doct. Scoti;



AUCTORIBUS

FR. PETRO A S. CATHARINA

ET

FR. THOMA A S. JOSEPH



Ejusdem Ordinis Strictioris Observantiæ, Provinciæ S. Joseph Discalceatorum in Hispania, Sacræ Theologiæ Lectoribus.



VENETIIS, MDCCXIV.

Apud Paulum Balleonium 150

Superiorum permissu, ac Privilegiis.

SANCTISSIMO

PATRIARCHÆ JOSEPH

Almæ Dei Patris Filiæ, Dei Filii Matris, ac Spiritus Sancti Sponsæ felicissimo, dignissimoque Sponso.



On diu, nec ancipiti consilii lance, fuit nobis deliberandum, Sanctissime Patriarcha, cuius tutelæ, vel gratiæ munusculum hoc esset offerendum; si enim quærimus tutelam, quomodo in te non inveniemus, in quo qui tutor est omnium tutamen reperiit? Sic testatur Rupertus, *a* qui perquirens, quomodo Deus, & Dominus sit tibi innixus? Statim respondet: *Utique tanquam tutori pupillus.* Si autem gratiam adipisci conamur, in quo aptius, quàm in te, cui ipsius gratiæ Mater totum cordis sui thesaurum (iuxta nostrum Bernardinum *b*) liberalissimè exhibuit? Tibi ergo sit dicatum, sit sacrum exile hoc opus, & plenissimo iure tuo, & voto, ac debito nostro, ut illius frontem lauro semper vernante cingamus, & tempora immarcescibili anedemate ornemus.

Huius voluminis materia te, tanquam Patronum, quærit; est namque illa Philo-

a *Ruper. de Glor. Fil. hom. lib. 1. in Matth.*
b *S. Bernardin. serm. de S. Joseph.*

losophia rationalis, quam *Logicam* communiter vocant; si ergo, *quod græcè Logos dicitur* (ut inquit Augustinus *a*) *Latinè, & rationem & verbum significat*; quid mirum, quòd hoc verbum, hæc ratio te, ut Patronum, quærat, quum ipsum Verbum Patris, ipsa Dei ratio, ut Patris ipsius nuncupatione gauderes, tam sedulò, tam avide (si sic fari liceat) te quæsivit? *Inventus est itaque Ioseph* (declamat Metaphrastes *b*) *qualem quærebat ratio*.

Nec minus doctrina, cui in hoc opere adamussim adhæremus, te veluti Mecænatem, implorat; hæc etenim est juxta mentem Mariani Doctoris, subtilitatis Magistri, Antesignanique nostri Joannis Duns Scoti, qui tui extitit, dum vixit (quantum fas est) fidelissimus imitator: si enim te Divina destinavit providentia, tam ut ineffabilis Incarnationis Mysterii esses assertor, quàm ut tuæ Sacratissimæ Sponsæ Mariæ defensor esses, ac propugnator: Sic de te loquitur Ambrosius: *c Non putavit uberiùs prosequendum virginitatis Mariæ testimonium, ne defensor magis Virginis, quàm assertor Mysterii crederetur*; illum etiam misit Deus (uti ostendit eventus) ut de primo lumine ejusdem Deiparæ absque originalis culpæ umbra splendescenti

a *D. Aug lib.* 83. *qq. quæst.* 63.
b *Metaph. orat. de educat. Mariæ.*
c *D. Ambros. in cap.* 1. *Lucæ.*

ti perhiberet testimonium, & illius defensor, tantique Mysterii, ut hoc omnes crederemus per illum, esset assertor. Et si ex singulari tua justitia, tot ab infallibili veritate proclamata præconiis, quodammodo quasi infert Origenes, [a] tuæ Sanctissimæ Sponsæ illibatum, ac immaculatum candorem; sic enim fatur: *Iustus erat Ioseph, & illa Virgo immaculata erat*: cui etiam non licebit, ex singulari Scoti erga Mariam devotione, miraque eius ingenii subtilitate, Sacratissimæ ipsius Christiparæ victrices immaculatę Conceptionis lauros inferre? Sanè nulli, si eum per celebres Scoti, quos vel fama ipsa in æthera tollit, erga tantum Mysterium triumphi non lateant. Si igitur quidquid Scoti est, Mariæ est: eo enim tendit mira illius sapientia, ut istam immunem decantaret ab originali culpa; etiam quidquid est Scoti, & tuum esse peculiari jure, Sanctissime Patriarcha, fateri tenemur, siquidem totum cordis sui thesaurum tibi Mariæ exhibuit.

Suscipe ergo, Gloriosissime nostræ hujus Provinciæ Patrone, hunc qualemcumque illius fructum, ut a te ejus alumni repetere possimus, & a te illum uberius, & utilius depromere valeamus; si enim justus es (*Ioseph autem..... Cum esset justus*) mysticè, & Palmam, necesse est, esse: (*justus ut Palma florebit*) sit igitur in te huius tuæ Provinciæ fructus, ut gaudens hæc dicere

 queat:

a *Orig. hom.* 1. *in cap.* 1. *Matth.*

queat: a *Ascendam in Palmam, & apprehendam fructus eius*: hoc enim jus ei tribuit nomen, & res tuæ cœlestis tutelæ, qua gaudet: unde felix proclamat. b *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo*. Ergo accipe hos rationalis Philosophiæ Scoticæ fructus, si tuos quidem, nonne & nostros? Et nos sub umbra tam nobilis Palmæ sedentes, in illam ascendamus, ut illius fructus apprehendere possimus. Fructus utique tuæ pietatis, ut suscipias, tuæ celsitudinis, ut foveas, & tuæ dignitatis, ut faveas.

Fr. Petrus a Sacta Catharina.
Fr. Thomas a Sancto Joseph.

Cen-

a *Cant.c.7. num.* 8. b *Cant.c.3.num.3.*

Censura RR. Admodum PP. Fr. Petri de Sacedon, Sacræ Theologiæ Lectoris, Concionatoris Regii, olimque huius S. Ioseph almæ Provinciæ Provincialis Ministri. Et Fr. Francisci à Sancta Clara, Theologiæ Lectoris, Catholico Regi Nostro a concionibus, Sanctæ Inquisitionis Consilii Qualificatoris, prædictæque Provinciæ Custodis.

I. M. I.

MAndato, & iussu nostri Charissimi Fr. Joannis de Sancto Dominico, Lectoris Thelogiæ, & huius Provinciæ Sancti Joseph Discalceator strictioris observantiæ dignissimi Provincialis Ministri, adstricti libenter legimus, & libentissimè perlegimus Cursum Philosophicum accuratè elaboratum, subtiliter eviſceratum, & utiliter aditum à nostris Charissimis Fratribus Fr. Petro à Sancta Catharina, aliàs de Atiença, & Fr. Thoma à S. Joseph, aliàs de Madrid, Sacræ Theologiæ Lectoribus, doctrinæ subtilis Doctoris validis propugnatoribus; & circa prædictum tractatum possumus dicere cum Plinio; *In quibus ceonsoriæ virgulæ nihil: laudis multa reperimus;* laudis, inquam, quia ad juventutem erudiendam, ita ut cum D. Bernardo, in quodam sermone, dicere valeamus; *Non minus pium est docere animum scientiam, quàm præbere escam corpori;* ad hoc autem dicti Patres multos Authores, Doctores, & Scoticæ Doctrinæ Sriptores & viderunt, & non cum parvo labore selectiores opiniones elegerunt, ut flores viridarii Scotici caperent, ita ut possimus clamare cum Seneca Ep. 87. *Apes debemus imitari, quæ ut vagantur, & flores ad mel faciendum idoneos carpunt.* Viribus & posse, & scripto consulere brevi loquentiæ conantur; nec tamen breviloquus tractatus est, ut confusio-

nem pariat, memores tritæ sententiæ: *Sapè enim dispendium est compendiosum esse*, & sic media incedunt via: nihil invenimus, aut contra Catholicam Fidem, aut dissonum contra bonos mores; sed potiùs omnia eruditione plena, solida, clara, & docta; nihilque invenimus, quod non solidè probetur; non obiectorum nodo facilè dissolvat; atque doctrinæ nostri subtilis Magistri subtilitatem planam non reddat. Opus suavissimè redolens acutiem Scoticam, attingens ommnem litteraturam sapientiæ, & eruditionis, & non devians à Sanctis Legibus, neque à moribus sanis, & propter hoc iudicamus dignum, quòd detur prælo in utilitatem Provinciæ tyronum, necnon & aliorum.

Nunc, ò iuventus Religionis Seraphicæ, ad vos alloquimur nobella germina horti Minorum strictioris observantiæ fertilis, ut omninò litteris vacetis cum Ovidio:

Ferreus assiduo consumitur annulus usu,
Interit assidua Vomer aduncus humo.
Quid magis durum est saxo? Quid molliùs uda?
Dura tamen molli saxa cavantur aqua.

Quibus adiungimus aliud Virgilii, Poetarum Principis.

Absque labore nemo Musarum scandit ad arcem.

Sic sentimus, salvo meliori judicio, in hoc Conventu Sancti Ægidii Regalis Matritensis. Die 10. Februarii. Anno Domini 1692.

Fr. Petrus de Sacedon.

Fr. Franciscus à Sancta Clara.

LICENTIA ORDINIS.

FR. Joannes à Sancto Dominico, Sacræ Theologiæ Lector, huiusque almæ Provinciæ Sancti Joseph Discalceatorum Seraphici Patris Nostri Francisci Minister Provincialis & servus, tenore præsentium, quantum ad Nos attinet, facultatem concedimus ut Liber inscriptus: *Tomus primus Cursus Philosophici Minoritarum Discalceatorum*, universam Aristotelis Logicam amplectens, per Fratres Nostros Fr. Petrum à Sancta Catharina, ac Fr. Thomam à Sancto Joseph, eiusdem Provinciæ alumnos, & Sacræ Theologiæ Lectores, iuxta nostri subtilissimi Doctoris Scoti mentem apprimè elaboratus, in lucem edi, & typis mandari possit, cum præfatum opus à viris doctis ipsius nostræ Provinciæ, quibus examinandum commisimus, jam fuerit approbatum, & studentium utilitati maximè profuturum esse speremus. Datis in hoc Nostro Regali Sancti Ægidii Matritensi Conventu, die 20. Februarii. Anno Domini 1692.

Fr. Joannes à Sancto Dominico, Minister Provincialis.

De mandato Charissimi Fr. Nostri Provincialis

Fr. Ildephonsus de Palomera.

Censura A.R. ac Doctissimi P. M. Fr. Mathiæ Navarro, & Aguilar, semper venerabilis Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, Redemptionis Captivorum, Dignissimi Filii, Sacræ Theologiæ Lectoris, simulque emeritissimi Ministri, in suo litteratissimo Vniversitatis Complutensis Collegio eiusdem instituti.

AVE MARIA.

M. P. S.

JUssu V. A. miratus fui, ne dicam vidi, egregium hoc opus plus dignum admiratione, quam laude. Titulus huius est: *Cursus Philosophicus Minoritarum PP. Discalceatorum*. Et benè quidem *Cursus* si liceat currere, quos videmus volare. Solùm Gigantibus attribuit Davidica vox tam celerem cursum: *Exultavit ut Gigas ad currendam viam*. Sed, ò bone Deus! unde *Minores* volantes, & Gigantes dumtaxat currentes? Fortasse non ineptè: *Qui abscondisti hæc à Sapientibus, & Prudentibus, & revelasti ea Parvulis*. Non jam dicam Cursum, sed volatum, nisi moderamine instructus humilitatis Authorum volatum appellem Cursum.

Authores ergo non minus opus commendant SS. ac RR. PP. MM. Frater petrus à Sancta Catharina, & Frater Thomas à Sancto Josepho illud elucidarunt, sed gloriam in titulo Religioni tribuerunt. O boni Filii Minores Minorum, sed inter Majores Maximi Matri cedentes gloriam, & vobis ipsis accipientes laborem! Cursus Filiorum est Matris Cursus? Duorum onus erit cunctæ Provinciæ decus? Sanè dicetis, quia *Gloria Matris est Filius Sapiens*. O Seraphica humilitas! Quid jam hos miror Sapientiæ rivos? Quid jam hos differtissimos ingenii vestri fructus? Nam ut ajebat

Hie-

Hieronymus : *Qui thesauros sapientiæ invenire desiderat , in se foveam humilitatis faciat.*

Sed invalida fuga coronæ dum merita coronant ipsa . Quid à gloria fugitis , si persequitur fugientes Gloria ? Hic bellè carmina modulata Gersonii.

Prædicat , atque studet scriptor , largitur , & orat ,
Affligitur , sal dat , fontem , lucemque futuris ,
Ecclesiam ditat , armat , custodit , honorat .

Hæc omnia merita Scriptorum , & hæc sanè gloria vestra.

Perlegi inquam una obediens pluries placens, & semper proficiscens . Profunditas rationum suadet, subtilitas in suadendo elevat: acrimonia in oppugnando rapit , claritas in respondendo satisfacit . Nullibi vanitas, & in omnibus utilitas , ut videantur Chrysologo consuluisse dicenti : *Sive Sapientia , sive principatus, sive divitiæ ad communem utilitatem , non ad nocumentum conservorum uti oportet.*

Inveni namque veteres sententias novas, novas adeò securas , ut veteres, & utrasque clarissima luce, & non stylo ferreo pertractatas . Audi Plinium : *Res ardua vetustis novitatem dare , novis authoritatem , obsoletis nitorem , obscuris lucem* . Hos benè dicam Sapientiæ proventus , non à vana tumescentes gloria , sed à vera exuberantes virtute . Canebat quidam.

Quis mihi sit dignus Sapientis nomine quæris?
Accipe ; cui virtus iam sapit , ille sapit.

Immorarer laudibus , quin unquam laudes deficerent , si Authorum egrè non ferret moderamen . Non eorum sunt, quorum aures futilibus gloriolis , inanibusque præconiorum fumibus titillantur . Quare muneri iam incum-

bens commisso, non censor operis, sed ab opere edoctus, nihil in eo vidi, quod orthodoxam fidem nostram offendat, aut bonis moribus contradicat. Unum quidem rigidè fortasse censorem, quod tale nempe opus plus antea in lucem non ediderint. Idcircò typis dignissimum est, quod omnibus profuturum sit, & ut Authorum eruditionem, ubertatem, atque doctrinam perhibeat. Sic existimo. Salvo, &c. Datum Compluti, in Collegio Sanctissimæ Trinitatis, Redemptionis Captivorum. Mense Martii, die 14. Anno Domini 1692.

Fr. Mathias Navarro & Aguilar Minister.

NOI RIFORMATORI
dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la fede di revisione, & approbatione del P. F. Antonio Leoni Inquisitore nel Libro intitolato *Cursus Philosophicus P. F. Petri à S. Catharina, & P. F. Thomæ à Sancto Joseph*, non vi esser cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario nostro, niente contro Prencipi, e buoni costumi, concedemo licenza, che possi esser stampato, osservando gli ordini in materia di stampe, e presentando le solite copie alle publiche Librarie di Venetia, e di Padova. Data dal Magistrato de' Riformatori dello Studio di Padova 12. Febraro 1695.

(Ferigo Marcello Proc. Riform.
(
(Ascanio Giustinian 2. Cav. Riform.

Agostino Gadaldini Segretario.

PROLOGUS.

MIraberis forsan, studiose Lector, quod coram, ac post tot Philosophiæ Cursus, quot (superno favente Numine, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum) Sapientissimi viri, præclara scientiarum lumina, adeò feliciter in lucem edidere, hunc nos (qui nostri ingenioli tenuitatem, nec ignoramus, nec palam fateri erubescimus) nedum elaborare, verùm, & prælo dare audeamus. Mirari tamen sanè desines, si rationem, qua ducti hoc elaborandum suscepimus opus, auscultare non dedignaris: non enim nos latet, studiosorum sapientiam, nunquam (veluti decantatum in sacris litteris illud Sapientissimi Salomonis ferculum) charitate non exornatam, magis consilium inspicientem, quam opus considerantem (uti fecit Christus, cùm pauperculam viduam mittentem in Gazophylacium æra minuta duo vidit) facilè cæterorum tenuitati ignoscere. Est ergo ratio, pro hoc qualicumque opere, voluntas, non aliquos edocere intendens, sed superiorum præcepto obtemperare desiderans; non ut alii præter nostros instruantur, sed ut nostræ Provinciæ studentes alumni aliqualiter educentur. Quorum, uti filiorum, in studiis profectum veluti vera Mater, nostra hæc Provincia in dies jugiter optans, ut animarum saluti incessanter incumbere queant(hoc enim semper fuit Seraphici Parentis nostri ex præcordiis votum, qui Divini Spiritus zelo agitatus, non ut sibi soli viveret, sed aliis proficeret fuit divinitius instructus) hunc Philosophicum Cursum elaborari & in lucem edi decrevit: quo præ manibus habito, in aliis manuscribendis haud insumatur tempus: maximè cum hujus majorem partem

jugi

jugi divinarum laudum, assiduæque religiosarum functionum assistentiæ (prout monasticum decet institutum) libari necesse sit, ita enim nos (juxta nostræ Regulæ præscriptum) vacare studio jubetur, ut sanctæ orationis, ac devotionis spiritus in nobis non extinguatur Ad quod, nedum, ut Minoritæ, talis Parentis filii, obligatur, sed ut Scotistæ, tanti Magistri Discipuli tenemur. Cui hæc inter alia fama carmina dicat.

Nam sibi subtilis nomen subtilia donant,
Quem vestris vilis, per nudus, chorda coronant.

Malè certò scocizat(ex illis quasi infert quidam subtilis alumnus) qui studens assiduò super Scoti subtilitates, de ejus paupertate, oratione, & aliis dotibus, & virtutibus studium nullum.

Hunc esse nostri laboris scopum(utinam vota nostra metam attingant !) facilè quisque ex ipsa materierum serie, methodoque in ipsis servata agnoscere potest. Tripartitum ideò universum hoc tibi offerimus opus, ut ei brevi trium annorum curriculo (ut moris in nostris scholis est juxta nostrarum constitutionum præscriptum) dare operam valeas. Tomus prior, iam Logicam parvam (Sumulas vulgò vocant) quam magnam amplexatur. Secundus lib. 8. Physic. & brevem de Cœlo, & Mundo Tractatum: Ac posterior denique duos de Ortu, & Interitu Libros, & tres de Anima continet, quibus coronidem Metaphysica imponit.

In omnibus his, ut veritas nudè appareat, fucatas loquendi phrases, abstrusasque sermocinandi voces (inania quidem verba) pro viribus vitamus, inest enim illis (ut Ciceronis utamur verbis) quidam sine fuco, ullo veritatis colore. Sententias communiores, utpotè clariori, solidiorique nitentes fundamento, faciliores, necnon discurrendi modos amplectimur; veritas namque non latebras, sed patula quærit; lucem, non tenebras amat; maximè cùm animus noster

in

in hoc qualicumque labore alius non sit, quam nostros adiuvare Religiosos in subtilis Doctoris Scoti subtili enucleanda Doctrina, vel pro tenuitate nostra in refellendis ipsius adversariorum (modestia, quæ Scotistam talis Magistri disciplina instructum jure peculiari decet) impugnationibus, aut responsis.

Aliquibus in extricandis difficultatibus quandoque, licet non plus æquo, immoramur: etenim non sunt longa (canebat quidam) quibus nihil est, quod demere possis. Et D. August. mentionem faciens, de quodnam eius amico, Nebridius nomine Epist. 23. inquit: *Valdè oderat de quæstione magna responsionem brevem*; & post pauca subdit; *indignum deputans, qui talia quæreret, cum de re tanta, quam multa dici possent, deberentque, nesciret*. Aliarum in examine aliquando, fortassis minùs æquo, detinemur; vel quia ad Philosophum haud directè spectant: cujusmodi sunt quædam circa mensuram, grossitiem, & distantiam Cœlorum, numerumque Astrorum; vel quia plus curiositati, quam Philosophiæ, seu amori scientiæ utilitati conducunt; cuiusmodi sunt al: quæ circa meteorologicas impressiones; quas omnes propterea non absque consilio, omittimus exagitare. Sic expedire autumamus, *& libri ita exierunt, nisi fortè* (ut declamat Cicero) *nos fallit communis philautia*.

Non nos latet, quempiam facilè videre posse, non ex proprio marte pluries, sed ex veterum Scotistarum, Neotericorumque subtilium doctrina, hoc nos condidisse opus, quod vel hac ratione, quod nostrum non sit, nedum excusatum, verum & ducimus commendatum. Non hoc inficiamur, palam imò ingenuè fatemur. Haud tamen ob hoc nostra audax, etiam sanè obediens, à navando operam ei, fiducia cessit: nil ergo mirum, necesse potius, plura in illo invenienda, quæ tam in Antiquorum, quam in

Recentiorum scriptis reperientur. Quid? Nonne necessariò id accidit ex eodem fonte haurientibus? Eundum ne nobis erat extra communes Solis, & Mundi vias, ut alias fontes, rivosve quæreremus? Apage.

Hæc in hac præfatione, lector ingeniose, subtexere, & præmittere libuit, non nostra defendere philiatica mente curantes, sed à te corrigi, & emendari ingenuè intendentes. Quod enim veritate, fide, ac ratione probandum dixeris, hoc dumtaxat, & nos scripsisse fatemur: quod autem improbandum sincera duxeris mente, hoc & nos libenter, quasi à vero dissonum, expressè retractamus. Vale.



PRÆLUDIUM QUODDAM.

1 DUplici Vocabulo communiter hęc facultas appellari solet scilicet, *Logica*, & *Dialectica*: Logica dicitur à verbo græco, *logos*, quod latinè idem sonat, ac sermo internus, seu ratiocinatio, & sic idem est Logica, ac facultas ratiocinandi: Dialectica verò dicitur à verbo græco *Dialegoma*, quod Latinè idem sonat ac disputatio, & sic idem est *Dialectica*, ac facultas disputandi, seu disserendi; unde eadem scientia, ars, seu facultas duplici hoc nomine explicatur, quod in re idem videtur esse, & ex utroque colligitur, quod finis, & scopus Logicæ est dirigere operationes intellectus in ordine ad benè disputandum:

2 Communiter dividitur ab Authoribus hæc facultas in duos tractatus, quorum primus dicitur Dialectica, seu Logica parva, & nunc, juxta communem usum, etiam dicitur Sumulæ: Secundus vero dicitur Logica magna; raatio huius est, quia primus brevi, & facili ordine tradit regulas benè disputandi; secundus verò longo, & amplius difficili sermone magnas difficultates attingit.

3 Dividitur etiam primus tractatus in tres Libros, ad dirigendas recto ordine tres operationes intellectus; quarum prima dicitur simplex apprehensio, & est simplex cognitio rerum, nulla facta compositione unius cum alia, sive res sint incomplexæ, ut cognitio Petri, lapidis, &c. sive complexæ, ut coguitio Petri albi, lapidis viridis, &c. Secunda dicitur judicium, & est cognitio rerum

facta comparatione inter illas, unam de alia affirmando, vel negando, ut quandò cognoscimus hominem, & albedinem, hanc compositionem, faciendo: *Homo est albus*. Tertia dicitur discursus, & est cognitio ex aliis antecedentibus cognitionibus deducta, ut quando ex his cognitionibus: *Omnis homo est animal: Petrus est homo*, hæc infertur: *Ergo Petrus est animal*, & dicitur discursus, quia est quasi cursus ab uno actu intellectus in alium. In primo Libro agitur de pertinentibus ad primam intellectus operationem: in secundo de pertinentibus ad secundam; & in tertio de pertinentibus ad tertiam.

4 Quia tamen in ipsa traditione regularum in ordine ad differendum se offerunt aliquæ difficultates, quæ jam communiter ad disputationem reducuntur, & quæ tyronibus solent maximam confusionem afferre, propter ignorantiam adhuc terminorum, quibus exagitari solent, itaut quasi territi, & desperati insecutionem studiorum perhorrescant, & ab eis discedere cogantur, huic incommodo occurrere intendentes, quasi necessarium duximus hunc Sumularum tractatum in duas partes disecare, in quarum prima tantum Dialecticas regulas, cum explicatione vocum, & terminorum, quibus communiter in disputationibus utitur, sine admistione difficultatum proponemus; in secunda verò per aliquas disputationes, quæstiones, quæ ad majorem intelligentiam ipsarum regularum conducunt, examinabimus, & pro nostro captu resolvemus.

PARS

PARS PRIMA
LOGICÆ PARVÆ,
seu Sumularum.

1 ANtequam peculiariter ad tradendas Dialecticas regulas in hac prima parte Sumularum accedamus, quia omnis facultas, & præcipuè Logica, est quasi catenula ex omnibus, quæ in illa tractabãtur ordinata, ita ut unum ab alio aliquo modo dependeat in sua clara notitia, & cognitione, ut aliqua facilitate ad intelligentiam illorum ingredi possit, aliqua generaliter debent præsupponi.

2 Igitur scire oportet, quod argumentatio, in qua unum ex alio deducicitur in ordine ad veritates in qualibet materia inquirendas, communiter syllogismus, vel enthymema. Syllogismus constat tribus propositionibus, ut patet in hoc; *Omnis homo est animal: Petrus est homo; Ergo Petrus est animal*, quarum prima dicitur propositio major; secunda propositio minor, tertia propositio consequens, seu consequentia; illa particula *ergo* dicitur illatio, seu nota illationis, seu consecutionis; etiam duæ propositiones, scilicet, major, & minor, dicuntur præmissæ, quia præmittuntur ad consequentiam, & ex illis ipsa consequentia deducitur.

3 Enthymema tantum duabus propositionibus constat, ut patet in hoc; *Omnis homo est rationalis; Ergo Petrus est rationalis*, quarum prima dicitur antecedens, secunda verò dicitur consequens; Advertendum tamen est, quod in Enthymemate semper subintelligitur altera propositio, quia est argumentatio imperfecta, & reduci debet ad perfectam, scilicet, ad syllogismum, etiam in prædicto Enthymemate subintelligitur

tur hæc propositio; *Petrus est homo* qua illi superaddita, formatur hic syllogismus; *Omnis homo est rationalis*; *Petrus est homo*; *Ergo Petrus est rationalis*.

4 Propositio est, in qua unum de alio dicitur ut patet in ista; *Petrus est homo*, in qua de Petro dicitur, seu prædicatur, quod est homo. Ex quo cognoscitur, quod propositio necessariò debet habere tres voces, quarum una dicitur subjectum altera unio, seu copula, & altera prædicatum. Subiectum est illud, de quo aliquid dicitur, seu prædicatur, ut est ly *Petrus* in prædicta propositione; quia de illo dicitur, & prædicatur ly *homo*. Prædicatum est illud, quod dicitur, seu prædicatur de alio, ut est ly *homo*, quia dicitur, & prædicatur de ly *Petrus*. Unio, seu copula est, quæ unit subiectum cum prædicato, ut ly *est*, quia unit illa extrema *Petrus*, & *homo*.

5 Vbi advertendum est, quod tres prædictæ voces non semper explicitè in propositione collocantur, sed aliquando aliqua illarum implicitè continetur, ut patet in hac; *Petrus currit*; quæ explicitè duabus tantum vocibus constat, implicitè verò tribus, nam facit hunc sensum; *Petrus est currens*. Similiter advertendum est, quod aliquando propositio plusquam tribus vocibus constat, ut patet in hac; *Christus Dominus Filius Dei, & immaculatæ Virginis Mariæ est noster Redemptor*; sed in illa, & aliis similibus omnes voces ad tres supradictas reducuntur; nam, quæ ponuntur ante copulam unum tantum integrum subiectum constituunt; quæ verò post copulam, unum tantum integrum prædicatum; Ex quo manet firmum, quod solum subiectum, prædicatum, & unio, seu copula ad integritatem propositionis concurrunt.

6 Adhuc subiectum, & prædicatum sumi potest vel in actu, vel in potentia. Subiectum, & prædicatum in actu, quod etiam dicitur formale,

male, est illud, quod actualiter propositionem constituit, ut *Petrus*, *& homo*, in hac: *Petrus est homo*. Subiectum, & prædicatum in potentia, quod etiam dicitur fundamentale, est illud, quod actualiter propositionem non constituit; potest tamen illam constituere, ut sunt prædictæ voces: *Petrus*, *& homo* seorsim sumptæ, sive extra propositionem.

7 Etiam potest sumi subiectum, & prædicatum ut *quo*, & ut *quod*; ut *quod* est id, quod significatur per voces, quæ propositionem constituunt; ut *quo*, sunt ipsæ voces, quibus aliqnid significatur; ut patet in hac propositione: *Petrus est homo*, in qua ipse Petrus in re, & ipse homo, prout significantur per illas voces: *Petrus*, *& homo*, sunt subiectum, & prædicatum ut *quod*, ipsæ autem voces, prout significant Petrum, & hominem, sunt subiectum, & prædicatum ut *quo*, & sic vocantur, quia sunt quasi instrumenta, quibus utimur ad prædicandum unum de alio.

8 Advertere autem oportet ad auferendam æquivocationem, quòd aliquando voces non ponuntur in propositione pro rebus significatis per ipsas, sed pro se ipsis, & tunc ipsæ voces sunt simul subiectum, aut prædicatum ut *quod*, & ut *quo*; in ista enim propositione: *Petrus est nomen*, ly *Petrus* est subiectum ut *quo*, illo enim utimur in propositione, est etiam subiectum ut *quod*, quia ponitur pro se, & non pro re significata, non enim dicimus de vero Petro, quòd sit nomen, benè tamen de illa voce *Petrus*.

LIBER PRIMVS

Sumularum.

PRæmissis generalibus notitiis supra positis, accedimus in speciali ad agendũ in hoc primo libro de pertinentibus ad simplicem apprehen-



hensionem, primam operationem intellectus, quæ per sequentia capita, brevitate, & claritate possibili proponemus. Sit ergo.

PRIMUM CAPITULUM.

In quo agitur de termino, & eius divisionibus.

1 TErminus, juxta nominis Etymologiam, idem videtur sonare, ac extremum, & sic sumitur terminus in quadam latissima acceptione pro limite, seu extremo cuiuscumque rei, & solet his verbis describi: *Terminus est extra, quod nihil est rei, & intra, quod res tota continetur*, ut exemplificari potest in aula, cujus parietes dicuntur extrema illius, quia intra illos tota aula, & extra illos nihil aulæ continetur; in hac acceptione non loquimur de termino in præsenti; quia est quasi generica, & conveniens omnibus terminis, sed loquimur de termino in speciali, prout ad præsens institutum spectat, & ad instrumenta logicalia deservit.

2 Terminus in hac Logica acceptione sic definitur communiter ad Scotistis, & à pluribus aliis: *Terminus est extremum propositionis*, quæ definitio patet à simili de termino in prima acceptione sumpto; nam si terminus in communi est ultimum, seu extremum alicuius rei, etiam terminus in speciali erit extremum, seu ultimum illius rei; unde terminus propositionis logicalis erit extremum illius.

3 Plures sunt divisiones termini logicalis. Primò dividitur terminus in subiectum, & prædicatum, quorum natura jam supra manet explicata. Deducitur hæc divisio ex Aristotele 1. Priorum cap. 1. dicente: *Terminum voco, in quem resolvitur propositio, ut prædicatum, & id, de quo id, vel apposito, vel separato, esse, vel non esse, prædicatur.*

4 Se-

4 Secundò dividitur terminus in communi, in mentalem, vocalem, & scriptum. Mentalis est extremum propositionis mentalis; vocalis extremum propositionis vocalis; & scriptus extremum propositionis scriptæ: quæ divisio sumitur ex triplici genere propositionis, hæc enim propositio: *Petrus est homo*, si tantum mente fiat, dicitur mentalis; si verò voce proferatur, dicitur vocalis; si autem scripto, dicitur scripta.

5 Terminus mentalis subdividitur primò in ultimatum, & non ultimatum. Non ultimatus est cognitio, seu conceptus, quo vox significativa cognoscitur, quin cognoscatur eius significatum; ut cognitio, qua cognoscitur hæc vox *homo*, quin cognoscatur homo significatus per illam, & dicitur non ultimatus, eò quòd intellectus in eius cognitione non quiescit, imò rem significatam per illam adhuc cognoscere appetit: Ultimatus est cognitio rei significatæ per vocem, ut cognitio, qua homo significatus per prædictam vocem *homo* cognoscitur; & dicitur ultimatus, eò quòd quiescit intellectus in tali cognitione, nihil deinceps desiderando. Vbi advertendum est, quòd quando cognoscitur vox non significativa, ut hæc vox *Blitiri*, cognitio illius est terminus ultimatus, quia in tali voce, post cognitionem illius, nihil remanet, quod intellectus cognoscere possit appetere.

6 Subdividitur secundò terminus mentalis, tam ultimatus, quàm non ultimatus in formalem, & obiectivum. Formalis est ipsa cognitio, & dicitur formalis, quia est forma, qua cognoscentes denominamur; obiectivus est ipsa res cognita, & dicitur obiectivus; qua est obiectum ipsius cognitionis.

7 Subdividitur tertiò terminus mentalis formalis in directum, & reflexum. Directus est cognitio rei distinctæ ab actu ipsius potentiæ cognoscitivæ, ut cognitio, qua cognoscitur homo,

lapis,

lapis, &c. Reflexus est cognitio, qua cognoscitur alia cognitio eiusdem potentiæ, ut cognitio, qua cognoscitur altera cognitio, qua cognoscitur homo; primus dicitur directus, eò quòd illo medio, quasi via recta, tendit intellectus in objectum; secundus verò dicitur reflexus; quia illo medio, quasi reflectitur supra se intellectus, ideòque dicitur, quod est cognitio cognitionis eiusdem potentiæ; nam cognitio, qua cognoscitur cognitio alterius potentiæ, non est reflexa, sed directa.

8 Tertiò dividitur terminus in communi, in significativum, & non significativum. Significativus est, qui aliquid significat, ut *homo*. Non significativus est, qui nihil significat, ut *Blitiri*. Terminus significativus multipliciter subdividitur.

9 Primò in categorematicum, & syncategorematicum. Categorematicus est, qui se solo potest esse in propositione subiectum, vel prædicatum. Dicitur categorematicus à verbo græco *Categoreo*, quod latinè idem sonat, ac *absolutè prædico*, seu *significo*; huiusmodi sunt omnia nomina substantiva, ut *homo*, *albedo*, &c. Syncategorematicus est, qui se solo nequit esse integrum subiectum, vel prædicatum in propositione, & dicitur à verbo græco *syncategoreo*, quod latinè idem sonat, ac *simul cum alio prædico*, seu *significo*; huiusmodi sunt hæc signa: *Omnis*, *nullus*, *aliquis*, &c. Et omnia, quæ non aliqua, sed aliqualiter significant, ut sunt hæc adverba: *velociter*; *sapienter*, &c.

10 Terminus categorematicus subdividitur in complexum, qui etiam dicitur compositus, & in incomplexum, qui etiam dicitur simplex. Complexus est, cuius partes per se sunt significativæ, ut *homo*, *albus*, *Paulus & Ioannes*. Incomplexus est, cuius partes per se non sunt significativæ, ut *homo*, *leo*, &c. Pro cuius intelligentia advertendum est, quòd quando dicimus,

mus, quod partes termini complexi sunt per se significativæ, ita debet intelligi, quod eamdem significationem conservent separatim, quam habebant conjunctim, ut patet in illo termino *homo albus*; unde excluduntur à ratione termini complexi hæc nomina *Dominus*, *Respublica*, &c. Cujus partes, licet separatæ significent, sed non idem, quod conjunctæ significabant: Advertendum etiam est, quod partes termini complexi debent habere inter se aliquam connexionem, sive per concordantiam grammaticalem, ut *homo albus*, sive per conjunctionem, ut *Paulus*, *& Joannes*; unde hæc nomina: *Petrus*, *lapis*, *leo*, licet simul sumantur, non sunt terminus complexus, sed plures termini incomplexi; quia nullam connexionem ex supradictis habent inter se. Similiter est advertendum, quod partes termini complexi debent significare, vel diversas res, ut in exemplis supradictis, vel diversas formalitates, ut *Deus sapiens*; unde hæc nomina: *Marcus Tullius Cicero*, non constituunt terminum complexum, eo quod eamdem rem significent.

11 Hæc est communis explicatio termini complexi, tamen Mastrius 1. p. institutionis Dialect. cap. 2. aliter terminum complexum explicat, scilicet, quod est ille, qui, licèt una tantum voce proferatur, generat tamen conceptum complexum, & ponit exemplum in his vocibus: *Nemo*, *amo semper*, quas dicit æquivalere: *Nullus homo*, *sum amans*, *omni tempore*; quod explicat per oppositum ad terminum incomplexum, nam, licet pluribus vocibus proferatur, si tamen tantùm generet conceptum incomplexum, est terminus incomplexus, ut patet in illo termino: *Marcus Tullius Cicero*, ut supra dictum est; sed prior explicatio est communior inter Authores.

12 Terminus incomplexus subdividitur in copulativum, & non copulativum. Copulativus

est, qui plura significat, ut *homo*, qui significat plures homines. Non copulativus est, qui unum tantùm significat, ut *Petrus*, qui tantùm unum individuum hominis significat.

13 Terminus copulativus etiam subdividitur in collectivum, & divisivum. Collectivus est, qui significat plura, ita ut non possit prędicari de quolibet illorum in particulari, ut *Civitas, Respublica, Familia*, &c. Divisivus est, qui ita significat plura, ut de quolibet possit specialiter prędicari, ut *homo, animal*, &c.

14 Adhuc subdividitur terminus incomplexus infinitum, & in infinitum. Finitus est, qui rem determinatam significat, ut *homo, leo*, &c. Infinitus est, qui cùm plura significet, non determinat quod significat, sed quod non significat, ut *non homo*, in ista propositione: *Non homo currit*, in qua homo determinatè excluditur à cursu, non tamen determinatur cui cursus conveniat.

15 Ubi advertendum est, quòd negatio dupliciter potest sumi, scilicet, negativè, & infinitanter. Negativè sumitur, quando prędicatum removetur à subjecto, & tunc dicitur negatio malignantis naturæ; quia omnia, quæ invenit post se, destruit, ut patet in hac propositione: *Homo non est lapis*, in qua absolutè negatur de homine, quod importat prædicatum *lapis*; absque eo quod de illo aliquid determinatè, vel indeterminatè affirmetur. Infinitanter sumitur, quando tantùm afficit subjectum, vel prædicatum, removendo ab illis aliquam rationem, ut in his propositionibus: *Non homo currit*: *homo non est lapis*, in quarum prima negatio removet subjectum, scilicet hominem à cursu, & in secunda removet prædicatum, scilicet lapidem, ab eo quod est homo. Advertendum etiam est, quod terminus transcendens (de quo infra) ut est *ens*, non potest fieri per negationem terminus infinitus, quia

cùm

cùm omnia significet, seu per omnia genera rerum divagetur, si ei præponatùr negatio dicendo: *non ens*, absolutè negatur, & non remanet aliquid, quod significet, adhuc indeterminatè; cum omnia rationem entis participent.

16 Secundò dividitur terminus significativus in concretum, & abstractum. Concretus est, qui significat formam cum concernētia ad subjectum, vel suppositum, ut *albus*, qui significat albedinem non per se solam, sed cum concernentia ad subjectum, in quo est; & *homo*, qui significat humanitatem, non per se solam, sed cum concernentia ad supposita, in quibus est. Abstractus est, qui significat formam sine concernentia ad aliud, ut *albedo*, quæ significat albedinem sine concernentia ad subjectum, *humanitas*, quæ significat naturam humanam sine concernentia ad supposita.

17 Tertiò dividitur terminus significativus in absolutum, & relativum. Absolutus est, qui significat rem sine ordine ad aliud, ut *homo, lapis*, &c. Relativus est, qui significat formam afficientem subjectum in ordine ad aliud, ut *Pater*, qui significat paternitatem afficientem subjectum in ordine ad filium. Vbi advertendum est, quod terminus relativus à pluribus appellatur connotativus, licet aliqui terminum connotativum aliter explicent, scilicet, quod est ille, qui significat formam per modum alteri adjacentis, sive sit relativus, ut *Pater* in exemplo suprapofito, sive non, ut *album*, quod significat albedinem per modum adjacentis subjecto illam habenti, & in hoc, inquiunt, distinguitur à termino concreto, quod concretus latius patet, quam connotativus; nam omnis terminus connotativus est concretus; non tamen omnis concretus est connotativus, quod idem est, ac dicere, quod terminus connotativus est concretum accidentale, ut *album*: v. gr. quia concretum ac-

cidentale semper significat formam per modum alteri adjacentis; adjacentia enim est propria accidentis; concretum verò substantiale non est terminus connotativus ut *homo*, quia significat formam per modum per se stantis, quod est proprium substantiæ, ut opponitur accidenti.

18 Sed quidquid sit de hoc, quod potius videtur reduci ad quæstionem de nomine, quàm de re, prima explicatio videtur magis propria; quia hic sumitur terminus connotativus prout opponitur absoluto, & certum est, quod relativum immediatè opponitur absoluto. Vbi claritatis gratia advertendum est, quod quando terminus concretus est connotativus, hoc provenit ex diverso capite, nam est concretus, ut significat formam concernentem subjectum; & est connotativus, ut significat formam ordinantem subjectum ad aliud, ut patet in hoc termino *Pater*, qui est terminus concretus, ut significat paternitatem concernentem subjectum, in quo est: & est connotativus, ut significat ipsam paternitatem ordinantem subjectum, in quo est, ad filium.

19 Quartò dividitur terminus significativus in denominativum, & denominantem. Denominativus est, qui nomen, & significationem recipit ab alio, ut *album*, qui nomen, & significationem accipit ab albedine. Denominans est, qui alteri tribuit nomen, & significationem, ut *albedo*, qui nomen, & significationem tribuit huic termino *album*. Aliqui dicunt, quod secundum Arist. illi tantum termini sunt denominativi, qui pertinet ad prædicamentum accidentis; sed hoc tantum reducitur ad quæstionem de nomine, seu ad authoritatem, absque eo quod aliqua videatur apparere ratio; nam tam propiè videtur accipere nomen, & significationem hic terminus *homo* de prædicamento substantiæ ab humanitate,

quam

quam hic terminus *album* de prædicamento accidentis ab albedine.

20 Quintò dividitur terminus significativus in communem, & singularem. Terminus communis est, qui significat rem pluribus communem, cui non repugnat multiplicari cum sui divisione, ut *homo*, qui ita significat plures homines, ut in illis cum sui divisione multiplicetur. Singularis est, qui significat unam rem omnino [in pluribus immultiplicabilem, ut *Petrus*; ex quo deducitur, quod hic terminus *Deus*, non est terminus communis, quia licet significet rem tribus convenientem, scilicet, Patri, &. Filio, & Spiritui Sancto; tamen non multiplicatur in illis, imò repugnat multiplicari; quia una, & eadem numero essentia divina omninò indivisibilis est in tribus. Vbi communiter notant Authores, quod ut aliquid sit terminus communis non est omninò necessarium, quod actualiter sit in pluribus multiplicatum, sed sufficit, quod ex natura sua illi non repugnet multiplicatio; unde sequitur, quod isti termini; *Sol*, *Luna*, & his similes sunt termini communes, quia licet actualiter non] dentur plures Soles, nec plures Lunæ; quod autem dentur, nullatenus repugnare videtur.

21 Terminus communis subdividitur in transcendentem, & non transcendentem, Transcendens est; qui ita significat rem communem, ut repatitur in omnibus cujuscumque generis, & prædicamenti; hujusmodi sunt *ens*, & ejus passiones, quæ sunt *res*, *verum*, *bonum*, *aliquid*, *unum*, quæ omnia cum suis litteris initialibus hanc dictionem constituunt: *RVBAV*. Non transcendens est, qui significat naturam communem alicujus determinati generis, & prædicamenti, ut *homo*, *animal*, &c. qui terminus etiam dicitur categoricus, seu prædicamentalis; quia pertinet ad ali-

quod prædicamentum determinatum, quod etiam dicitur categoria.

22 Adhuc subdividitur terminus communis in univocum, & æquivocum. Vnivocus est, qui convenit pluribus secundum idem nomen, & secundùm eamdem rationem significatam, ut *homo*, qui convenit Petro, & Paulo, &c. secundum nomen, & rationem significatam. Æquivocus est, qui convenit pluribus secundum idem nomen, non tamen secundum rationem significatam; quia non unam tantum, sed plures rationes significat, ut *canis*, qui secundum nomen convenit cani terrestri, cœlesti, & marino: non tamen secundum rationem, quia ratio significata per illud nomen est diversa in illis tribus. Prædictæ descriptiones deducuntur ex Aristot. qui in anteprædicamentis cap. 1. sic univoca, & æquivoca definit; *Vnivoca sunt, quorum nomen est commune, & secundùm nomen eadem eadem substantia ratio. Aequivoca sunt, quorum nomen est commune; ratio verò substantiæ nomini accommodata diversa*. Pro quibus notandum est, quod univoca, & æquivoca dupliciter considerantur, scilicet activè, & passivè; activè dicuntur in numero singulari univocum univocans, æquivocum æquivocans; passivè verò dicuntur in numero plurali univoca univocata, æquivoca æquivocata; nomen commune illa plura significans est activè univocum univocans, &c. Illa plura significata sunt passivè univoca univocata, &c. & hæc definit Arist.

23 Terminus æquivocus adhuc subdividitur in æquivocum à consilio, & in æquivocum à casu. Æquivocus à consilio est, qui licet significet naturam diversam in æquivocatis; habet tamen in illis aliquam proportionem, ut *sanum*, quod significat sanitatem in animali, urina, & medicina, in quibus est secundum diversam rationem; habet tamen in illis aliquam

quam proportionem, nam in animali reperitur formaliter sanitas, in urina, tamquam in signo, & in medicina, tamquam in causa. Hic terminus æquivocus appellatur etiam analogus, & activè sumptus, id est, prout est nomen analogum analogans; definitur definitione supradicta; passivè verò, id est, prout analoga analogata dicit, sic potest definiri per similitudinem ad univoca, & æquivoca, *Analoga sunt, quorum nomen est commune, & ratio substantiæ diversa; habet tamen in illis aliquam proportionem, prout significantur prædicto nomine*. Terminus æquivocus à casu est, qui significat naturam communem nomine, in substantia verò diversam, & sine aliqua proportione, ut canis in exemplo suprapositio.

24 Ubi adverte, quod terminus, qui respectu aliquorum dicitur æquivocus, respectu aliorum potest dici univocus; ut patet in hoc termino *canis*, qui respectu canis cœlestis, terrestris, & marini dicitur æquivocus ut supra, respectu verò plurium specierum canis terrestris dicitur univocus. Adverte etiam, quod nomen analogum absolutè prolatum intelligitur significare rem cui magis propriè, & formaliter convenit, unde ortum est illud commune axioma: *analogum per se sumptum stat pro famosiori significato*.

25 Terminus singularis etiam subdivditur in determinatum; & est, qui rem certam, & determinatam significat; ut *Petrus*; in demonstrativum, & est, qui pronomine demonstrativo afficitur, ut *hic homo*: in collectivum, & est, qui in numero singulari plura conjunctim significat, ut *Matritum*, *Toletum*, &c. In ex suppositione; & est, qui licet plura posset significare, ratione suppositionis unum tantum significat, ut *Virginis Filius*; & in vagum, & est, qui licet unam tantum rem significet, significat illam indeterminatè, & con-

fusè, ut *quidam homo*; qua propter etiam dicitur terminus confusus.

26 Sexto dividitur terminus significativus in terminum primæ intentionis, & secundæ intentionis. Terminus primæ intentionis est, qui significat rem secundum esse, quod habet à parte rei independenter à consideratione intellectus, ut *homo*, *lapis*, &c. Terminus secundæ intentionis est, qui significat rem secundum aliquod esse, quod habet à consideratione intellectus, ut *subjectum*, *propositio*, *genus*, &c. De prima, & secunda intentione amplius in Logica magna, hæc pro præsenti instituto sufficiant.

27 Septimò dividitur terminus significativus in terminum primæ impositionis, & secundæ impositionis. Terminus primæ impositionis est, qui res ipsas à vocibus significativis distinctas significat, ut *homo*, *lapis*, &c. qui dicuntur termini primę impositionis, quia prius inventi, & impositi sunt ad ipsas res significandas. Terminus secundæ impositionis est, qui ipsas voces significativas significat, ut *dictio*, *nomen*, *copula*, &c. qui dicuntur termini secundæ impositionis, quia positis jam illis prioribus ad res significandas, inventi, & impositi sunt isti ad ipsos terminos, seu voces significativas significandas.

28 Hucusque loquuti sumus de terminis, nulla facta comparatione inter illos, possunt tamen inter se comparari, & ut sic alii dicuntur impertinentes, alii pertinentes. Impertinentes, sunt, qui non se mutuò inferunt, nec inter se repugnant, ut *albus*, *justus*, non enim valet: *Est justus*: *ergo albus*; neque è contra: *Est albus*; *ergo justus*; non tamen repugnat, quod justus sit albus. Pertinentes, sunt, quorum unus infert alium, vel unus alteri repugnat; si unus infert alium; dicuntur pertinentes sequela, ut *homo*, *risibilis*, valet enim; *Est homo*

homo; *ergo est risibilis*: si unus repugnat alteri, dicuntur pertinentes repugnantia, ut *homo, leo*, valet enim: *Est homo*; *ergo non est leo*.

20 Deinde pertinentes sequela alii sunt convertibiles, alii inconvertibiles. Convertibiles sunt, quorum unus infert alium, & è contra; ut *homo risibilis*, valet enim: *Est homo*: *ergo est risibilis*, & è contra: *Est risibile*; *ergo est homo*. Non convertibiles sunt, quorum unus infert alium, non verò è contra, ut *homo, animal*: valet enim: *Est homo*: *ergo est animal*, non verò è contra: *Est animal*: *ergo est homo*.

30 Etiam pertinentes repugnantia alii sunt oppositi, alii non oppositi. Non oppositi sunt, quibus repugnat esse idem, non ex eo, quòd habeant inter se aliquam oppositionem; sed quia sunt res distinctæ, ut *homo, lapis*. Oppositi sunt, quibus repugnat esse idem per aliquam oppositionem, quam habent inter se; & quia quadruplex est oppositio, scilicet, contradictoria, contraria, privativa, & relativa, etiam termini oppositi sunt in quadruplici differentia. Alii dicuntur oppositi contradictoriè, & sunt, quorum unus negationem alterius dicit, ut *homo, non homo*: alii dicuntur oppositi contrariè, & sunt, qui significant duas qualitates ab eodem subjecto se mutuò excludentes, ut *calidum, frigidum*. Alii dicuntur oppositi privativè, & sunt, quorum unus dicit aliquam formam, & alter carentiam ipsius formæ in subjecto apto ad illam habendam, ut *videns, cæcus*: alii dicuntur oppositi relativè, & sunt, quorum unus dicit ordinem, seu habitudinem ad alium, ut *Pater, filius*. Et hæc sufficiant pro notitia terminorum.

SECVNDVM CAPITVLVM.

In quo traditur aliqua signorum notitia.

1 Quia communiter explicantur termini, & alia instrumenta logicalia per voces, quæ sunt signa rerum, quas significant; ideò communiter Authores hic aliquam signorum notitiam adducunt; igitur signum in communi sic potest definiri: *Signum est, quod propositum potentiæ cognoscitivæ ducit ipsam potentiam in alterius rei cognitionem*, ut fumus, qui potentiæ cognoscitivę propositus ducit ipsam in cognitionem ignis; aliæ definitiones signi solent ab Authoribus adduci, & præcipuè, quam tradidit D. Aug. lib. 2. de Doctrina Christ. scilicet: *Signum est, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud facit in cognitionem venire*; sed hæc definitio, ut ex se patet, solum convenit signo sensibili, & pro illo adduxit illam D. Aug. quia tamen datur aliquod signum, quod non sit sensibile, ideò supradictam definitionem afferimus loquendo de signo in communi, convenit enim tam signo sensibili, quàm non sensibili.

2 Signum ergo in communi primo dividitur in naturale, ad placitum, seu ex institutione, & ex consuetudine. Signum naturale est, quod ex natura sua habet ducere potentiam in cognitionem alterius, ut fumus, qui ex natura sua ducit potentiam in cognitionem ignis, & voces naturales, ut gemitus, & latratus canis, quæ ex natura sua ducunt potentiam in cognitionem animalis, à quo procedunt. Ad signum naturale reducunt aliqui causam, & effectum, eò quòd, cùm sint formaliter relativa, sunt simul cognitione, & sic necessariò unum ducit in cognitionem alterius. Signum ad placitum est, quod ex impositione hominum ducit potentiam in cognitionem alterius, ut ramus pendens ante domum ex institutio-

tutione hominum ducit in cognitionem vini vendibilis, & voces significativæ ex institutione hominum ducunt in cognitionem rei significatæ. Signum ex consuetudine est, quod non ex natura sua, nec ex impositione hominum, sed ex quadam consuetudine ducit in cognitionem alterius, ut adventus canis, qui non repræsentat naturaliter, nec ex impositione hominum adventum Domini, ex quadam tamen consuetudine ducit potentiam in cognitionem talis adventus Domini. Aliqui intendunt reducere signum ex consuetudine ad signum naturale, eo quod consuetudo est altera natura, sed hoc reducitur ad quæstionem de nomine, de qua parum est curandum.

3 Deinde signum ad placitum dividitur in doctrinale, & artificiale. Doctrinale est illud, quod deservit ad doctrinas, & scientias comparandas, ut sunt voces, & scripturæ. Artificiale est, quod non deservit ad aliquam doctrinam comparandam, sed ad alia negotia, ut pulsatio cymbali ad audiendum sacrum, &c.

4 Secundò dividitur signum in communi, in formale, & instrumentale. Signum formale dicitur, quod non est prius cognitum, sed est ratio formalis cognoscendi aliud, ut cognitio, qua cognosco hominem, est signum formale hominis, quia non est prius cognita, sed est ratio formalis cognoscendi illum. Signum instrumentale, dicitur illud, quod cognitum ducit in cognitionem alterius, ut sunt omnia signa supradicta, quæ prius cognoscuntur, & postea ducunt potentiam in cognitionem rei significatæ. Hoc signum dicitur instrumentale; quia cognitione illius utimur, tamquam instrumento ad cognitionem alterius. Aliæ divisiones signi solent adduci, quæ nullatenus pertinent ad præsens institutum, & magis confusionis, quam utilitatis præseferunt.

TERTIVM CAPITVLVM.

In quo agitur de aliquibus affectionibus terminorum.

1 Plures sunt terminorum affectiones, quarum notitia valde necessaria est ad cognoscendas veritates propositionum; quia tales affectiones aliquando solent variare propositionis sensum, ideòque postquam de terminis in antecedentibus egimus, hic de prædictis affectionibus recto ordine venit agendum; Igitur

2 Prima affectio terminorum dicitur suppositio, & est acceptio termini pro aliquo in propositione, ut in hac: *Petrus est homo*, ly *Petrus* supponitur pro Petro significato per illum terminum, vel pro conceptu, quo cognoscitur ipse Petrus, de quo suo loco in disputationibus; nam quæstio est inter Authores, an termini vocales supponantur pro rebus, an pro conceptibus. Ubi advertendum est, quod tria necessariò inveniuntur in suppositione, scilicet, id quod supponit, id quod supponitur, & id cujus loco supponitur, in hac enim propositione: *Petrus est albus* id, quod supponit est homo, qui conficit propositionem, id quod supponitur est terminus *Petrus*; & terminus *albus*, id, cujus loco supponitur, est res significata per prædictos terminos, vel conceptus mentales ipsarum rerum, juxta diversas sententias; ex quo aliqui dixerunt, non propriè loqui, dum dicitur, terminum supponere pro alio, benè tamen dum dicitur terminum pro alio supponi; quia terminus est, qui supponitur passivè; non verò, qui activè supponit; nam hoc solum competit homini propositionem conficienti.

3 Suppositio dividitur in materialem, & formalem. Materialis est quando terminus sumitur pro se ipso, & non pro re significata per illum, ut in hac propositione: *Homo est nomen*, in qua ly *homo* supponitur materialiter, quia sumitur pro ipsa voce, non verò pro re significata; ex quo sequitur, quod voces non significativæ semper supponuntur materialiter. Suppositio formalis est, quando terminus sumitur pro re significata per illum, ut in hac propositione; *homo est animal*, in qua termini supponuntur formaliter, quia non pro ipsis vocibus, sed pro rebus significatis per illas accipiuntur.

4 Suppositio formalis subdividitur in propriam, & in impropriam. Propria est, quando voces accipiuntur in suo proprio significato, ut in ista propositione: *Leo rugit*, in qua *leo* significat verum leonem. Impropria est, quando voces accipiuntur pro metaphorico, & improprio significato, ut in hac propositione: *Vicit leo de tribu Juda*, in qua terminus *leo* impropriè, & metaphoricè Christum significat.

5 Suppositio formalis propria etiam dividitur in communem, & singularem. Communis dicitur quando terminus significat naturam communem, ut in hac propositione: *Homo est animal*, in qua termini supponuntur suppositione communi, quia naturas communes significant in propositione. Singularis dicitur quando terminus significat naturam singularem, ut in hac propositione: *Petrus est homo*, in qua ly *Petrus* supponitur suppositione singulari; quia in illa significat naturam singularem.

6 Adhuc dividitur suppositio formalis propria in simplicem, & personalem. Simplex est, quando terminus ita restringitur à suo prædicato, ut faciat, quod solum supponatur in propositione pro suo directo, & immediato significato, ut in hac propositione: *Animal est genus*, in qua terminus *animal* ita ab illo

illo prædicato *genus* restringitur, ut solùm pro suo immediato significato, quod est id, quod significat directè, scilicet, *naturam humanam* supponatur, non verò pro mediato significato, quod est, quod significat indirectè, & de connotato, scilicet, *Petrum Joannem*, &c. Suppositio personalis, quæ etiam dicitur composita, ut opponitur suppositioni simplici, est illa, in qua terminus non restringitur ab aliquo prædicato, sed pro utroque significato, tam mediato, quàm immediato, ordine debito accipitur, ut in hac propositione: *Homo est animal*, in qua ly *homo* accipitur, tam pro natura humana, quàm pro individuis illius; de omnibus quippè potest animal prædicari.

7 Vbi adverte pro majori claritate, quod omnia illa prædicata, quæ conveniunt subjecto per operationem intellectus, illud restringunt, ut tantùm supponatur pro immediato significato, ut sunt *species*, *genus*, &c. sive prædicta prædicata sumantur primò, sive secundò intentionaliter, id est, sive fundamentaliter, sive formaliter, illa verò prædicata, quæ conveniunt subjecto independenter à consideratione intellectus, illud taliter non restringunt, ut *risibile* respectu hominis.

8 Suppositio personalis etiam dividitur in distributivam, confusam, determinatam, & copulatam. Suppositio distributiva est quando terminus communis ita supponitur ad significandam naturam communem, ut de quolibet inferiori seorsim possit prædicari, quod de ipsa natura prædicatur, quod evenit quando hoc signo *omnis*, vel *nullus* afficitur terminus communis, ut in his propositionibus: *Omnis homo currit*: *nullus homo est lapis*; quod etiam contingit in propositione affirmativa, quando prædicatum est de essentia subjecti, vel propria passio illius, licèt subjecto non præponatur aliquod signum commune, ut in his propositionibus: *Homo est animal*:

mal : *homo est risibilis* , &c. & similiter in propositione negativa , quando prædicatum repugnat subjecto , ut in ista: *Homo non est lapis* .

9 Adhuc suppositio distributiva subdividitur in distributivam pro singulis generum , & distributivam pro generibus singulorum . Distributiva pro singulis generum dicitur, quando terminus genericus sumitur prout significat omnia contenta sub illo, sive sint species, sive individua, ut contingit in hac propositione : *Omne animal* , *& sensibile*, in qua ly *animal* accipitur, non solum quatenus significat omnes species animalis, sed etiam omnia individua specierum, de omnibus enim prædicatur ratio animalis.

10 Distributiva pro generibus singulorum dicitur quando terminus genericus non sumitur, prout significat omnia individua specierum, quæ sub illo continentur, sed tantum aliqua, vel aliquod cujuslibet speciei, ut contingit in hac propositione: *Omne animal fuit in arca Noe*, in qua terminus genericus *animal*, non significat omnia individua specierum, quæ sub illo continentur ; sed tantùm aliquod , vel aliqua cujuslibet speciei, quæ in arca Noe continebantur .

11 Aliqui addunt aliam suppositionem distributivam , quam accommodatam vocant , & est quando terminus communis, licet ex se significet omnia contenta sub illa, tamen excipiuntur aliqua ex vi significationis propositionis, ut patet in ista : *Omnis homo in Adam peccavit* , in qua , licet *homo* significet omnes homines ; tamen ex vi significationis propositionis excipitur Christus , Redemptor noster , & Beatissima Virgo MARIA , Mater ejus , quæ ab omni macula, etiam originali, fuit immunis.

12 Suppositio confusa dicitur, quando termi-

minus accipitur, prout significat rem incertam, & indeterminatam, ut contingit in hac propositione: *Aliquis homo currit*, in qua ly *homo* accipitur, prout significat aliquod individuum humanitatis, sed non determinatè; & in ista: *Oculus requiritur ad videndum*, in qua ly *oculus* indeterminatè aliquem ex duobus oculis significat.

13 Suppositio determinata dicitur quando terminus significat rem certam, & determinatam, quod contingit, vel quando supponuntur termini singulares, ut *Petrus, Paulus*, &c. vel termini communes affecti signo demonstrativo, ut *hic homo*, vel quando terminus communis, ratione alicujus suppositionis, rem determinatam significat, ut *Virginis Filius*.

14 Denique suppositio copulata dicitur quando terminus significat plura conjunctim sumpta, ut quando supponuntur termini in numero plurali affecti signo universali affirmativo, ut in hac propositione: *Omnes Apostoli Dei sunt duodecim*, in qua ly *Apostoli* significat omnes conjunctim, & etiam quando supponuntur termini singulares collectivi, ut *Roma, Ecclesia, Conventus*, &c. qui termini supponuntur in propositionibus pro omnibus sub illis contentis collectivè, seu copulativè non verò seorsim.

15 Secunda affectio terminorum est status, qui est acceptio termini pro tempore importato per copulam, ut in hac propositione: *Petrus legit*, in qua ly *Petrus* debet stare pro tempore præsenti, ut verificetur propositio, nam si non existit actualiter, legere, non potest: quod idem intelligendum est suo modo de propositionibus de præterito, & de futuro.

16 Tertia affectio terminorum dicitur ampliatio, & est, quando terminus, ratione alicujus adjuncti, extenditur ad majorem significationem, quàm patebat pro suo statu.

17 Quarta affectio terminorum dicitur restri-

ſtrictio, & eſt quando terminus, ratione alicujus adjuncti, coarctatur ad minorem ſignificationem, quàm petebat pro ſuo ſtatu.

18 Ad intelligentiam prædictarum affectionum advertendum eſt, quòd ſunt aliqua prædicata, quæ conveniunt ſubjectis ſine dependentia à tempore, & ſunt illa, quæ neceſſariò prædicantur de terminis communibus in propoſitionibus affirmativis, vel repugnanter in propoſitionibus negativis, & ſunt alia prædicata, quę conveniunt ſubjectis dependenter à tempore, & ſunt illa, quæ contingenter prædicantur de termino communi; quando in propoſitionibus ponuntur prima prædicata, ne quid ſubjectum ampliari, nec reſtringi; quando verò ponuntur ſecunda prædicata, poteſt ſubjectum ampliari, vel reſtringi, ſi eſt terminus communis, vel particularis indeterminatus.

19 Ut autem hoc faciliùs percipiatur, adducamus aliqua exempla, ex quibus alia poſſunt deduci, etenim in hac propoſitione: *Homo eſt animal*, ſubjectum nullatenus poteſt reſtringi, neque ampliari; quia ſupponitur in propoſitione ad ſignificandos omnes homines præſentes, præteritos, futuros, & poſſibiles; quia cùm prędicatum non conveniat illi dependenter à tempore, ſemper neceſſariò conſervat ſuum ſtatum in propoſitione. Idem poteſt dici in hac propoſitione negativa univerſali; *Homo non eſt lapis*, & in hac de ſubjecto ſingulari determinato; *Petrus eſt homo*; & ſimiliter in hac de ſubjecto ſingulari indeterminato; *Aliquis homo eſt animal*.

20 In hac verò propoſitione; *Omnis homo currit* ſtatus ſubjecti eſt pro tempore præſenti, nam accipitur pro omnibus hominibus exiſtentibus tempore importato per copulam, eo quod prædicatum dependenter à tempore conveniat illi, & ſic poteſt ampliari per diſjunctionem, ut contingit in hac propoſitione: *Omnis homo*

homo currit, vel cucurrit, vel curret: nam in illa subjectum, non solum significat homines existentes de præsenti, sed etiam præteritos, & futuros; potest etiam restringi per conjunctionem, ut contingit in hac propositione: *Omnis homo currit, & cucurrit, & curret*, in qua subjectum, quod juxta statum primæ propsitionis significabat omnes homines existentes, restringitur ad significandum tantùm illos, qui ita existunt, ut etiam extiterint, & extituri sunt.

21 Propositiones de subjecto singulari indeterminato similiter ampliantur, & restringuntur ratione prædicati; sed cùm hac differentia; quod quando terminus est communis, ampliatur, & restringitur ad magis, vel minus significandum; quando autem terminus est singularis indeterminatus, cùm tantùm unum, licet indeterminatè significet, non ad magis, vel minus significandum, sed ad majorem, vel minorem indifferentiam ampliari, vel restringi potest, ita ut ad plura, vel pauciora talis indifferentia, seu indeterminatio extendatur, vel coarctetur, ut benè intuenti patebit in hac propositione: *Aliquis homo currit*, quando per hanc ampliatur: *Aliquis homo currit, vel cucurrit, vel curret*; vel per hanc restringitur; *Aliquis homo currit, & cucurrit, & curret*.

22 Ubi advertendum est, quod subjectum singulare determinatum, licet prædicatum sit contingens, nullatenus potest ampliari, vel restringi: nam semper conservat suum significatum, licet contingat, quod propositio sit falsa, ut videre est in hac propositione: *Adamus currit*; nam illa semper per subjectum significat determinatè nostrum primum parentem, licet sit falsa, eò quòd Adamus non existit pro tempore præsenti importato per copulam.

Ali-

23 Aliter terminus communis restringi potest, si illi, scilicet, adjungatur terminus inferior, sive prædicatum conveniat dependenter à tempore, sive non, ut contingit in his propositionibus; *Omne animal homo currit; omne animal homo est vivens*, in quibus prædicatum *animal*, quod ex se omnes species animalis significat, restringitur ad significandum tantum speciem hominis, ratione illius adjuncti *homo*. Similiter contingit quando adjectivum additur substantivo, ut contingit in hac propositione; *Homo albus currit*; nam in illa subjectum *homo*, quod ex se significat omnes homines coarctatur ad significandum tantum homines albos; vel quando adjungitur subjecto casus obliquus, ut contingit in hac propositione; *equus Petri currit velociter*; nam in illa subjectum *equus*; quod ex se omnes equos significat, coarctatur ad significandum tantùm equum, quem Petrus possidet.

24 Hic advertendum est, quod in argumentatione per prædictos terminos amplos, vel restrictos hæ regulæ observandæ sunt; à termino amplo ad non amplum, non valet consequentia affirmativè; benè tamen negativè, è contra verò à termino non amplo ad amplum valet consequentia affirmativè, non verò negativè; à termino restricto ad non restrictum valet consequentia affirmativè, non verò negativè; à termino non restricto ad restrictum valet consequentia negativè, non verò affirmativè; quod omne, licet aliquomodo confusum videatur, exercitio disputationis clarum apparebit, & pro nunc.

25 His exemplis aliquomodo fiet manifestum. Valet enim hæc consequentia negativè; *Non est homo potens currere; ergo non est homo currens*, non verò affirmativè; *Est homo potens currere; ergo est homo currens*. Hæc est argumentatio de amplo ad non amplum. Valet

let etiam hæc consequentia affirmativè; *Est homo currens; ergo est homo potens currere*; non verò negativè; *Non est homo currens; ergo non est homo potens currere*. Hæc est argumentatio de non amplo ad amplum. Similiter valet hæc consequentia negativè; *Non est homo; ergo non est homo albus*; non verò affirmativè; *Est homo; ergo est homo albus*; Hæc est argumentatio à non restricto ad restrictum. Similiter valet hæc consequentia affirmativè; *Est homo albus; ergo est homo*; non verò negativè; *Non est homo albus; ergo non est homo*. Hæc est argumentatio à restricto ad non restrictum.

26 Quinta affectio terminorum est alienatio, quæ etiam dicitur distractio, & est quædam translatio termini à propria ad impropriam significationem, ratione alicujus adjuncti, quod patet in hac propositione: *Homo pictus legit*, in qua subjectum *homo*, quod per se significat verum hominem, ratione illius adjuncti, *pictus* significat tantùm improprium hominem, seu imaginem hominis.

27 Sexta affectio terminorum dicitur remotio, & est totalis distractio termini à sua significatione, ratione alicujus adjuncti, ut patet in hac propositione; *Homo irrationalis legit*, in qua subiectum *homo* nullum hominem significat, ratione illius adiuncti *irrationalis*.

28 Septima affectio terminorum dicitur reduplicatio, & est repetitio subiecti, ut patet in hac propositione; *Homo in quantum homo, est risibilis*.

29 Octava affectio terminorum dicitur specificatio, & est determinatio alicujus partis subiecti, propter quam prædicatum convenit subiecto, ut in hac propositione; *Æthiops est albus secundùm dentes*. Hæc affectio etiam solet dici diminutio; quia minuit significationem subiecti, ut in hac propositione dicta, in qua ly *Æthiops* minuitur à sua significatione, & tantùm

sup-

supponitur pro dentibus; facit enim hunc sensum; *Dentes Æthiopis sunt albi.*

30 Vltima affectio terminorum dicitur appellatio, & est applicatio significationis unius ad significationem alterius, ut contingit in hac propositione: *Homo est doctus*, in qua prædicatum *doctus* appellat, seu ponit suum significatum supra significatum subjecti *homo*. Appellatio est duplex, scilicet, formalis, & materialis. Formalis dicitur, quando significatum unius applicatur ad significatum formale alterius; in hac enim propositione: *Album est disgregativum visus*, prædicatum *disgregativum* applicat suum significatum ad albedinem, quæ est formale significatum termini *album*. Materialis dicitur quando significatum unius applicatur ad significatum materiale alterius; in hac enim propositione: *Album est currens*, prædicatum *currens* applicat suum significatum ad subjectum habens albedinem, quod est significatum materiale termini *albus*.

31 Pro majori intelligentia appellationis advertere opportet, quod quando in propositione inveniuntur plures termini, si terminus appellans est talis naturæ, quod significatum illius solum alicui illorum potest convenire, semper supra illum appellat, ut contingit in hac propositione: *Homo velociter currit*, in qua ly *velociter* necessariò appellat, seu ponit suum significatum supra cursum; quia velocitas est propria cursus, non verò hominis, unde evenit, quod in similibus propositionibus nunquam apparet æquivocatio in appellatione.

32 Advertere etiam oportet, quod quando terminus appellans convenit tam subjecto, quàm prædicato propositionis, tunc potest esse æquivocatio in appellatione, & sic semper est attendendum ex qua parte ponitur, ut æquivocatio auferatur; v. gr. hic terminus *magnus*, qui convenit tam *Petro*, quàm *scholastico*, in

in hac propositione : *Petrus est magnus scholasticus*, quia ponitur ex parte prædicati, appellat, & ponit suum significatum supra prædicatum *scholasticus*, & sic facit hunc sensum : *Petrus est magnus in studio :* in hac verò propositione : *Petrus magnus est scholasticus*; quia ponitur ex parte subjecti, appellat, & ponit suum significatum supra subiectum *Petrus*; & sic facit hunc sensum : *Petrus magnus corpore est scholasticus*.

QUARTUM CAPITULUM.

In quo agitur de Nomine, Verbo, & Oratione.

1 ARist. lib. 1. Perierm. cap. 2. sic nomen definivit. *Nomen est vox significativa ad placitum sine tempore, cujus nulla pars separata est significativa, finita, & recta*. Quam definitionem admittunt omnes Philosophi, & sic eam explicant. Dicitur *vox significativa ad placitum*, in quo convenit cum Verbo, de quo postea, & differt à vocibus non significativis ut *Blitri*, &c. & à significativis naturaliter, ut gemitus animalis. Dicitur *sine tempore*, in quo differt à verbo, quod significat cum tempore. Pro cujus intelligentia advertendum est, quod aliud est *significare tempus*, aliud *connotare tempus*, & aliud *consignificare tempus*, seu *significare cum tempore :* nam *significare tempus* est significare rem, quæ est tempus, ut *hora*, *dies*, *mensis*, &c. *Connotare tempus* est aliquid significare, quod aliquo determinato tempore fieri solet, ut *cœna*, *prandium*, &c. *Consignificare tempus*, seu *significare cum tempore* est significare rem esse, vel non esse, fieri, vel non fieri in aliquo tempore, ut *curro*, quod significat, cursum fieri tempore præsenti. Vnde sequitur, quod licet nomen possit significare, & conno-

tare tempus, non tamen potest consignificare tempus, seu significare cum tempore. Dicitur: *Cujus nulla pars separata est significativa*, quod intelligitur modo dicto de termino incomplexo, in quo differt à termino complexo. Dicitur, *finita*, ùt excludantur à ratione nominis termini infiniti. Dicitur, *recta*, ut excludantur casus obliqui, qui sunt omnes præter nominativum, & etiam ut excludantur termini sincategorematici, qui non dicuntur recti eo quod se solis nequeunt in propositione collocari.

2 Igitur ex hoc cognoscitur, quod tantum casus nominativi termini incomplexi habet rationem nominis logicalis; & licet aliquando casus obliqui ponantur in propositione loco nominativi, ut in hac propositione; *Petrus est genitivus*; non tamen propter hoc habet rationem nominis: sed tantùm dicitur, quod ponitur loco nominis, quod idem contingit in propositionibus, quæ constant vocibus non significativis, ut *Blitri non est scindapsus*.

3 Aliquæ solent esse divisiones nominis, quę magis ad grammaticos, quam ad dialecticos spectant, & idem dicendum est de aliquibus divisionibus verbi; sed quia hìc tantùm definit Arist. nomen, & verbum logicale, ideò illas omittimus.

4 Arist. 1. Perierm. cap. 3. sic verbum logicale definivit: *Verbum est vox significativa ad placitum cum tempore, cujus nulla pars separata significat, finita, & recta, & est semper nota eorum, quæ prædicantur*. Hæc definitio communiter admittitur à Philosophis, & explicatur sicut definitio nominis, à quo differt in hoc, quod verbum significat cum tempore, non verò nomen; & in hoc, quòd verbum est nota eorum, quæ prædicantur, quod idem est, ac notificare veritatem, vel falsitatem; quia conjungit subjectum cum prædicato, quod non habet nomen.

Ad-

5 Advertendum tamen est circa illam particulam *finita*, quod verbum semper est finitum, & nunquam potest infinitari, sed tantum negari; quia, si verbo, seu copulæ præponatur negatio, reddit, propositionem purè negativam, quæ totum destruit, & nihil affirmat; ad rationem autem negationis infinitantis requiritur, quod aliquid neget determinatè, & plura indeterminatè affirmet, vel significet, ut dictum est de termino infinito.

6 Advertendum etiam est, circa illam particulam, *recta*, quòd solùm tempus præsens indicativi modi dicitur rectum in verbo; alia verò tempora dicuntur obliqua. Cujus ratio est, quia nunquam verificatur propositio in aliquo tempore facta, nisi in ordine ad tempus præsens, seu ad propositionem de præsenti, quæ etiam dicitur *propositio de inesse* v.g. hæc propositio de tempore præterito: *Petrus cucurrit* solum est vera, si aliquando fuit vera hæc de præsenti: *Petrus currit*. Similiter hæc propositio de tempore futuro: *Petrus curret* tantum est vera, si aliquando verificabitur hæc de præsenti: *Petrus currit*.

7 Propter eandem rationem solùm verbum substantivum, quod est solùm *sum*, *est*, *fui*, & solùm in tempore præsenti propriè, & rigorosè habet rationem verbi; quia omnia alia verba adjectiva reducuntur ad illud, ut patet in hac propositione, & similibus: *Petrus currit*; nam facit hunc sensum; *Petrus est currens*; & sic solum ly *est*, est verbum rectum, & est semper nota eorum, quæ prædicantur, verbum autem *currit*, & similia sunt verba obliqua, & nunquam sunt nota eorum, quæ prædicantur: ex quo à ratione verbi Logici excluduntur.

8 Pro completa nominis, & verbi notitia notandum est, quod aliqui sic nomen definiunt: *Nomen est, quod declinatur per casus*, & sic

sic volunt, quod omnes casus participent rationem nominis; verbum autem sic definiunt; *Verbum est, quod conjugatur per tempora, &* sic volunt, quod omnia verba, & omnia illorum tempora participent rationem verbi, quod totum verum est, loquendo de nomine, & verbo grammaticaliter sumptis: non verò dialecticè, seu logicè, ut accipiuntur in præsenti, quia, cùm ut sic, ad constituendam propositionem ordinentur, & solùm nomen in casu recto, scilicet in nominativo, & verbum in tempore recto, scilicet in tempore præsenti; & hoc solùm verbum *sum, es, fui*, possunt constituere propositionem, ut patet ex dictis, illis solùm convenit propria ratio nominis, & verbi dialectici, seu logicalis.

9 Arist. 1. Periherm. sic orationem definivit: *Oratio est vox significativa ad placitum, cujus aliqua pars separatim significat, ut dictio, non ue affirmatio, aut negatio.* Hæc definitio communiter admittitur à Philosophis, & sic explicatur. Dicitur *vox significativa ad placitum*, in quo convenit oratio cum nomine, & verbo. Dicitur, *cujus aliqua pars separatim significat*, in quo distinguitur à nomine, & verbo. Dicitur, ut *dictio, non ut affirmatio, aut negatio*, per quod intelligitur, quod ad rationem orationis non requiritur, quod pars illius, quæ significat separata, sit affirmatio, vel negatio; sed sufficit, quod sit dictio significativa, quod ita debet intelligi, ut significat separatim idem, quod significat coniunctim in oratione; non tamen propter hoc excluditur à ratione partis orationis affirmatio, vel negatio; nam hæc est verè propositio; *Petrus est homo, est propositio*, & tamen subiectum illius, scilicet, *Petrus est homo*, quod est pars orationis, est affirmatio. Quæ diximus de termino complexo in ratione significandi, possunt hìc applicari:

10 Ex quo colligitur, quo ad rationem ora-

tionis necessariò debent concurrere plures partes aliquo nexu conjunctæ. Sed dubitari solet, an talis nexus debeat esse verbum? An verò sufficiat quælibet grammaticalis unio? Aliqui volunt, quod sit verbum; sed hoc verum est loquendo de oratione grammaticali. Alii autem intendunt, quod sufficiat quælibet unio partium, quod verius apparet; nam definitio, ut est hæc, v. gr. *Animal rationale*, est propriè oratio, & tamen partes illius nullo verbo connectuntur.

11 Dividitur oratio in perfectam, & in imperfectam. Perfecta est, quæ generat perfectum sensum in mente, ut *Petrus est rationalis*, &c. imperfecta est, quæ non generat perfectum sensum in mente, ut *si amarem*, &c. Quæ divisio videtur grammaticalis; dialectici verò dividunt orationem in enunciativam, definitivam, divisivam, & argumentativam, de quibus in sequentibus agemus.

LIBER SECUNDUS

Sumularum.

POstquam in primo Libro egimus de pertinentibus ad primam intellectus operationem, in hoc secundo de pertinentibus ad secundam venit agendum. Sic ergo

PRIMUM CAPITULUM.

In quo agitur de Modo sciendi.

1 *MOdus sciendi est oratio ignoti manifestativa in ordine ad scientias comparandas*. Dicitur *oratio*, in quo convenit cum aliis orationibus, quæ non sunt modi sciendi, à quibus differt per cæteras definitionis particulas. Communiter dividitur modus sciendi in de-

definitionem, divisionem, & argumentationem. Argumentatio pertinet ad tertiam operationem intellectus; ideòque de illa agitur in tertio Libro; hìc autem de definitione, & divisione.

2 *Definitio est oratio explicans naturam rei:* Dicitur *oratio*, in quo convenit cum aliis orationibus. Dicitur *explicans naturam rei*, in quo differt ab aliis orationibus, quæ non sunt modi sciendi; & etiam à divisione, & argumentatione; quia divisio explicat partes rei; argumentatio verò proprietates, vel aliqua dubia, quæ circa rem se offerunt; nulla autem illarum explicat naturam rei sicut definitio; differt etiam definitio, per prædicta verba, à definitione, quæ solet appellari definitio nominis, quæ tantum explicat nominis significationem, ut quando dicimus: *Dux est, qui alios ducit*; nam hæc non est propriè definitio, & tantum pertinet ad rethoricos, & grammaticos; non verò ad logicos, qui tantum loquuntur de definitione rerum.

3 Dividitur definitio in definitionem metaphysicam, & physicam: Metaphysica est, quæ per conceptus metaphysicos naturam rei explicat: & est duplex, scilicet, quidditativa, & descriptiva. Quidditativa est, quæ explicat naturam rei per differentiam essentialem illius, ut hæc: *Homo est animal rationale*. Descriptiva est, quæ explicat naturam rei per propriam passionem illius, ut hæc: *Homo est animl risibile*.

4 Definitio physica est, quæ explicat naturam rei per causas physicas illius, ideòque etiam dicitur causalis, & est duplex, essentialis scilicet, & accidentalis. Essentialis est, quæ datur per causas intrinsecas, quæ sunt de essentia compositi, ut sunt causæ materialis, & formalis, ut cùm dicimus: *Homo constat corpore, & anima*. Accidentalis est, quæ datur per causas extrinse-

 cas,

cas, quæ non sunt de essentia compositi: ut sunt causæ efficiens, & finalis, ut cum dicimus: *Homo est productus à Deo, & ordinatus ad vitam æternam*.

6 Quinque conditiones requiruntur ad bonam definitionem; prima, quòd constet genere, & differentia, quod est proprium definitionis quidditativæ metaphysicæ, ut hæc: *Homo est animal rationale: animal* est genus, *rationale* est differentia, vel aliquo loco generis, & differentiæ, quod convenit definitioni, physicæ, essentiali, ut hæc: *Homo constat corpore, & anima*, in qua ly *corpore* ponitur loco generis, quia corpus, seu materia est quid determinabile per formam, sicut genus est contrahibile per differentiam, ly *anima* ponitur loco differentiæ, quia anima, seu forma est quid determinaus corpus, seu materiam, sicut differentia est quid contrahens, & deterterminans genus.

6 Secunda conditio est, quòd definitio omni suo definitio, & non aliis, conveniat, quia, cùm definitio debeat explicare essentiam definiti, prout distinctam à quocumque alio, hoc nullatenus posset præstare, nisi omni suo definito, & non aliis, conveniret, ut ex se patet.

7 Tertia conditio est, quod definitio convertatur cum suo definito, ita ut ab uno ad aliud valeat consequentia, tam affirmativè, quàm negativè, ut cùm dicimus: *Est homo: ergo est animal rationale*, & è converso: *Est animal rationale: ergo est homo*. Similiter: *Non est homo: ergo non est animal rationale*, & è converso: *Non est animal rationale: ergo non est homo*. Hæc conditio sequitur ex præcedenti, & ex utraque sequitur, quod omnia prædicata, quæ in re conveniunt definito, conveniunt etiam definitioni, & è contra.

Quar-

8 Quarta conditio est, quòd definitio debet esset clarior suo definito; quia cùm definitio debeat explicare naturam definiti, & explicatio debeat esse clarior explicato, nam quod est æquè ignotum, & confusum, nequit explicare confusum, & ignotum; hinc est, quòd definitio clarior suo definito apparere debet.

9 Quinta conditio est, quòd definitio non sit superflua, neque diminuta, nam si est superflua, potiùs generat confusionem, quàm claritatem, & si est diminuta, non explicat quidquid est definitum. Hæ conditiones conveniunt definitioni quidditativæ, & possunt adaptari definitioni descriptivæ, excepta prima, nam propria passio, per quam datur hæc definitio, non est essentialiter differentia, sed tantùm lato modo.

10 Ut cognoscatur, quibus possit applicari definitio, sciendum est, quòd definitum, cujus essentia, seu natura per definitionem explicatur, quinque etiam debet habere conditiones. Prima est, quod sit ens reale, & sic excluduntur à ratione definiti, impossibilia, negationes, & entia rationis, quæ omnia, cùm non habeant propriam, & rigorosam essentiam, nequeunt quidditativè definiri; sed tantùm definitione latè sumpta, seu nominis.

11 Secunda condititio est, quod definitum sit unum per se, & sic excluduntur à ratione definiti entia per accidens, ut *album*, & per aggregationem, ut *acervus lapidum*, quia licet hujusmodi entia possunt suo modo explicari, non tamen quidditativa definitione definiri, quia non sunt unum, sed plura simpliciter entia.

12 Tertia conditio est, quod definitum in plures conceptus resolvi possit, eò quod definitio quidditativa, ut dictum est, debet constare conceptu generis, vel eo quod ponitur loco generis; & conceptu differentiæ, vel eo quod ponitur loco differentiæ.

13 Quarta conditio est, quod definitum non sit singulare, sed universale; quia singulare non habet aliam essentiam ab essentia speciei, unde essentialiter tantum definitione speciei potest definiri.

14 Quinta conditio est, quod definitum non sit æquivocum, sed univocum; quia definitio debet esse alicuius essentiæ determinatæ, quam solum dicit univocum; æquivocum verò indeterminatè plures essentias continet; unde oritur illud commune proloquium; *Æquivoca prius sunt distinguenda, quam definienda*. Prædictæ conditiones communiter admittuntur à Philosophis, & deducuntur ex Scoto pluribus in locis, & præcipuè in 4. Distinctione 1. quæst. 2.

15 Ex prædictis facilè deducitur quomodo respondendum sit interroganti de definitione; nam si aliquis inquirat, quæ definitio est? Respondendum est, est definitio physica, vel metaphysica. Si autem inquirat, qualis est definitio? Respondendum est, est quidditativa, vel descriptiva; intrinseca, vel extrinseca; bona, vel mala; non autem est dicendum, vera, vel falsa; quia veritas, vel falsitas, proprietates sunt enuntiationis; non verò definitionis.

16 *Divisio est oratio distribuens commune per minus communia*, seu ut alii dicunt, *est oratio totum in suas partes distribuens*. Quæ definitio sic explicatur. Dicitur *oratio*, in quo convenit cum aliis orationibus, quæ divisiones non sunt. Per alias particulas differt ab aliis orationibus, quæ non sunt divisiones. Ubi advertendum est, quod illud, quod dividitur vocatur divisum, & partes, in quas dividitur dicuntur membra dividentia.

17 Pro clariori notitia advertendum est, quod divisibile, seu divisum multipliciter sumitur. Primò dicitur divisum totum quantitativum, seu integrale, & hoc dividitur in suas par-

partes quantitativas, seu integrales, quæ sunt in duplici differentia scilicet, homogeneæ, seu ejusdem rationis, & ætherogeneæ, seu diversæ rationis; quando totum dividitur in partes ejusdem rationis, ut aqua in suas partes, dicitur divisio homogenea; quando verò in partes diversæ rationis, ut homo in caput, manus, pedes, &c. dicitur divisio æthereogenea. Hæc divisio pertinet ad mathematicos.

18 Secundo dicitur divisum totum essentiale, & est duplex physicum scilicet, & metaphysicum. Physicum est, quod constat partibus physicis, in quas dividitur, ut homo in corpus, & animam, & hæc divisio dicitur physica, & pertinet ad physicos. Metaphysicum est, quod constat partibus metaphysicis, in quas dividitur, ut homo in animalitatem, & rationalitatem, & hæc divisio dicitur mataphysica, & pertinet ad metaphysicos.

19 Tertiò dicitur divisum totum logicum, & est quædam ratio, quæ à logico consideratur, ut quid commune pluribus illam participantibus, ut quando animal dividitur in rationale, & irrationale: quæ divisio dicitur logica, & pertinet ad logicos; ideòque de illa præcipuè agimus in præsenti. Ex quo cognoscitur, quod prima definitio est propria divisionis logicæ; secunda verò divisionis in communi, prout omnes supradictas sub se comprehendit.

20 Hæc ergo divisio logica dividitur in divisionem per se, & per accidens. Divisio per se dicitur quando divisum per se convenit inferioribus, ut quando animal dividitur in rationale, & irrationabile. Hæc essentialis divisio, vel est transcendentalis, vel generis in species, vel speciei in individua, ad quorum cognitionem attendenda est ratio divisi, & membrorum dividentium, ex quibus divisio sumit denominationem. Quod clarè patebit in logica in arbore prædicamentali.

21 Divisio logica per accidens dicitur quando divisum accidentaliter convenit membris dividentibus, & est triplex; prima dicitur divisio accidentis in subjecta, ut quando dividitur album in hominem, & equum. Secunda dicitur subjecti in accidentia, ut quando dividitur homo in album, & nigrum. Tertia dicitur accidentis in accidentia, ut quando dividitur album in dulce, & amarum. Aliter dividitur divisio in divisionem univoci in univocata; æquivoci in æquivocata; & analogi in analogata, quod patet ex dictis circa hos terminos.

22 Quinque communiter assignantur conditiones ad rationem bonæ divisionis. Prima est, quòd divisum participetur æqualiter à membris dividentibus, quod præcipuè intelligitur de divisione univoca. Secunda, quòd membra dividentia habeant inter se aliquam distinctionem, & oppositionem, seu incompossibilitatem in unico conceptu. Tertia, quòd divisum prædicetur de membris dividentibus seorsim, vel conjunctim sumptis. Quarta, quòd unum membrum dividens non prædicetur de alio. Quinta, quòd membra dividentia adæquent divisum. Aliæ conditiones solent ab aliquibus adduci, sed certè omnes facilè reducuntur ad prædictas.

23 Ex quibus facilè deducitur quomodo sit arguendum circa divisionem; etenim à diviso ad omnia membra dividentia simul valet consequentia, & similitet à membris dividentibus simul ad divisum, tam affirmativè, quàm negativè, à diviso ad quodlibet membrum dividens seorsim valet negativè, non verò affirmativè, è contra verò à quolibet membro dividente seorsim ad divisum valet affirmativè, non verò negativè; ab uno membro dividente ad aliud non valet affirmativè, nec negativè; quod omne facilè potest reduci ad praxim in di-

vi-

visione v. g. animalis, quod dividitur in rationale, & irrationale.

24 Deducitur etiam quomodo responderi debeat interroganti circa divisionem: si enim inquirat, quæ sit divisio? Respondendum est, est mathematica, physica, metaphysica, vel logica: per se, vel per accidens; si autem inquirat, qualis sit? Respondendum est, vel generis in species, vel subjecti in accidentia, univoci in univocata, &c. bona, vel mala; non autem vera, vel falsa; quia ut dictum est veritas, & falsitas non sunt proprietates divisionis, sed enunciationis, de qua infrà.

SECUNDUM CAPITULUM.

In quo agitur de Enunciatione, & de eius divisionibus.

1 PRo hujus capituli intelligentia notandum est, quod enunciatio etiam solet dici propositio, & aliqui prolixè contendunt, an eadem sit ratio formalis enunciationis, & propositionis? Jam verò, juxta communem usum, pro eodem usurpantur, & solum denominativè invenitur differentia, scilicet, quod dicitur enunciatio quatenus independenter, & sine respectu ad aliud aliquid affirmat, vel negat; & dicitur propositio per ordinem, & respectum ad syllogismum, qui ex prositionibus componitur. Quo notato

2 Duplex definitio enunciationis, seu propositionis solet adduci ab Authoribus deducta ex Arist. 1. Perierm. cap. 4. prima est: *Enunciatio, seu propositio est oratio verè, vel falsè significans*, Secunda est: *Enunciatio est oratio affirmans, vel negans*. Propter hoc divisi sunt Authores in assignanda essentiali definitione enunciationis; sed exactum examen circa hoc relinquitur ad disputationes.

3 Pro nunc autem dicimus, quod *propositio est oratio enunciativa, seu judicativa unius de alio*. Hæc est communior definitio, præcipuè inter Scotistas: Cujus bonitas etiam in disputationibus patebit.

4 Pro divisionibus propositionis notandum est, quod sicut in quolibet composito substantiali hæc quatuor inveniuntur, scilicet, materia, forma, quantitas, & qualitas; similiter etiam reperiuntur in propositione. Forma propositionis est copula in propositionibus categoricis, & nota illationis in hypoteticis, de quibus infra. Materia propositionis est habitudo prædicati ad subjectum in categoricis, & consequentis ad antecedens, vel è contra in hypoteticis. Hæc materia est triplex, scilicet, naturalis, & est quando prædicatum est de essentia, vel est propria passio subjecti, vel consequens respectu antecedentis; contingens, & est quando prædicatum potest affirmari, vel negari de subjecto, salva illius essentia, idem est suo modo de consequenti respectu antecedentis, & remota, & est quando prædicatum repugnat subjecto, vel consequens antecedenti. Qualitas est affectio propositionis, & hæc est duplex. Prima secundùm rem, ut sunt omnia accidentia. Secunda secundùm modum, ut est, quod prædicatur per modum qualitatis, licèt sit de essentia subjecti, ut sunt differentiæ essentiales. Quantitas est extensio subjecti ad plura, vel pauciora, ut quando afficitur aliquo ex his signis; *Omnis*, *aliquis*, &c.

5 Primò dividitur propositio in communi, in categoricam, & hypoteticam. Categorica, quæ sic dicitur à verbo græco *categoreo*, quod idem est ac latinè *absolutè prædico*, dicitur illa; quæ absolutè, & sine dependentia ab alio enuntiat unum de alio, ut *homo est albus*. Hypotetica, quæ sic dicitur à verbo græco *hypotesis*, quod idem est ac latinè *suppositio*, est il-

la,

la, quæ unum de alio enuntiat ex aliqua suppositione, ut *si Sol lucet, dies est*.

6 Propositio categorica rursus dividitur in absolutam, & modalem. Absoluta est, in qua non explicatur modus, quo prædicatum convenit subjecto, ut *homo currit*. Modalis est, quæ explicat modum, quo prædicatum convenit subjecto, ut *homo contingenter currit*.

7 Propositio, tam categorica, quam hypotetica, subdividitur in complexam, & in incomplexam. Categorica incomplexa est quælibet propositio simplex, ut *Petrus currit*. Complexa est conjunctio duarum, vel plurium propositionum simplicium, & est duplex, scilicet, copulativa, ut quando intervenit conjunctio, *&*, ut, *Petrus currit, & Joannes audit*, & disjunctiva, ut quando intervenit disjunctio *vel*, ut *Petrus currit, vel Joannes audit*, ad veritatem prioris requiritur veritas utriusque categoricæ simplicis; ad veritatem verò posterioris sufficit veritas cujuslibet simplicis. Propositio hypotetica incomplexa dicitur, quando enuntiat unum de alio ex una tantum suppositione, ut *si Sol lucet, dies est*. Complexa dicitur quando enunciat unum de alio ex duplici suppositione, ut *si Sol lucet, & mundum illustrat, resplendent montes*. Tam propositio categorica, quàm hypotetica ampliùs dividuntur ratione formæ, materiæ, quantitatis, & qualitatis, de quibus suo ordine loquemur.

8 Igitur propositio categorica dividitur ratione formæ in constantem verbo substantivo, ut *homo est albus*, & in constantem verbo adjectivo, ut *homo currit*; utraque dividitur juxta diversa tempora verborum.

9 Propositio categorica ratione materiæ dividitur in necessariam, contingentem, & impossibilem. Necessaria est affirmativa in materia naturali, ut *homo est animal*, & negativa in materia remota, ut *homo non est lapis*. Con-

tingens est negativa, & affirmativa in materia contingenti, ut *homo currit, homo non currit*. Impossibilis est affirmativa in materia remota, ut *homo est lapis*, & negativa in materia naturali, ut *homo non est animal*.

10 Propositio categorica dividitur in affirmativam, & negativam. Affirmativa est, quando copula nullam habet negationem, ut *homo est animal*. Negativa est, quando copula habet negationem, ut *homo non est animal*. Quælibet istarum subdividitur in veram, & falsam, vera dicitur, quæ significat rem sicuti est, ut *homo est animal: homo non est lapis*; falsa est, quæ significat rem aliter ac est, ut *homo est lapis; homo non est animal*.

11 Propositio categorica ratione quantitatis dividitur in universalem, particularem, indefinitam, & singularem. Universalis est, in qua subiectum commune signo universali afficitur, ut *omnis homo est animal*. Particularis est, in qua subiectum commune afficitur signo particulari, ut *aliquis homo est animal*. Indefinita (quæ sic dicitur, quia non determinat quantitatem) est in qua subiectum commune nullo signo afficitur, ut *homo est animal*: Pro cuius maiori intelligentia notandum est, quòd si propositio indefinita est in materia naturali, æquivalet universali, idem enim est dicere; *Homo est animal*, ac *omnis homo est animal*; similiter dicendum est in materia remota, idem enim est dicere; *Homo non est lapis*, ac *nullus homo est lapis*; si autem propositio fiat in materia contingenti, æquivalet particulari, idem enim est dicere: *Homo est albus*, ac *aliquis homo est albus*. Singularis est, in qua subiectum est singulare, ut *Petrus est homo*; *hic homo est albus*.

12 Propositio hypothetica ratione formæ dividitur in conditionalem, causalem, & rationalem. Conditionalis est, in qua nota illa-

tio-

tionis est particula *si*, ut, *si Sol lucet, dies est*. Causalis est, in qua nota illationis est particula *quia*, ut, *quia homo est rationalis, est risibilis*. Rationalis est, in qua nota illationis est particula *ergo*, ut, *Petrus currit; ergo movetur*.

13 Propositio hypothetica ratione materiæ etiam dividitur in necessariam, impossibilem, & contingentem. Necessaria est affirmativa in materia naturali, quando consequens est affirmativum, ut *si est homo, est rationalis*: & negativa, quando consequens est negativum; ut, *non si est homo, non est rationalis*; & affirmativa in materia remota, quando consequens est negativum, ut, *si est homo, non est lapis*; & negativa, quando consequens est affirmativum, ut *non si est homo, est lapis*. Impossibilis est affirmativa in materia naturali, quando consequens est negativum, ut, *si est homo, non est rationalis*; & negativa, quando consequens est affirmativum, ut *non si est homo, est rationalis*; & affirmativa in materia remota, quando consequens est affirmativum, ut, *si est homo, est lapis*: & negativa, quando consequens est negativum, ut *non si est homo, non est lapis*. Contingens est, tam affirmativa, quàm negativa in materia contingenti, sive consequens sit affirmativum, si negativum, ut *si est homo, est albus*: *si est homo, non est albus*: *non si est homo, est albus*; *non si est homo, non est albus*.

14 Propositio hypothetica ratione qualitatis dividitur in affirmativam, & negativam. Affirmativa est, in qua nota illationis nullam negationem habet, ut, *si est homo, est rationalis*. Negativa est, quando nota illationis negationem habet, ut, *non si est homo, est rationalis*. Utraque dividitur in veram, & falsam, modo dicto de propositione categorica.

15 Aliqua præ oculis habenda sunt, ut veritas, vel falsitas propositionis hypotheticæ cognoscatur. Primum, quod, ut conditionalis sit

vera,

vera, ſolum requiritur bonitas conſequentiæ, id eſt, ut unum ex alio rectè inferatur, ſive ſuppoſitio ſit vera, ſive falſa, ut *ſi eſt homo, eſt rationalis*; *ſi homo non habet intellectum, non intelligit*. Secundum, quod ad veritatem rationalis, non ſufficit bonitas conſequentiæ, ſed etiam requiritur, quod ſuppoſitio ſit vera, ut *Petrus currit; ergo movetur*, erit ſuppoſitio vera, ſi vera ſit propoſitio, ſcilicet, quod Petrus currit; ſi autem ſuppoſitio fuerit falſa, tota propoſitio erit falſa, licet conſequentia ſit bona. Tertium, quod ad veritatem cauſalis, non ſufficit bonitas conſequentiæ, neque, quod ſuppoſitio ſit vera, ſed etiam requiritur, quod id, quod ſupponitur, ſit cauſa illius, quod ſequitur; unde hæc propoſitio eſt vera; *Quia homo eſt rationalis, eſt riſibilis*; quia rationalitas eſt cauſa riſibilitatis in homine; hæc autem eſt falſa *Quia homo eſt riſibilis, eſt rationalis*; quia licet bene inferatur conſequentia, & ſuppoſitio ſit vera, tamen riſibilitas non eſt cauſa rationalitatis in homine.

16 Propoſitio hypotetica ratione quantitatis dividitur in univerſalem, particularem, indefinitam, & ſingularem, modo dicto de propoſitione categorica, cum hac tamen advertentia, quod quantitas propoſitionis hypoteticæ deſumitur ex quantitate propoſitionis categoricæ, quæ habet rationem antecedentis; ſeu ſuppoſitionis in illa.

17 Ex quibus facilè deducitur quomodo reſpondendum ſit inquirenti circa propoſitionem; ſi enim inquirat, quæ ſit propoſitio? Reſpondendum eſt, eſt categorica, vel hypotetica; eſt affirmativa, vel negativa; ſi autem inquirat, qualis ſit propoſitio? Reſpondendum eſt, eſt vera, vel falſa; & etiam poteſt reſponderi, eſt affirmativa, vel negativa; quia, licet affirmatio, & negatio ſit differentiæ eſſentialis propoſitionis, ut ſuo loco dicemus; tamen prædican-

tur

tur de propositione per modum qualitatis, seu in *quale quid*: Si demum inquirat, quanta sit propositio? Respondendum est, est universalis, particularis, indefinita, vel singularis.

TERTIUM CAPITULUM.

In quo agitur de oppositione propositionum.


1 Oppositio propositionum, *est duarum propositionum utrumque extremum eodem ordine participantium repugnantia*. Quæ definitio sic explicatur. Dicitur, *utrumque extremum eodem ordine participantium*, per quod datur intelligi; quod ad oppositionem necessario requiritur, quod propositiones, quæ opponuntur, eisdem terminis constent, id est, quod subjectum unius sit subjectum alterius, & prædicatum unius sit prædicatum alterius; quod debet intelligi secundum rem significatam, secundùm integritatem, secundùm tempus, & secundùm locum; & etiam, quod in terminis debet observari eadem suppositio, diminutio, ampliatio, restrictio, & appellatio, nisi hæ ratione quantitatis proveniant.

2 Quod clarius patebit his exemplis; hæ propositiones: *Canis est latrabilis*; *Canis non est latrabilis*, non sunt oppositæ; quia, cum terminus *Canis* sit æquivocus, non servat eamdem significationem in utraque propositione. Hæ propositiones; *Petrus disputat*; *Petrus non disputat bene*, non sunt oppositæ; quia non servatur integritas in prædicato. Hæ propositiones: *Petrus currit*; *Petrus non currebat*, non sunt oppositæ; quia non servant idem tempus. Hæ propositiones; *Christus est in Sacramento sub speciebus panis, & vini*: *Christus non est in Cœlo sub speciebus panis, & vini*, non sunt oppositæ; quia non servant eumdem locum. Hæ propositiones; *Petrus est nomen*: *Petrus non est nomen* non sunt

oppo-

oppositæ, quia non servatur eadem suppositio; in prima enim supponitur. *Petrus* materialiter pro ipsa voce; in secunda verò formaliter pro re significata. Hæ propositiones: *Aethiops est albus secundum dentes; Aethiops non est albus*, non sunt oppositæ; quia non servant eamdem diminutionem. Hæ propositiones: *Justus peccabat; justus non peccat*, non sunt oppositæ: quia non servant ampliationem. Hæ propositiones: *Homo currit; homo albus non currit*, non sunt oppositæ, quia non servant restrictionem. Hæ propositiones: *Petrus est magnus scholasticus*: *Petrus magnus non est scholasticus*, non sunt oppositæ; quia non servant eamdem appellationem. Idem dicendum est, quando variatur quælibet alia affectio terminorum.

3 Oppositio propositionum dividitur in contradictoriam, contrariam, subcontrariam, & subalternam. *Oppositio contradictoria est repugnantia duarum propositionum secundum qualitatem, & quantitatem. Oppositio contraria est repugnantia duarum propositionum universalium secundum qualitatem tantum. Oppositio subcontraria est repugnantia duarum propositionum particularium secundum qualitatem tantùm. Oppositio subalterna est repugnantia duarum propositionum secundum quantitatem tantùm*; ex quibus universalis dicitur subalternans, particularis verò dicitur subalternata. Exempla omnium prædictarum oppositionum in sequenti figura clarè videntur.



4 Advertendum tamen est, quòd Aristot. 1. Prior. sic oppositionem definivit; *Oppositio est affirmatio, & negatio ejusdem de eodem*. Sed, ut communiter notant dialectici hìc, solùm definivit oppositionem rigorosè sumptam, quæ datur per oppositionem in qualitate; & sic non comprehendit oppositionem subalternam, quæ non est propriè oppositio; cùm tantum sumatur secundùm quantitatem; sed jam etiam hæc oppositio subalterna communiter inrer oppositiones numeratur.

5 Aliquæ leges conveniunt prædictis oppositionibus. Primò, contradictoriis hæ leges applicantur; prima, quòd una sit universalis, & alia particularis; quia opponuntur in quantitate Secunda, quòd una sit affirmativa, & altera negativa, quia opponuntur etiam in qualitate. Tertia, quòd una sit vera, & altera falsa, quia secundùm Arist. 4. Metaph. cap. 3. *de quolibet est affirmatio, vel negatio, seu quodlibet est, vel non est*:

&

& cùm in contradictoriis una propositio affirmet convenire subjecto, quod altera negat, necessariò una debet esse vera, & altera falsa, & numquam possunt esse simul veræ, nec simul falsæ.

6 Secundò, contrariis hæ leges applicantur: Prima, quòd utraque propositio sit universalis; quia non opponuntur in quantitate. Secunda, quòd una sit affirmativa, & altera negativa; quia opponuntur in qualitate. Tertia, quòd non possunt esse simul veræ, nec simul falsæ in materia naturali, vel remota; sed hoc provenit ratione materiæ, ut contingit in his propositionibus: *Omnis homo est animal, nullus homo est animal*, quarum prima necessariò est vera, & secunda necessariò falsa; & in his: *Omnis homo est lapis: nullus homo est lapis*, quarum prima necessariò est falsa, & secunda necessariò vera. Ratione autem formæ possunt esse simul falsæ; nullatenus tamen simul veræ; ut patet in his de materia contingenti: *Omnis homo est albus: nullus homo est albus*, quarum prima, si detur aliquis homo, qui non sit albus, est falsa, & secunda, si detur aliquis homo, qui sit albus, etiam est falsa; nullatenus tamen prædictæ propositiones possunt esse simul veræ; nam ex opposito sequeretur, quod daretur duplex contradictorium simul verum, quod est impossibile. Quòd patet: quia, si supradictæ propositiones contrariæ essent simul veræ, etiam subcontrariæ essent simul veræ, quia inferuntur ex contrariis, & ex vero semper sequitur verum; & cùm una ex subcontrariis, quæ est subalterna unius contrariæ sit contradictoria alterius contrariæ, jam daretur duplex contradictorium simul verum, quod est impossibile.

7 Tertiò, subcontrariis hæ leges applicantur: prima, quòd utraque sit particularis; quia non opponuntur in quantitate. Secunda, quod una sit affirmativa, & altera negativa; quia opponun-

nuntur in qualitate. Tertia, quòd una sit vera, & altera falsa in materia naturali,& remota:sed hoc provenit ratione materiæ, ut contigit in his propositionibus: *Aliquis homo est animal: aliquis homo non est animal*, quarum prima necessariò est vera, & secunda necessariò falsa; & in his. *Aliquis homo est lapis: aliquis homo non est lapis*, quarum prima necessariò est falsa, & secunda necessariò vera; ratione autem formæ possunt esse simul veræ; nullatenus tamen simul falsæ: ut patet in his de materia contingenti: *Aliquis homo est albus: aliquis homo non est albus*, quæ, ut patet, sunt simul veræ; nullatenus tamen possunt esse simul falsę;quia daretur duplex contradictorium simul falsum, quod est impossibile; patet hoc, quia, si propositiones subcontrariæ essent simul falsæ, earum subalternantes etiam essent falsæ; nam ut universalis sit falsa, sufficit, quòd aliqua particularis sit falsa, & cum subalternantes opponantur contradictoriè subcontrariis, si istæ sunt simul falsæ, necessariò dabitur duplex contradictorium simul falsum, quod est impossibile.

8 Quartò, subalternis hæ leges applicandæ sunt, prima, quod una sit universalis, & altera particularis; quia opponuntur in quantitate. Secunda, quòd utraque sit affirmativa, vel utraque negativa; quia non opponuntur in qualitate. Tertia, quòd si universalis est vera, etiam particularis debet esse vera; quia ex eo universalis dicitur vera, quia omnes particulares sunt veræ. Quarta, quòd si particularis est falsa, etiam universalis debet esse falsa; quia ad falsitatem universalis sufficit falsitas alicujus particularis. Quinta, quòd non possit esse particularis vera, & universalis falsa: neque universalis falsa; & particularis vera; sed hoc provenit ratione materiæ in materia naturali, vel remota; ut patet in his propositionibus: *Omnis homo est animal; aliquis homo est animal*, utraque enim est

est necessariò vera; & in his; *Omnis homo est lapis: aliquis homo est lapis;* utraque enim est necessariò falsa; & in his: *Nullus homo est animal; aliquis homo non est animal*, utraque enim est necessariò falsa, & in his: *Nullus homo est lapis; aliquis homo non est lapis*, utraque enim est necessariò vera: ratione autem formæ potest particularis esse vera, & universalis falsa, ut patet in his de materia contingenti: *Omnis homo est albus; aliquis homo est albus*; & similiter, in his: *Nullus homo est albus; aliquis homo non est albus*.

9 Pro majori autem claritate observandum est, quod prædictæ leges intelliguntur de oppositione propositionum, etiam secundùm quantitatem; quia sic sunt receptæ juxta communem usum dialecticorum; absolutè autem loquendo, & præscindendo à quantitate, hæ leges tantùm conveniunt propositionibus oppositis, scilicet, quod contradictoriæ non possunt esse simul veræ, nec simul falsæ; contrariæ autem possunt esse simul falsæ; non tamen simul veræ; & subcontrariæ possunt esse simul veræ, non tamen simul falsæ: ad quas oppositiones necessariò requiritur, quòd una propositio sit affirmativa, & altera negativa, id est, quod præcipua copula sit, vel non sit affecta negatione; & diximus notanter *præcipua copula*; quia si hæc non negetur, licet altera copula negetur, propositio erit affirmativa, ut in hac propositione: *Petrus, qui non est albus, currit*, in qua non negatur præcipua copula, quæ est *currit*; licet negetur altera, quæ est, *est*; ideòque propositio est affirmativa; etiam dicitur propositio negativa quando subjectum afficitur signo negativo, ut *nullus homo est lapis*.

10 Ex dictis colligitur, quod plures propositiones, præter prædictas, possunt esse oppositæ, licet careant quantitate, seu signis quantitativis, sive talibus signis afficiantur, licet non ordi-

ordine ſupradicto, quibus poſſunt convenire leges prædictarum oppoſitionum, & ſic, dicuntur oppoſitæ, non de modo, qui eſt habitudo unius ad alterum ſecundum quantitatem; ſed de lege, in quibus propoſitionibus attendenda eſt lex, quæ illis convenit, ut ſi non poſſunt eſſe ſimul falſæ, &c. & juxta illam legem erit earum oppoſitio, v.gr. hæ propoſitiones: *Petrus eſt albus*: *Petrus non eſt albus* ſunt contradictoriæ de lege; quia convenit illis lex contradictoriarum, ſcilicet, quod non poſſint eſſe ſimul veræ, nec ſimul falſæ; & hæ *omnis homo eſt albus*: *Petrus non eſt albus*, ſunt contrariæ de lege; quia convenit illis lex contrariarum, ſcilicet, quod poſſint eſſe ſimul falſæ; non tamen ſimul veræ. Idem dicendum eſt de quibuſcumque aliis propoſitionibus oppoſitis, quibus conveniat lex alicujus oppoſitionis.

QVARTVM CAPITVLVM.

In quo agitur de æquipollentia ſimplicium propoſitionum.

1 Æ*Quipollentia eſt quadam æquivalentia, ſeu convenientia duarum propoſitionum oppoſitarum ratione alicujus negationis adjuncta.* & cùm plures ſint oppoſitiones propoſitionum, pro qualibet oppoſitione aliquæ regulæ aſſignantur, ut prædictæ propoſitiones opppoſitæ æquipollentes fiant.

2 Igitur propoſitiones contradictoriæ fiunt æquipollentes, ſi præponatur negatio alicui illarum, v.gr. ſi huic propoſitioni: *Omnis homo eſt albus* præponatur negatio non infinitanter, ſed negativè ſumpta, æquivalet huic: *Aliquis homo non eſt albus*, quæ eſt contradictoria illius; ſimiliter ſi huic ultimæ præponatur negatio, æquivalet primæ. Ratio huius eſt, quia, cùm negatio negans deſtruat omnia, quæ invenit
poſt

post se, si propositio est affirmativa, non solùm mutat signum universale in particulare, vel particulare in universale, sed etiam negat copulam, & sic propositio redditur negativa, vel universalis, vel particularis, sicut ejus contradictoria; si autem propositio est negativa, negatio, quæ anteponitur, non solùm mutat signum particulare in universale, vel universale in particulare; sed etiam affirmat copulam; quia duæ negationes affirmant, & sic propositio redditur affirmativa, & universalis, vel particularis, sicut ejus contradictoria.

3 Propositiones contrariæ fiunt æquipollentes si postponatur aliqua negatio subjecto alicujus, v.gr. si hujus propositionis subjecto: *Omnis homo est albus* postponatur negatio, æquivalet huic: *Nullus homo est albus*, & si subjecto hujus postponatur negatio, æquivalet supradictæ, quę est illius contraria. Ratio est, quia ratione illius negationis, affirmativa redditur negativa, & negativa redditur affirmativa, eo quod duplex negatio affirmat; & cum non præponatur negatio signo, utraque remanet universalis.

4 Propositiones subalternæ fiunt ęquipollentes, si negatio anteponatur, & postponatur subjecto alicujus, v.gr. si hujus propositionis subjecto: *Omnis homo est albus* anteponatur, & postponatur negatio, æquivalet huic: *Aliquis homo est albus*, & si subjecto huius anteponatur, & postponatur negatio, æquivalet supradictæ, quæ est ejus subalterna. Ratio est, quia cùm duplex negatio affirmet, si subjecto cujuslibet propositionis anteponatur, & postponatur negatio, propositio affirmativa remanet affirmativa; & propositio negativa remanet negativa; & cum negatio præponatur signo propositionis, si est universale, redditur particulare, & si est particulare, redditur universale: quod breviter hoc versiculo solet explicari:

Præ,

Præ, contradic, Post, contra, Præ, postque, Subalter.

Præ, contradic, denotat, propositiones contradictorias fieri æquipollentes præposita negatione subjecto alicujus. *Post*, *contra*, denotat, contrarias fieri æquipollentes postposita negatione subjecto alicujus. *Præ*, *postque*, *subalter*, denotat, subalternas fieri æquipollentes anteposita, & postposita negatione subjecto alicujus. Hoc etiam his versiculis solet explicari:

Non omnis, quidam non: omnis, non, quasi nullus:
Non nullus, quidam: Sed nullus non, valet omnis:
Non aliquis, nullus; non quidam non, valet omnis:
Non alter, neuter: neuter non, valet, utrūque.

Omnia dicta in hac quæstione inveniuntur in tribus primis versiculis; quia in illis declaratur æquivalentia signorum ratione negationis antepositæ, vel postpositæ, & si aliquid deficiat, ad similitudinem aliorum deduci potest.

5 Vltimus versiculus ponitur ad declarandam æquipollentiam propositionum oppositarum, quæ constant his signis, scilicet, *alter*, quod est particulare affirmativum; *neuter*, quod est universale negativum, & *uterque*, quod est universale affirmativum, igitur istæ propositiones contradictoriæ: *Neuter homo est albus*; *alter homo est albus*, fiunt æquipollentes præposita negatione subjecto alicujus: istæ contrariæ: *Uterque homo est albus*; *neuter homo est albus*: fiunt æquipollentes postposita negatione alicujus subjecto: istæ verò subalternæ: *Uterque homo est albus*; *alter homo est albus*: fiunt æquipollentes, ante posita, & post posita negatione subjecto alicujus.

6 Propositiones subalternæ non fiunt æquippolentes, quia si alicui pręponatur negatio, ęquivalet suæ contradictoriæ, si postponatur, est eadem

dem cum alia ſubcontraria; ſi anteponatur, & poſtponatur, æquivalet ſuæ ſubſtantiæ, ſi autem negativæ præponatur alia negatio ante negationem, quam habet, benè poteſt æquivalere ſuæ ſubcontrariæ affirmativæ, quia duplex negatio affirmat dicendo, v.gr. *Aliquis homo non eſt albus*, æquivalet huic; *Aliquis homo eſt albus*; ſed hæc æquipollentia non eſt in uſu.

7 Vt præ oculis facilius habeas, quæ propoſitiones ſunt ęquipollentes ratione negationis adjunctæ, notare debes, propoſitiones ex quatuor ſignis componi, ſcilicet, *omnis* univerſali affirmativo, *nullus* univerſali negativo; *aliquis*, & *quidam* particularibus affirmativis, quę idem valent; etiam notare debes, has quatuor voces, *purpurea, amabimus, iliace, edentibus*, inventas eſse ad cognoſcendam æquipollentiam, & oppoſitionem propoſitionum modalium, ſed etiam hic applicari poſsunt. Quælibet illarum habet quatuor litteras vocales, ſcilicet. A, E, I, V, A, denotat affirmationem omnìmodam in propoſitione, tàm in ſigno, quàm in copula; X, omnimodam ngationem; E, negationem in copula, & non in ſigno; I, negationem in ſigno, & non in copula. Prima littera cuiuslibet vocis ſupradictæ correſpondet propoſitioni factæ in ſigno *aliquis*; ſecunda littera, propoſitioni factæ in ſigno *quidam*; tertia propoſitioni factæ in ſigno *nullus*; quarta propoſitioni factæ in ſigno *omnis*.

8 Ex quibus facilè cognoſcitur, omnes propoſitiones factas in qualibet voce, eſse inter ſe æquipollentes, & omnes factas in *purpurea*, eſse contrarias omnium, quæ fiunt in *iliace* & contradictorias omnium, quæ fiunt in *edentuli*, & ſubalternas omnium, quæ fiunt in *amabimus* Ex quo facilè deducitur quomodo omnes aliæ propoſitiones inter ſe opponantur. Quod omne clarè videtur in ſequenti figura, & etiam æquipollentia, & oppoſitio propoſitionum, quæ fiunt in ſignis, *alter, neuter, uterque*, ablata una littera à ſupradictis vocibus.

	ÆQUIPOLLENTES.			ÆQUIPOLLENTES.
Pu	Non alter homo non est albus		Li	Non alter homo est albus
Re	Neuter homo non est albus	Contrariæ	A	Neuter homo est albus
A	Uterque homo est albus		Ce	Uterq; homo non est albus
Pur	Non aliquis homo non est albus		I	Non aliquis homo est albus
Pu	Non quidam homo non est albus	Contrariæ	Li	Non quidam homo est albus
Re	Nullus homo non est albus		A	Nullus homo est albus
A	Omnis homo est albus		Ce	Omnis homo non est albus

Subalternæ — Contradictoriæ — Contradictoriæ — Subalternæ

	ÆQUIPOLLENTES.			ÆQUIPOLLENTES.
Ma	Alter homo est albus		Den	Alter homo non est albus
Bi	Non neuter homo est albus	Subcontrariæ	Tu	Non neuter homo non est albus
Mus	Non uterq; homo non est albus		Li	Non uterq; homo est albus
A	Aliquis homo est albus		E	Aliquis homo non est albus
Ma	Quidam homo est albus	Subcontrariæ	Den	Quidam homo non est albus
Bi	Non nullus homo est albus		Tu	Non nullus homo non est albus
Mus	Non omnis homo non est albus		Li	Non omnis homo est albus

9 Si volueris cognoscere, quam oppositionem habeant inter se aliquæ propositiones? Vel an sint æquipollentes, in sequenti tabula facilè invenies hoc modo: vide unam ex illis propositionibus in prima linea, & aliam in secunda; & numerus illis correspondens manifestabit tibi qualitatem illarum; v. g. si scire desideras, cujus generis sint hæ propositiones: *Aliquis homo est albus: non omnis homo non est albus*, vide unam ex illis in prima linea, & alteram in secunda, vel è contra, & invenies numerum sextum illis correspondere, & tibi demonstrabit talis numerus in tertia linea, esse æquipollentes.

PRIMA LINEA.

Aliquis homo eſt albus.
Aliquis homo non eſt albus.
Non aliquis homo eſt albus.
Non aliquis homo non eſt albus.
Quidam homo eſt albus.
Quidam homo non eſt albus.
Non quidam homo eſt albus.
Non quidam homo nõ eſt albus.
Nullus homo eſt albus.
Nullus homo non eſt albus.
Non nullus homo eſt albus.
Non nullus homo non eſt albus.
Omnis homo eſt albus.
Omnis homo non eſt albus.
Non omnis homo eſt albus.
Non omnis homo non eſt albus.

TERTIA LINEA.

1 Eadem propoſitio.
2 Contradictoriæ propoſitiones.
3 Contrariæ propoſitiones.
4 Subcontrariæ propoſitiones.
5 Subalternæ propoſitiones.
6 Æquipollentes propoſitiones.

SECUDA LINEA:

1	4	2	5	6	4	2	5	2	5	6	4	5	2	4	6	Aliquis homo est albus.
4	1	5	2	4	6	5	2	5	2	4	6	2	5	6	4	Aliquis homo non est albus.
2	5	1	3	2	5	6	3	6	3	2	5	3	6	5	2	Non aliquis homo est albus.
5	2	3	1	5	2	3	6	2	6	5	2	6	3	2	5	Non aliquis homo non est albus.
6	4	2	5	1	4	2	5	2	5	6	4	5	2	4	6	Quidam homo est albus.
4	6	5	2	4	1	5	2	5	2	4	6	2	5	6	4	Quidam homo non est albus.
2	5	6	3	2	5	1	3	6	3	2	5	3	6	5	2	Non quidam homo est albus.
5	2	3	6	5	2	3	1	2	6	5	2	6	3	2	5	Non quidam homo non est albus
2	5	6	2	2	5	6	2	1	3	2	5	3	2	5	2	Nullus homo est albus.
5	2	3	6	5	2	3	6	3	1	5	2	6	3	2	5	Nullus homo non est albus.
6	4	2	5	6	4	2	5	2	5	1	4	5	2	4	6	Non nullus homo est albus.
4	6	5	2	4	6	5	2	5	2	4	1	2	5	6	4	Non nullus homo non est albus.
5	2	3	6	5	2	3	6	3	6	5	2	1	3	2	5	Omnis homo est albus.
2	5	6	3	2	5	6	3	2	3	2	5	3	1	5	2	Omnis homo non est albus.
4	6	5	2	4	6	5	2	5	2	4	6	2	5	1	4	Non omnis homo est albus.
6	4	2	5	6	4	2	5	2	5	6	4	5	2	4	1	Non omnis homo non est albus.

QUINTUM CAPITULUM.

In quo agitur de conversione simplicium Propositionum.

1 C*Onversio propositionum est permutatio prædicati in subiectum, & subiecti in prædicatum, servata qualitate*, v. g. hæc propositio, *Aliquis homo est animal*, convertitur in istam: *aliquod animal est homo*; nam subiectum mutatur in prædicatum, & prædicatum in subiectum, & servatur qualitas, scilicet, affirmatio, & veritas, non tamen requiritur ad conversionem, quod servetur eadem quantitas; nam universalis potest fieri particularis, ut infra patebit. Aliqui definiunt conversionem hoc modo, *Est legitima consequentia unius propositionis ex alia per solam transmutationem terminorum*: quæ definitio, ut ex se patet, coincidit cum præcedenti à nobis assignata. Ubi adverte, quòd prima propositio, quæ se habet per modum antecedentis, dicitur conversa; secunda verò, quæ se habet per modum consequentis, dicitur convertens.

2 Tripliciter potest fieri propositionum conversio, scilicet, simpliciter, per accidens, & per contrapositionem. Tunc fit conversio simpliciter, quando non solùm servatur affirmatio, vel negatio, veritas, vel falsitas; sed etiam quantitas, hoc modo convertitur universalis negativa, v. g. *nullus homo est lapis* sic convertitur, *nullus lapis est homo*; & particularis affirmativa, v. g. *aliquis homo est animal* sic convertitur, *aliquod animal est homo*. Tunc fit conversio per accidens, quando non servatur quantitas conversæ in convertente, benè tamen qualitas, hoc modo convertitur universalis affirmativa, v. g. *omnis homo est animal*, sic convertitur, *aliquod animal est homo*; & universalis negativa, v. g.

nul-

nullus homo est lapis, sic convertitur, *aliquis lapis non est homo*. Tunc fit conversio per contrapositionem, quando servata quantitate, & qualitate, termini finiti per negationes fiunt infiniti; hoc modo convertitur universalis affirmativa, v. g. *omnis homo est animal* sic convertitur, *omne non animal est non homo*; & particularis negativa, v. g. *aliquis homo non est lapis*, sic convertitur, *aliquod non lapis non est non homo*. Hæc conversio parum utilis est, quia obscuriorem reddit propositionem.

3 Ut facilius conversio propositionum memoriæ commendetur; his versiculis, qui continent omnia supradicta, utuntur Sumulistæ.

Simpliciter FECI convertitur, EVA per accidens.

ASTO per contra, sic fit conversio tota;

Ad quorum intelligentiam notandum est, quod in illis vocibus inveniuntur quatuor tãtùm litteræ vocales, quæ explicant qualitatem, & quantitatem propositionum. Adnotat universalem affirmativam, E universalem negativam, I particularem affirmativam, O particularem negativam, quod etiam his versiculis solet explicari.

Asserit A, negat E, sunt universaliter ambę.

Asserit I, negat O, sunt particulariter ambo.

Unde ly FECI, quod habet duas litteras vocales, scilicet E, & I, denotat, quod universalis negativa, & particularis affirmativa convertuntur simpliciter. Ly EVA, quòd habet duas litteras vocales E, & A, denotat, quod universalis, tam negativa, quàm affirmativa, convertitur per accidens. Ly ASTO, quod habet duas litteras vocales A, & O, denotat, quod universalis affirmativa, & particularis negativa convertuntur per contrapositionem.

4 Pro maiori claritate conversionis propositionum, aliqua observanda sunt. Primò, quod universalis affirmativa, in qua ponitur pro

prædicato tota essentia subiecti, vel differentia essentialis vel propria passio illius, convertitur etiam simpliciter, v. g. *Omnis homo est animal rationale*, sic convertitur, *Omne animal rationale est homo*. Sed hoc provenit ratione materiæ; nam absolutè loquendo, vel debet converti per accidens, vel per contrapositionem.

5 Secundò observandum est, quod debet servari eadem suppositio: unde hæc propositio; *Homo est species*, non benè convertitur sic; *Species est homo*; quia in prima ly *homo* supponitur suppositione simplici; in secunda verò, suppositione personali; quod non debet intelligi de variatione suppositionis, quæ provenit ratione quantitatis.

6 Tertiò observandum est, quod non debet variari ampliatio; unde hæc propositio, *Senex fuit iuvenis*, non benè convertitur sic, *Iuvenis fuit senex*; quia in prima ly *senex* supponitur pro homine, qui est, & fuit; in secunda verò pro homine, qui solum fuit; sic autem debet converti, *Iuvenis, qui fuit, est senex*. Idem dicendum est de quatibet alia affectione terminorum.

7 Quartò observandum est, quòd integrum prædicatum fiat subiectum; unde hæc prop sitio, *Petrus possidet librum*, non benè convertitur sic, *Liber possidet Petrum*; sic autem debet converti; *Possidens Librum est Petrus*; quia *possidens Librum* est integrum prædicatum propositionis conversæ; nam facit hunc sensum, *Petrus est possidens Librum*. Sit ergo regula generalis, quòd semper servetur in convertente veritas, vel falsitas conversæ; & quòd in bona consequentia convertens ex conversa deducatur. De aliis propositionibus, quæ non propriè convertuntur, sed explicantur, & dicuntur exponibiles, postea agemus.

SEX-

SEXTUM CAPITULUM.

In quo agitur de propositione modali, & eius divisionibus.

1 MOdus, generaliter loquendo, sic solet definiri: *Est adiacens rei determinatio:* & quia in propositione possunt determinari nomen, seu terminus, verbum, & tota propositio, ideò modus est in triplici differentia; alter, qui determinat significationem nominis, seu termini, ut sunt nomina adjectiva, & casus obliqui, ut in his propositionibus: *Homo doctus disputat*: *Filius Ioannis disputat*, alter qui determinat significationem verbi, ut sunt adverbia, juxta sensum grammaticorum, ut in hac propositione: *Petrus currit velociter*; & alter qui determinat totam propositionem, ut sunt quatuor sequentes, juxta communem usum dialecticorum, scilicet, *possibile, contingens, impossibile, necesse*; *possibile*, & *contingens*, pro eodem usurpantur, sed sigillatim loquitur de illis.

2 Ex quo sequitur, quod omnes propositiones affectæ aliquo modo in quolibet sensu ex supradictis potest dici modalis; sed propriè, & rigorosè sola propositio, quæ afficitur aliquo ex quatuor modis supradictis, appellatur à dialecticis modalis, eo quod solum prædicti modi afficiunt, seu modificant totam propositionem; qui modi adhuc possunt dupliciter in propositione collocari, scilicet, adverbialiter, ut in hac propositione: *Petrus possibiliter currit*; & nominaliter, ut in hac, *Petrum currere est possibile*: in primo sensu non induunt rationem extremi propositionis, sed tantùm puræ modificationis; in secundo verò sensu semper sunt prædicatum propositionis in quocumque loco collocentur, & in hoc sensu loquuntur hic dialectici de propositione modali.

3 *Propositio ergo modalis est, qua afficitur modo determinante totam significationem propositionis categorica.* Hæc propositio est quadruplex, juxta quadruplicem modum assignatum. Alia dicitur *de possibile*, alia *de contingens*, alia *de impossibile*, & alia *de necesse*. Ubi adverte, quod propositio modalis constat modo, & dicto, ut in hac propositione: *Possibile est Petrum currere*, in qua ly *possibile* est modus, ly *Petrum currere* est dictum.

4 Dividitur propositio modalis ratione qualitatis in affirmativam, & negativam. Affirmativa est, quando præcipua copula, quæ est illa, quæ correspondet modo, non afficitur negatione; sive copula minus præcipua, quæ est illa, quæ correspondet dicto, afficiatur, vel non afficiatur negatione; unde istę propositiones sunt affirmativæ, *Possibile est Petrum currere, possibile est Petrum non currere.* Negativa est, quando præcipua copula afficitur negatione, sive copula minus præcipua afficiatur, vel non afficiatur negatione; unde istæ propositiones sunt negativæ, *Non est possibile Petrum currere, non est possibile Petrum non currere:* Hæc divisio etiam potest dici ratione formæ, quia præcipua copula est forma propositionis. Ex quo colligitur, in quolibet modo ex prædictis posse fieri quatuor propositiones. Vna in qua negetur modus, & non dictum; alia, in qua negetur dictum, & non modus: alia, in qua totum: alia in qua nihil negetur, quas omnes hic proponemus claritatis gratia.

Possi-

Poſſibile.	Poſſibile eſt, Petrum currere. Non eſt poſſibile, Petrum currere. Poſſibile eſt, Petrum non currere. Non eſt poſſibile, Petrum non currere.
Impoſſibile	Impoſſibile eſt, Petrum currere. Non eſt impoſſibile, Petrum currere. Impoſſibile eſt, Petrum non currere. Non eſt impoſſibile, Petrum non currere.
Contingēs	Contingens eſt, Petrum currere. Mon eſt contingens Petrum currere. Contingens eſt Petrum non currere. Non eſt contingens, Petrum non currere.
Neceſſe.	Neceſſe eſt, Petrum currere. Non eſt neceſſe, Petrum currere. Neceſſe eſt, Petrum non currere. Non eſt neceſſe, Petrum non currere.

5 Etiam dividitur propositio modalis ratione qualitatis in veram, & falsam. Tunc dicitur propositio modalis vera, quando prædicatum dicti convenit subiecto eo modo, quo denotatur in propositione, v gr. hæc propositio est vera: *Possibile est Petrum currere*; quia cursus, qui prædicatur in dicto, possibiliter convenit Petro. Tunc propositio modalis dicitur falsa, quando prædicatum dicti non convenit subiecto eo modo, quo denotatur in propositione, v. gr. hæc propositio: *Impossibile est Petrum currere*, est falsa, quia cursus, qui prædicatur in dicto, non convenit Petro impossibiliter. Vbi adverte, quod aliquæ propositiones modales indigent distinctione, ut eius veritas cognoscatur, quia sumi possunt in sensu composito, & in sensu diviso, v.g. hæc propositio; *Possibile est, sedentem currere*, si accipiatur in sensu diviso, ita ut per illam denotetur, sedentem posse currere relicta sessione, est vera; si vero accipiatur in sensu composito, ita ut per illam denotetur, sedentem posse coniungere cursum cum sessione, est falsa.

6 Propositio modalis ratione materiæ dividitur in necessariam, & impossibilem. Necessaria est, quando, quod ponitur in dicto, habet necessariam habitudinem cum modo: sive materia dicti sit necessaria, sive non; unde istæ propositiones sunt necessariæ; *Possibile est Petrum currere*; licet materia dicti sit contingens: *Impossibile est, Petrum esse lapidem*; licet materia dicti sit remota. Impossibilis est quando, quod ponitur in dicto habet repugnantiam cum modo, sive materia dicti sit remota, sive non; unde istæ propositiones sunt impossibiles; *Impossibile est Petrum esse animal*; licet materia dicti sit naturalis; *Necesse est, Petrum currere*, licet materia dicti sit contingens. Non tamen datur propositio contingens modalis ratione materiæ; quia cum materia illius sit habitudo dicti ad modum, tantum potest constare materia naturali,

rali, vel remoto; quia modus, vel habet necessariam connexionem cum dicto; vel est impossibilis talis connexio; ut patebit discurrenti per omnes propositiones supra positas.

7 Propositio modalis ratione quantitatis dividitur in universalem, & particularem. Universalis est, quæ constat modo universali, ut est *necesse*, qui est universalis affirmativus, & idem valet, ac *omnis* in propositionibus absolutis; & *impossibile*, qui est universalis negativus, & idem valet, ac *nullus*. Particularis est, quæ constat modo particulari, ut est *possibile*, qui est particularis affirmativus, & idem valet, ac *aliquis*, vel *quidam*; idem dicendum est de modo *contingens*; & sicut *quidam*, vel *aliquis* sit signum particulare negativum postposita negatione, similiter *possibile*, & *contingens* fiunt modi particulares negativi postposita negatione, quod his versiculis solet explicari:

Omnis Necesse valet, Impossibile Nullus,
Possibile Quidam, Quidam non Possibile non.


Ubi notandum est, quod sicut signa universalia, *omnis*, & *nullus* fiunt particularia, anteposita negatione, & particularia, *quidam*, & *aliquis* fiunt eodem modo universalia; sic modi universales, *necesse*, & *impossibile* fiunt particulares, & modi particulares, *possibile*, & *contingens* fiunt universales, anteposita negatione. Notandum est etiam, quod propositio modalis ratione quantitatis, si attendatur ad dictum illius, potest dividi in universalem, particularem, indefinitam, & singularem; sed hoc per accidens se habet ad quantitatem propositionis modalis; nam semper est attendendum ad modum, ita quod si modus est universalis, semper propositio est universalis; licet dictum sit particulare, ut in hac propositione, *Necesse est, Petrum currere*; & sic de aliis.

SEPTIMVM CAPITVLVM


In quo agitur de oppositione, æquipollentia, & conversione propositionum modalium.

1 Circa oppositionem propositionum modalium idem dicendum est, suo modo, quod diximus de oppositione simplicium. Itaque contradictoriæ opponuntur in quantitate, & qualitate; contrariæ tantum in qualitate; & similiter subcontrariæ, subalternæ tantum in quantitate; quod clarè in sequenti figura reperies.

Subal ternans Subalternans



Subalternæ Contra dictoriæ Contra dictoriæ Subalternæ



Subal ternata Subalternata

2 Circa leges, quæ conveniunt propositionibus modalibus oppositis idem dicendum est, ac circa leges simplicium propositionum oppositarum; quia ibi, & hic eadem est ratio. Observa tamen, quod attendere debes, ut prædictæ regulæ hic applicentur (loquendo de veritate, & falsitate) ad materiam correspondentem dicto propositionis modalis.

3 Propositiones modales oppositę fiunt æquipollentes eodem modo, quo propositiones simplices, observando regulas illius versiculi, *Præ contradic, post contra, præ postque subalter*; ex quo colligitur, quod quælibet propositio modalis habet in quolibet modo unam æquipollentẽ, & sic sẽper sunt quatuor propositiones modales æquipollentes, quæ juxta quatuor modos supradictos usque ad sexdecim multiplicantur, ut supra paruit.

4 Ut autem facilè cognoscas, quæ propositiones ex prædictis sint æquipollentes, revoca in memoriam quatuor voces, quas proposuimus ad idem cognoscendum in propositionibus simplicibus, scilicet, *purpura, amabimus, iliace, edentuli*; & sicut ibi, quælibet littera vocalis illarum correspondebat signo propositionis, sic in præsenti correspondet modo, hoc ordine. Prima littera correspondet modo *possibile*, secunda modo *contingens*, tertia modo *impossibile*, quarta modo *necesse*. Prædictæ litteræ denotant affirmationem, vel negationem modi, & dicti, sicut ibi denotabant negationem, vel affirmationem signi, & copulæ. Ad quod explicandum inventus est hic versiculus.

E, dictum negat, I, quæ modum, nihil A, sed V, totum.

Ex quibus colligitur, omnes propositiones modales factas in qualibet voce ex supradictis esse inter se ęquipollentes. Secundo colligitur, omnes propositiones factas in *purpurea* esse cõtradictorias illarum, quæ fiunt in *edentuli*; & omnes,

quæ

quæ fiunt in *iliace*, esse contradictorias illarum, quæ fiunt in *amabimus*; & omnes, quæ fiunt in *purpurea* esse contrarias illarum, quæ fiunt in *iliace*, & omnes, quæ fiunt in *amabimus*, esse subcontrarias illarum, quæ fiunt in *edentulis*, & omnes, quæ fiunt in *amabimus* esse subalternas illarum, quæ fiunt in *purpurea*, & omnes, quæ fiunt in *edentuli* esse subalternas illarum, quæ fiunt in *iliace*. Cuius ratio est; quia propositiones, quæ fiunt in *purpurea*, sunt æquipollentes huius; *Necesse est, Petrum currere*, quæ est universalis affirmativa, & omnes, quæ fiunt in *iliace*, sunt æquipollentes huius: *Impossibile est, Petrum currere*, quæ est universalis negativa, & omnes, quæ fiunt in *amabimus*, sunt æquipollentes huius: *Possibile est, Petrum currere*; quæ est particularis affirmativa, & omnes, quæ fiunt in *edentuli*, sunt æquipollentes huius: *Possibile est, Petrum non currere*, quæ est particularis negativa: & eodem modo, quo prędictæ propositiones opponuntur, opponuntur etiam illarum æquipollentes, quod omne, licet aliquo modo confusum videatur, tamen clarè in sequenti figura videtur.



ÆQVI-

	ÆQUIPOLLENTES.			ÆQUIPOLLENTES.
Pur	Non est possibile, Petrum non curere,	Contrariæ.	I	Non est possibile, Petrum currere.
Pu	Non est contingens, Petrum non currere.		Li	Non est contingens, Petrum currere.
Re	Impossibile est, Petrum nō currere.		A	Impossibile est, Petrum currere.
A	Necesse est, Petrum currere.		Ce	Necesse est, Petrum non currere.
	SUBALTERNANTES.			SUBALTERNANTES.

Subalternæ. Contradictoriæ. Contradictoriæ. Subalternæ.

	ÆQUIPOLLENTES.			ÆQUIPOLLENTES.
A	Possibile est, Petrum currere.		E	Possibile est, Petrium non currere.
Ma	Contingens est, Petrum currere.	Sub contrariæ.	Den	Contingens est, Petrum nō currere.
Bi	Non est impossibile, Petrum currere.		Tu	Non est impossibile, Petrum non currere.
Mus	Non est necesse, Petrum nō currere.		Li	Non est necesse, Petrum currere.
	SUBALTERNATÆ.			SUBALTERNATÆ.

5 Pro sequenti figura vide notam factam ante aliam similem de propositionibus simplicibus cap.4. num.9. quia eadem est ratio hic, & ibi.

Possi-

PRIMA LINEA.	Possibile est, Petrum currere.
	Possibile est, Petrum non currere.
	Non est possibile, Petrum currere.
	Non est possibile, Petrum non currere.
	Contingens est, Petrum currere.
	Contingens est, Petrum non currere.
	Non est contingens, Petrum currere.
	Non est contingens, Petrum non currere.
	Impossibile est, Petrum currere.
	Impossibile est, Petrum non currere.
	Non est impossibile, Petrum currere.
	Non est impossibile, Petrum non currere.
	Necesse est, Petrum currere.
	Necesse est, Petrum non currere.
	Non est necesse, Petrum currere.
	Non est necesse, Petrum non currere.

TERTIA LINEA.	1 Eadem propositio.
	2 Contradictoriæ propositiones.
	3 Contrariæ propositiones.
	4 Subcontrariæ propositiones.
	5 Subalternæ propositiones.
	6 Æquipollentes propositiones.

SECUDA LINEA.

1	4	2	5	6	4	2	5	2	5	6	4	5	2	4	6	Possibile est, Petrum currere.
4	1	5	2	4	6	5	2	5	2	4	6	2	5	6	4	Possibile est, Petrum non currere.
2	5	1	3	2	5	6	3	6	3	2	5	3	6	5	2	Non est possibile, Petrum currere.
5	2	3	1	5	2	3	6	2	6	5	2	6	3	2	5	Non est possibile, Petrũ non currere.
6	4	2	5	1	4	2	5	2	5	6	4	5	2	4	6	Contingens est, Petrum currere.
4	6	5	2	4	1	5	2	5	2	4	6	2	5	6	4	Contingens est, Petrum non currere.
2	5	6	3	2	5	1	3	6	3	2	5	3	6	5	2	Non est contingens, Petrum currere.
5	2	3	6	5	2	3	1	2	6	5	2	6	3	2	5	Non est cõtingens, Petrũ nõ currere.
2	5	6	2	2	5	6	2	1	3	2	5	3	2	5	2	Impossibile est, Petrum currere.
5	2	3	6	5	2	3	6	3	1	5	2	6	3	2	5	Impossibile est, Petrum non currere.
6	4	2	5	6	4	2	5	2	5	1	4	5	2	4	6	Non est impossibile, Petrum currere.
4	6	5	2	4	6	5	2	5	2	4	1	2	5	6	4	Nõ est impossibile, Petrũ nõ currere.
5	2	3	6	5	2	3	6	3	6	5	2	1	3	2	5	Necesse est, Petrum currere.
2	5	6	3	2	5	6	3	2	3	2	5	3	1	5	2	Necesse est, Petrum non currere.
4	6	5	2	4	6	5	2	5	2	4	6	2	5	1	4	Non est necesse, Petrum currere.
6	4	2	5	6	4	2	5	2	5	6	4	5	2	4	1	Non est neccesse, Petrũ non currere.

6 Propositiones modales secundùm Aristot. lib. 1. de Prior. resolut. cap. 3. non convertuntur ratione modi, sed tantum ratione dicti. Pro quo observandæ sunt eædem leges, quæ in conversione simplicium propositionum observantur, juxta illum versiculum, *Simpliciter feci, convertitur; eva per accidens*, videantur, quæ dicta sunt cap. 5. Ab his regulis excipiuntur propositiones factæ in modo *necesse* habentes pro subjecto aliquod concretum accidentale; quia tunc modus *necesse* debet mutari in *possibile*, v.g. hæc propositio, *Necesse est, grammaticum esse hominem*, non benè convertitur sic, *Necesse est, aliquem hominem esse grammaticum*: sic autem benè convertitur, *Possibile est, aliquem hominem esse grammaticum*, & sic in aliis similibus. Observa tamen, quod si propositiones modales sumantur adverbialiter, ut *omnis homo possibiliter currit, &c.* convertuntur sicut propositiones simplices, juxta regulas supradictas, nam dicta propositio, quæ est universalis affirmativa, sic convertitur in hanc particularem affirmativam; *Aliquod currens possibiliter est homo*; quia universalis affirmativa convertitur per accidens. Eodem modo potest exemplificari in qualibet propositione.

OCTAVUM CAPITULUM.

In quo agitur de propositionibus exponibilibus.

1 PRopositio exponibilis dicitur illa, quæ propter suam obscuritatem indiget exponi, seu explicari per aliam, vel per alias propositiones, eo quod plures in se involuere solet. In triplici differentia communiter solet inveniri propositio exponibilis, nam vel dicitur exclusiva, vel exceptiva, vel reduplicativa: Quas sigillatim explicabimus.

Pro-

2 Propositio exponibilis exclusiva dicitur, quando in illa ponitur aliqua particula exclusiva, ut sunt *solùm*, *tantùm*; possunt poni ex parte subiecti, ut in hac propositione, *Tantùm homo est animal rationale*; quæ sic exponitur: *Homo est animal rationale, & nihil aliud præter hominem est animal rationale*, & possunt poni ex parte prædicati, ut in hac propositione, *Homo essentialiter est tantum animal rationale*, quæ sic exponitur, *Essentialiter convenit homini esse animal rationale, & nihil aliud convenit illi essentialiter*.

3 Propositio exponibilis exceptiva dicitur illa, in qua ponitur particula *præter*, vel alia similis ut hæc propositio, *Omnia animalia sunt irrationalia præter hominem*, quæ sic exponitur, *Omne animal, quod non est hom., est irrationale*. Differt propositio exceptiva ab exclusiva, quia in exclusiva prædicatum dicitur de termino, cui adiungitur particula exclusiva, nam in illa propositione, *Tantum homo est animal rationale*, animal rationale prædicatur de homine, in exceptiva verò prædicatum non dicitur de termino, cui adiungitur particula exceptiva; sed potiùs de aliis, nam in illa propositione, *Omnia animalia sunt irrationalia præter hominem*, irrationalitas non prædicatur de homine, cui adiungitur particula *præter*, sed de aliis. Hoc tantum est iuxta modum loquendi, in re autem propositio exclusiva, & exceptiva sunt æquivalentes; idem enim est in re, *Tantum homo est animal rationale*, ac *Nihil præter hominem est animal rationale*.

4 Propositio exponibilis reduplicativa dicitur illa, in qua ponitur aliqua ex his particulis; *Quatenus*, *in quantùm*, & aliæ similes, ut hæc propositio, *Homo in quantùm rationalis, est risibilis*, quæ sic exponitur, *Rationalitas in homine est causa risibilitatis*. Et hæc, *Æthiops secundùm dentes est albus*, quæ sic exponitur,

Den-

Dentes Æthiopis sunt albi. Prima propositio est propriè reduplicativa, secunda verò impropriè, & solet dici specificativa. Videantur, quæ diximus de his termini. Plura alia solent adduci circa propositiones exponibiles, quæ magis ad confusionem, quàm ad utilitatem deserviunt; ideòque illa omittimus, & quia usu argumentationis faciliùs intelliguntur. Solum adverte pro modo loquendi, quòd sicut prædictę propositiones dicuntur exponibiles, quia explicantur per alias, ita illæ per quas explicantur, dicuntur expontes.

LIBER TERTIUS

Sumularum.

EGimus in præcedentibus libris de pertinentibus ad primam, & secundam operationem intellectus, in hoc tarrio de pertinentibus ad tertiam recto ordine venit agendum.

RPIMUM CAPITULUM.

In quo agitur de Argumentatione, & de ejus divisionibus.

1 COmmuniter consequentia, & argumentatio idem sonant; tamen rigorosè sumpta argumentatio non est idem, ac consequentia; quia consequentia est communior, nam valet dicere, *Est argumentatio: ergo est consequentia*; non autem è converso; Cuius ratio est, quia semper argumentatio præsefert dispositionem medii cum extremitatibus ad aliquid inferendum ut patet in hac, *Omnis homo est risibilis*; *Franciscus est homo*; ergo *Franciscus est risibilis*, in qua ly *homo* est medium, ita dispositum, ut ratione talis dispositionis cum ex-

tre-

tremitatibus inferatur, Franciscum esse risibilem. Quod ampliùs infrà patebit; consequentia verò solùm requirit; quòd unum ex alio inferatur, licet non detur talis medii dispositio, ut patet in propositionibus convertentibus, quæ inferuntur ex conversis in bona consequentia, licet non detur dispositio medii, ut cùm dicimus, *Omne animal est sensibile*: ergo *aliquod sensibile est animal*. Hoc supposito, quæ de argumentatione dixerimus, suo modo possunt consequenter applicari.

2 Igitur argumentatio, quæ est tertium, & præcipuum instrumentum sciendi, sic solet definiri, *Est oratio, in qua unum ex alio consequi denotatur*. Dicitur *oratio*, per quod convenit cum aliis orationibus, quæ non sunt argumentationes. Dicitur, *in qua unum ex alio*, *&c.* Per quod differt ab aliis orationibus, & etiam ab aliis instrumentis sciendi; quia manifestat ignotum per illationem, quod non faciunt definitio, & divisio.

3 Ex definitione argumentationis cognoscitur, quòd in illa necessariò tria inveniuntur, id, quod sequitur; id, ex quo sequitur; & nota illationis, ut in hac, *Homo est rationalis*: ergo *est risibilis*. In qua id, quod sequitur, est, quod homo est risibilis; id, ex quo sequitur est, quòd homo est rationalis; nota illationis est, ly *ergo*, & quia hæc nota illationis est triplex, scilicet, causalis, ut *quia*, conditionalis, ut *si*, & rationalis, ut *ergo*, ideò argumentatio in prima sui divisione est causalis, conditionalis, & rationalis, juxta dicta de propositione hypotetica; differt tamen argumentatio à propositione hypotetica, in eo quòd talis propositio innuit affirmationem, vel negationem consequentis de antecedenti, ideòque dicitur vera, vel falsa; quia veritas, & falsitas sunt proprietates propositionis; argumentatio verò innuit consequens inferri ex antecedenti; & sic dicitur

bo-

bona, vel mala; non autem vera, vel falſa; unde materialiter idem poteſt eſſe propoſitio hypotetica, & argumentatio, differunt autem per diverſas rationes formales, modo dicto.

4 Quòd autem argumentatio ſit bona, poteſt provenire ex ratione formali, & ex ratione materiali. Tunc dicitur bona ex ratione formali, quando concludit ratione formæ, id eſt, ratione diſpoſitionis terminorum, ut quando dicimus: *Omne rationale eſt lapis; Franciſcus eſt rationalis: ergo Franciſcus eſt lapis*; quia, licet aſſumptum ſit falſum; conſequentia tamen eſt bona, ſeu rectè infertur ratione bonæ diſpoſitionis terminorum. Tunc dicitur bona ex ratione materiali, quando concludit tantum ratione materiæ in qua exercetur, ut quando dicimus: *Petrus currit*: ergo *movetur*, conſequentia eſt bona tantùm ratione materiæ, quia ſervata eadem forma, & variata materia, non concludit, nec rectè infertur, ut ſi dicamus: *Petrus currit*: ergo *diſputat*.

5 Dividitur argumentatio in communi in ſyllogiſmum, enthymema, dilema, exemplum, & inductionem. *Syllogiſmus eſt argumentatio, in qua quibuſdam poſitis, alterum quid à poſitis neceſſariò ſequitur*. Sic communiter dialectici. Quæ definitio deducitur ex Ariſtot. 1. Prior. cap. 1. ubi ſic ſyllogiſmum definit: *Eſt oratio in qua quibuſdam poſitis, aliud quidam diverſum ab his, quæ poſita ſunt, neceſſariò accidit, eo quòd hæc ſunt*, quæ verba idem valent in re, ac ſupra poſita definitio, quæ clarior apparet. Dicitur, *Oratio*, ſeu *argumentatio*, per quod convenit ſyllogiſmus cum aliis argumentationibus. Dicitur, *In qua quibuſdam poſitis*; quia ad ſyllogiſmum neceſſariò requiritur, quòd præcedant duæ propoſitiones, quę dicuntur prę-miſſæ, & per hoc differt ab aliis argumentationibus, ut patebit ex earum definitionibus. Per cæteras particulas denotatur, concluſionem, ſeu

con-

consequentiam necessario inferri ex præmissis, eo quod sint benè dispositæ in debita forma; sed de syllogismo amplius capitibus sequentibus.

6 *Enthymema est argumentatio in qua ex una sola propositione sequitur conclusio*; ut cum dicimus, *Petrus currit*: ergo *movetur*. Hæc argumentatio tantum concludit ratione materiæ, ut patet ex supradictis. *Dilema est argumentatio bicornis, seu complexa, in qua duæ partes ita disponuntur, ut respondens nullo modo possit fugere*; ut si volumus convincere insipientem, qui multum temporis in studio consumpsit, sic possumus conficere argumentum: *Aut studuisti, vel non? Si studuisti*; ergo *rudis es*. *Si non studuisti*; ergo *negligens es*. *Exemplum est argumentatio in qua deducitur unum ex alio propter similitudinem*, propter quod etiam dicitur, argumentatio a paritate, ut quando dicimus, *Deus pepercit Magdalenæ; quia egit pœnitentiam*; ergo *parcet cuilibet, qui pœnitentiam egerit*.

7 Inductio est duplex; alia dicitur ascensus, & *est argumentatio a particularibus sufficienter enumeratis ad universale*; ut quando dicimus, *Hic homo est rationalis*; *& hic homo est rationalis* & sic de cæteris omnibus; ergo *Omnis homo est rationalis*. Altera dicitur descensus, & *est argumentatio ab universali ad particularia sufficienter enumerata*, ut quando dicimus, *Omnis homo est rationalis*; ergo *hic homo est rationalis*, *& hic homo est rationalis*, & similiter de omnibus aliis.

8 Dividitur ascensus in copulativum, disjunctivum, copulatum, & disjunctum. Copulativus est, quando progreditur a singularibus sufficienter enumeratis in propositionibus copulatis, coniunctione *&*, aut *nec* ad universale, ut quando dicimus, *Hic homo est rationalis*, *& hic homo est rationalis*, & sic de cæteris; ergo *omnis*

homo

homo est rationalis. Hic ascensus fit in termino, qui supponitur distinctivè. Ascensus disjunctivus est quando progreditur a particularibus sufficienter enumeratis in propositionibus disjunctis disjuctione *vel* ad aliquod particulare, ut quando dicimus; *vel hic homo currit, vel hic homo currit*, & similiter de cæteris; ergo *aliquis homo currit*. Hic ascensus fit in termino, qui supponitur confusè. Ascensus copulatus est quando progreditur a particularibus sufficiēter enumeratis, & copulatis coniunctione *&* in una sola propositione, ad universale, ut quando dicimus, *Hic Apostolus, & hic Apostolus*, & similiter de cæteris, *sunt duodecim*: ergo *omnes Apostoli sunt duodecim*. Hic ascensus fit in termino, qui supponitur copulativè. Ascensus disjunctus est quando progreditur à particularibus sufficienter enumeratis, & disjunctis disjunctione *vel* in una sola propositione, ad universale, ut quando dicimus, *Hic oculus, vel hic oculus requiritur ad videndum*: ergo *oculus requiritur ad videndum*. Hic ascensus fit in termino, qui supponitur indefinitè, & etiam potest fieri in termino, qui supponitur confusè, dicendo, ergo *aliquis oculus requiritur ad videndum*.

9 Idem dicendum est de descensu, scilicet, quod dividitur in copulativum, disjunctivum, copulatum, & disjunctum, ut patet in prædictis exemplis, si modo opposito proponantur, scilicet, ab universali, vel particulari ad singularia. Alia de ascensu, & descensu solent adduci valdè confusa, quæ exercitio facilius cognoscuntur, & applicantur in argumentatione.

10 Hic advertendum est primo, quod ratio argumentationis propriè, & rigorosè solum convenit syllogismo; quia hic solus concludit ratione formæ, seu ratione dispositionis medii cum extremitatibus; cæteris verò impropriè convenit ratio argumentationis; quia concludunt tantum ratione materiæ, & ut ratione for-

mæ

mæ concludant, debent reduci ad syllogismum, ut discurrenti per omnes patebit; adducemus aliquod exemplum, v. gr. Hæc argumentatio: *Omnis homo currit*: ergo *Petrus currit*, non concludit ratione formæ, nisi propter aliam propositionem in illo implicitam, scilicet: *Petrus est homo*, qua posita pro minori fit integer syllogismus in hunc modum: *Omnis homo currit: Petrus est homo*: ergo *Petrus currit*, & sic concludit ratione formæ.

11 Advertendum est secundò, quod ad rationem bonæ consequentiæ quatuor lege communiter observantur. Prima, quod ex vero semper sequitur verum; ex falso verò, aliquando verum, aliquando falsum; ex ista enim propositione vera: *Franciscus est rationalis* sequitur hæc vera: ergo *Franciscus est risibilis*; ex ista falsa: *Planta est animal* sequitur hæc vera: ergo *planta est vivens*, & hęc falsa: ergo *planta est sensibilis*. Notandum tamen est, quòd quando ex falso sequitur verum, non est, quia ex falsitate unius sequatur veritas alterius in bona consequentia, sed quia consequens ratione materiæ est in se verum, ut patet in exemplo posito.

12 Secunda lex est, quod ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis; non verò ex opposito antecedentis sequitur oppositum consequentis; nam benè valet: *Non est animal*: ergo *non est homo*; non autem valet e contra: *Non est homo*: ergo *non est animal*; quod debet intelligi in terminis pertinentibus sequela non convertibilibus; quia in illis terminis consequēs est magis communis, quam antecedens, & ex negatione termini magis communis sequitur negatio termini minus communis; non verò è contra, ut ex se patet: in terminis verò convertibilibus ex negatione cujuscũque sequitur negatio alterius; quia sunt æqualiter communes: valet enim: *Non est rationale*: ergo *non est risibile*; & etiã è cõtra: *non est risibile*: ergo *non est rationale*.

13 Tertia lex eſt, quod quidquid colligitur ex conſequenti, colligitur ex antecedenti; non verò, quidquid colligitur ex antecedenti, colligitur ex conſequenti v. g. quia ex animali colligitur ſenſibile, dicendo: *Eſt animal*: ergo *ſenſibile*; etiam colligitur ex homine dicendo: *Eſt homo*: ergo *ſenſibilis*; è contra verò, licet ex homine ſequatur riſibile, dicendo: *Eſt homo*; ergo *riſibilis*, non ideò ſequitur ex animali, dicendo: *Eſt animal*: ergo *riſibile*, quod etiam intelligitur in terminis non convertibilibus, non verò in convertibilibus; nam in his, quod ſequitur ex uno, ſequitur ex alio, quidquid enim ſequitur ex homine, ſequitur ex riſibili, & è converſo; cujus eadem eſt ratio, ac in lege præcedenti.

14 Quarta lex eſt, quod ab inferiori ad ſuperiùs valet conſequentia affirmativè, ut *Eſt homo*; ergo *eſt animal*; non tamen negativè, ut *Non eſt homo*; ergo *non eſt animal*; è contra verò à ſuperiori ad inferius valet conſequentia negativè, ut *Non eſt animal*; ergo *non eſt homo*; non verò affirmativè, ut *Eſt animal*; ergo *eſt homo*; quod provenit ex eadem ratione, ac in legibus præcedentibus, ſcilicet, ex majori, vel minori communitate terminorum.

SECUNDUM CAPITULUM.

In quo agitur de diviſione ſyllogiſmi:

1 SYllogiſmus communiter dividitur ratione materiæ, & ratione formæ; ideòque primò ſciendum eſt, quid ſit materia, & quid forma ſyllogiſmi? Igitur materia ſyllogiſmi eſt duplex, proxima ſcilicet, & remota. Propoſitiones ex quibus componitur ſyllogiſmus, dicuntur materia proxima illius; quæ propoſitiones ſunt tres, major, minor (quæ etiam dicuntur, præmiſſæ) & conſequentia. Termini, ex qui-

quibus componitur hæc triplex propositio, dicuntur materia remota syllogismi, qui termini tantùm sunt tres; unus dicitur *medium*, alius dicitur *major extremitas*, & alius *minor extremitas*; *medium* est terminus, qui ponitur in majori & minori propositione, non verò in consequentia; major extremitas est terminus, qui ponitur cum medio in majori propositione; minor extremitas est terminus, qui ponitur cum medio in minori propositione, & utraque extremitas ponitur in consequentia, quod totum patet in hoc syllogismo: *Omnis homo est animal: omne rationale est homo*; ergo *omne rationale est animal*; in quo sunt tres propositiones; quarum prima dicitur *major*; secunda, *minor*; & tertia *consequentia*, & etiam sunt tres termini, scilicet, *homo*, qui dicitur *medium*; quia ponitur in majori & minori propositione, & non in consequentia; *animal*, qui dicitur *major extremitas*, quia ponitur cum medio in majori propositione, & *rationale*, qui dicitur *minor extremitas*, quia ponitur cum medio in minori propositione, & uterque conjungitur in consequentia.

2 Forma syllogismi componitur ex figura, & modo. *Figura est dispositio medii cum extremitatibus secundùm debitam subjectionem, & prædicationem. Modus est dispositio præmissarum inter se, & cum consequentiâ secundùm quantitatem, & qualitatem*: quod patet in suprapositio syllogismo, in quo *figura* consistit in eo quòd terminus *homo*, qui est medium, taliter disponatur cum extremitatibus, ut in majori propositione sit subjectum, & in minori prædicatum, *modus* autem consistit in eo quòd præmissa ita disponantur inter se, & cum consequentia secundum quantitatem, quòd omnes sint universales, & secundùm qualitatem, quod omnes sint affirmativæ.

3 Cognitis jam materia, & forma syllogismi, primo dividitur ratione materiæ remota in

communem, & singularem. Communis est, qui constat medio commune singularis est; qui constat medio singulari. Secundò dividitur ratione materiæ proximæ in affirmativum, & negativum. Affirmativus est, cujus conclusio est affirmativa. Negativus autem, cujus conclusio est negativa. Tertiò dividitur ratione ejusdem materiæ proximæ in categoricum, & hypotheticum. Categoricus est cuius propositiones sunt categoricæ. Hypotheticus est, cuius aliqua propositio est hypothetica. Quarto ratione eiusdem materiæ proximę dividitur in scientificum, seu demonstrativum, in probabilem, seu opinativum (qui etiam dicitur topicus) & in sophisticum, seu apparentem, qui etiam dicitur elenchus. Demonstrativus est, qui constat propositionibus necessariis. Probabilis est, qui constat propositionibus probabilibus. Sophisticus est, qui constat propositionibus (saltim aliqua) quæ cum falsæ sint, apparent veræ.

4 Cùm forma syllogistica constet figura, & modo, syllogismus ratione formæ dupliciter dividitur: Igitur ratione figuræ dividitur in triplicem figuram. Prima est, in qua medium ponitur pro subiecto in maiori propositione, & pro prædicato in minori, ut cùm dicimus; *Omnis homo est animal*; *Petrus est homo*; ergo *Petrus est animal*, in quo terminus *homo*, qui est medium, est subiectum in maiori; & prædicatum in minori. Secunda figura est, in qua medium ponitur pro prædicato in maiori & minori propositione, ut cum dicimus. *Omnis homo est animal*; *nullus lapis est animal*; ergo *nullus lapis est homo*; in quo syllogismo terminus *animal*, qui est medium, est prædicatum in maiori, & minori propositione. Tertia figura est, in qua medium ponitur pro subiecto in maiori, & minori propositione, ut cùm dicimus; *Aliquis homo est animal*; *omnis homo est rationalis*; ergo *aliquod rationale est animal*; in quo syllogismo ter-

terminus *homo*, qui eſt medium, eſt ſubjectum in majori, & minori propoſitione. Totum hoc, hoc verſiculo continetur.

Sub, Præ, Prima: Secunda, bis, Præ, Tertia bis, ſub.

5 Syllogiſmus ratione modi dividitur in tot modos, quot fieri poteſt diſpoſitio præmiſſarum ſecundum quantitatem, & qualitatem, quod ut facile percipiatur, in memoriam revocari debent illi verſiculi: *Aſſerit A, &c.* & eorum intelligentia; & ſic facilè colligitur, quod in qualibet figura ſexdecim modis poſſunt diſponi pręmiſſæ ſecundùm quantitatem, & qualitatem; nam præmiſſæ univerſales, aut ſunt AA, aut EE, aut AE, aut EA, ecce quatuor modos; præmiſſæ particulares, aut ſunt II, aut IO, aut OO, aut OI, ecce alios quatuor modos; præmiſſæ, quarum una eſt particularis, & alia univerſalis, aut ſunt AI, aut AO, aut EI, aut EO, ecce alios quatuor modos; vel è contra, quia aut ſunt IA, aut OA, aut IE, aut OE, ecce alios quatuor modos; omnes iſtæ diſpoſitiones præmiſſarum poſſunt accommodari cuilibet figuræ, & cùm triplex ſit figura, invenies quadraginta & octo diſpoſitiones præmiſſarum, ſeu modos ſyllogiſticos; ex quibus omnibus tantum decem, & novem inventi ſunt à philoſophis conſiſtentes propter rationes capite ſequenti aſſignandas, & ex illis novem primi pertinent ad primam figuram; quatuor ſequentes pertinent ad ſecundam, ſex ultimi pertinent ad tertiam; qui omnes his verſiculis continentur:

Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum,
Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Barocco, Darapti,
Felapton, Diſamis, Datiſi, Brocardo, Feriſon.

Ex his, qui pertinent ad primam figuram, quinque ultimi concludunt indirectè, quatuor verò primi, & similiter omnes, qui pertinent ad secundam, & tertiam figuram concludunt directè. Pro quo advertendum est, quod directè concludere est, quod in consequentia minor extremitas sit subjectum, & major extremitas sit prædicatum. Concludere indirectè est, quòd in consequentia major extremitas sit subjectum, & minor extremitas sit prædicatum. Deinde quatuor primi syllogismi primæ figuræ dicuntur perfecti; quia ex se apparent necessarii, cæteri omnes dicuntur imperfecti, quia licet ex se sint necessarii: tamen non apparet eorum necessitas, nisi reducantur ad syllogismos perfectos, ut suo loco dicemus.

Exempla quatuor modorum directè concludentium in prima figura.

Bar Omnis homo est rationalis.
ba Omne risibile est homo.
ra. Ergo omne risibile est rationale.

Ce Nullus homo est lapis.
la Omne rationale est homo.
rent. Ergo nullum rationale est lapis.

Da Omne animal est vivens.
ri Aliquod sensibile est animal.
i. Ergo aliquod sensibile est vivens.

Fe Nullus equus est lapis.
ri Aliquod rationale est equus.
o. Ergo aliquod rationale non est lapis.

Exempla quinque modorum indirectè concludentium in prima figura.

Ba Omnis homo est sensibilis.
ra Omne risibile est homo.
liptō. Ergo aliquod sensibile est risibile.

Ce-

Ce Nullus homo eſt æquus:
lan Omne rationale eſt homo.
tes Ergo nullus æquus eſt rationalis.

Da Omnis planta eſt vivens.
bi Aliqua arbor eſt planta.
tis. Ergo aliquod vivens eſt arbor.

Fa Omnis leo eſt rugibilis
pe Nullus lapis eſt leo.
ſmo Ergo aliquod rugibile non eſt lapis.

Fri Aliquis homo eſt riſibilis.
ſe Nullus lapis eſt homo.
ſomorũ Ergo aliquod riſibile non eſt lapis.

Exempla quatuor modorum directè concludentium in ſecunda figura.

Ce Nullus homo eſt lapis.
ſa Omnis chryſolithus eſt lapis.
re. Ergo nullus chryſolithus eſt homo.

Ca Omnis homo eſt riſibilis
me Nulla planta eſt riſibilis:
ſtres Ergo nulla planta eſt homo.

Fe Nulla arbor eſt rationalis.
ſti Aliquis homo eſt rationalis.
no Ergo aliquis homo non eſt arbor.

Ba Omne vivens eſt animatum.
roc- Aliquis lapis eſt animatus.
co Ergo aliquis lapis non eſt vivens.

Exempla ſex modorum directè concludentium in tertia figura.

Da Omnis homo eſt riſibilis.
rap Omnis homo eſt rationalis.
ti. Ergo aliquod rationale eſt riſibile.

Fe Nullus lapis eſt vivens.
lap Omnis lapis eſt inſenſibilis:
ton Ergo aliquod inſenſibile non eſt vivens

Di Aliquod animal eſt rationale.
ſa Omne animal eſt ſenſibile.
mis Ergo aliquod ſenſibile eſt rationale.

Da Omnis planta eſt vivens.
ti Aliqua planta eſt cupreſſus.
ſi. Ergo aliqua cupreſſus eſt vivens.

Bro Aliquis lapis non eſt homo.
car Omnis lapis eſt inſenſibilis.
do Ergo aliquod inſenſibile non eſt homo.

Fe Nullus homo eſt lapis.
ri Aliquis homo eſt rationalis.
ſon Ergo aliquod rationale non eſt lapis.

6 Ex dictis non erit diſſimile aſſignare unde ſyllogiſmi robur, & vim accipiant; igitur ſyllogiſmi perfecti fundantur in illis principiis *dici de omni*, quod idem eſt, ac dicere: *Quidquid prædicatur de ſuperiori, prædicatur de quolibet contento ſub illo*; hoc principium eſt proprium ſyllogiſmorum affirmativorum, & *dici de nullo*, quod idem eſt, ac dicere: *Quidquid negatur de ſuperiori, negatur de quolibet contento ſub illo*; hoc principium eſt proprium ſyllogiſmorum negativorum: quod omne clarè patebit diſcurrendo per ſyllogiſmos ſupra factos. Syllogiſmi imperfecti in re etiam accipiunt robur à prædictis principiis; ſed ſecundùm apparentiam accipiunt robur à ſyllogiſmis perfectis ad quos reducuntur.

TER-

TERTIVM CAPITVLVM.

In quo agitur de regulis observandis ad consistentiam Syllogismorum.

1 Aliquæ regulæ solent assignari, tam in cõmuni, quàm in particulari, pro qualibet figura ad consistentiam syllogismorum. Igitur prima regula pro syllogismis in communi est, quòd medium sit distributum in aliqua præmissa; unde hic syllogismus non est bonus: *aliquod animal est rationale, omnis leo est animal*, ergo *omnis leo est rationalis*, ratio est; quia quando medium non est distributum, non verificatur aliquod principium ex illis, *dici de omni, & dici de nullo*.

2 Secunda regula est, quòd utraque præmissa non sit negativa; unde hic syllogismus non est bonus: *Nullus homo est arbor, platanus non est homo*, ergo *platanus non est arbor*, ratio est, quia minor extremitas non continetur sub medio, quod erat necessarium, ut verificaretur aliquod ex supradictis principiis.

Tertia regula est, quod quando aliqua ex premissis est particularis, consequentia non sit universalis, unde hic syllogismus non est bonus: *Omne animal est corpus, aliqua substantia est animal*, ergo *omnis substantia est corpus*. Ratio est, quia in bona consequentia non infertur universale de particulari.

4 Quarta regula est, quò quando aliqua præmissa est negativa, consequentia non sit affirmativa; unde hic syllogismus non est bonus. *Omnis homo est animal, aliqua planta non est homo*, ergo *aliqua planta est animal*. Ratio est, quia effectus nequit esse perfectior sua causa, & sic propositio negativa nequit esse causa propositionis affirmativæ, quæ est perfectior illa.

5 Quinta regula est, quod in consequentia nullatenus ponatur medium, unde hic syllogismus

non est bonus: *Omne animal est sensibile: omne rationale, est animal*: ergo *omne sensibile est animal*, quæ consequentia, licet materialiter verum contineat, non tamen sequitur ex præmissis ratione formæ. Ratio hujus regulæ est, quia in consequentia debet inferri unio, aut repugnantia extremitatum inter se propter unionem, aut repugnantiam cum medio, quod nullatenus evenire potest, quando medium ponitur in consequentia, ut ex se patet.

6 Sexta regula est, quòd in consequentia nullatenus distribuatur aliquis terminus, qui non fuit distributus in præmissis, unde hic syllogismus non est bonus: *Omne rationale est animal: omne risibile est rationale*; ergo *omne animal est risibile*. Ratio est, quia variatur suppositio, quia animal, quod in majori propositione supponitur confusè, seu indefinitè, in consequentia supponitur distributivè.

7 Pro prima figura in particulari duæ regulæ observandæ sunt. Prima est, quòd propositio minor non sit negativa, unde hic syllogismus non est bonus: *Omne rationale est substantia, platanus non est rationalis*: ergo *platanus non est substantia*. Ratio est, quia minor extremitas non continetur sub medio. Si autem observes, quòd minor sit universalis negativa, consequentia particularis, & quod indirectè concludatur, benè potes conficere syllogismum consistentem in prima figura; ut patet in syllogismo in *fapesmo*.

8 Secunda regula est, quòd propositio major non sit particularis, unde hic syllogismus non est bonus: *Aliquod animal est homo*; *omnis leo est animal*: ergo *aliquis leo est homo*. Ratio est, quia medium manet in utraque præmissa in distributum. Si verò hæc observes, scilicet, quòd minor sit universalis negativa, & major particularis affirmativa, & concludatur indirectè, potes conficere syllogismum consistentem in prima figura, ut patet in syllogismo in *frisesomorum*.

9 Pro

9 Pro secunda figura in particulari duæ regulæ observandæ sunt. Prima est, quòd minor, vel major sit negativa, unde hic syllogismus non est bonus: *Omne rationale est animal*; *omnis leo est animal*; ergo *omnis leo est rationalis*. Ratio est, quia cùm medium sit prædicatum in utraque præmissa, manet indistributum, si utraque est affirmativa.

10 Secunda regula est, quòd propositio major non sit particularis, unde hic syllogismus non est bonus: *Aliquis homo est animal*; *nullus lapis est animal*; ergo *nullus lapis est homo*. Ratio est, quia major extremitas distribuitur in consequentia, quæ non erat distributa in majori propositione, licet consequens materialiter sit verum.

11 Pro tertia figura in particulari duæ regulæ observandæ sunt. Prima, quòd major non sit negativa, unde hic syllogismus non est bonus: *Omnis homo est substantia*; *aliquis homo non est arbor*; ergo *aliqua arbor non est substantia*. Ratio est, quia cùm medium sit subjectum in utraque præmissa, si minor esset negativa, prædicatum, quod non erat distributum in majori, distribueretur in consequentia.

12 Secunda regula est, quòd consequentia non sit universalis, unde hic syllogismus non est bonus: *Omnis homo est animal*; *omnis homo est substantia*; ergo *omnis substantia est animal*. Ratio est, quia cùm minor debeat esse affirmativa, si consequentia esset universalis, in illa distribueretur prædicatum, quod non erat distributum in minori.

13 Ex prædictis regulis clarè deducitur, solùm decem & novem modos supra enumeratos esse consistentes, quia in omnibus aliis dispositionibus præmissarum inveniuntur aliqui defectus contra prædictas regulas.

QVARTVM CAPITVLVM.

In quo agitur de reductione syllogismorum imperfectorum ad perfectos.

1 DIximus, syllogismos imperfectos sumere robur à syllogismis perfectis, ad quos reducuntur, ut claré appareat eorum consistentia, quod dupliciter potest contingere, scilicet, per ostensionem, & ad impossibile. Ut syllogismi reducantur per ostensionem, convertuntur, vel transmutantur præmissæ, vel saltim aliqua illarum: pro qua reductione aliquæ regulæ observandæ sunt, quibus cognitis, facilè reducuntur syllogismi imperfecti ad perfectos.

2 Igitur observandum est primò; quòd in dictionibus, in quibus fiunt syllogismi imperfecti, sequentes litteræ dispersæ reperiuntur scilicet, S.P.M.C. Ex quibus, S.denotat, quòd propositio, quæ correspondet litteræ vocali ante S.constitutæ, debet converti simpliciter. P.denotat, quòd propositio, quæ correspondet litteræ vocali ante P. constitutæ, debet converti per accidens. M. denotat, quòd præmissæ debent mutari, seu transponi, ita ut propositio major fiat minor, & minor fiat major. C. denotat, quòd syllogismus correspondens modo, in quo C. reperitur, nullatenus potest per ostensionem converti, sed tantùm per impossibile; hujusmodi sunt syllogismi, qui fiunt in his dictionibus *Brocardo*, & *Barocco*. Quæ omnia his versiculis compendiosè continentur:

Simpliciter verti vult S. P. verò per accidens,
M. vult transponi, C. per impossibile duci.

1 Secundò observandum est, quòd omnes syllogismi imperfecti, incipiunt seorsim aliqua ex litteris initialibus, quibus etiam incipiunt

piunt syllogismi perfecti, ad quos reducuntur, & cùm isti sint tantùm quatuor, scilicet, *Barbara, Celarent, Darij, Ferio*, etiam litteræ initiales omnium syllogismorum sunt tantùm quatuor, scilicet, B, C, D, F. B denotat, quòd syllogismi, qui fiunt in aliquo modo, cujus littera initialis est B, reducuntur ad *Barbara*; C denotat, quòd syllogismi, qui fiunt in aliquo modo, cujus littera initialis est C, reducuntur ad *Celarent*. D denotat, quòd syllogismi, qui fiunt in aliquo modo, cujus littera initialis est D, reducuntur ad *Darij*, F denotat, quod syllogismi, qui fiunt in aliquo modo, cuius littera initialis est F, reducuntur ad *Ferio*.

4 His suppositis, facilis est reductio syllogismorum imperfectorum ad perfectos per ostensionem. Pro omnibus sit exemplum in syllogismo facto in *Camestres*: *omne animal est vivens: nullus lapis est vivens*: ergo *nullus lapis est animal*. In quo, quia post secundam vocalem, quæ est E, sequitur S, denotatur, quod propositio minor debet converti simpliciter hoc modo: *Nullum vivens est lapis*; & quia post tertiam vocalem, quæ etiam est E, sequitur etiam S, denotatur, quòd consequentia debet etiam converti simpliciter hoc modo: ergo *nullum animal est lapis*; & quia in prædicta dictione invenitur littera M, denotatur, quod præmissæ debent mutari, seu transponi, ita ut major fiat minor, & minor fiat major; quibus observatis fit syllogismus perfectus, hoc modò: *Nullum vivens est lapis*; *omne animal est vivens*; ergo *nullum animal est lapis*: qui quidem syllogismus est in *Celarent*, cuius littera initialis est C, sicut etiam littera initialis *Camestres*. Similiter, observatis regulis correspondentibus, potest exemplificari in quolibet alio modo, quod exercitio facilè comprehenditur.

5 Reductio per impossibile, nihil aliud est, quàm cogere protervum negantem consequen-

quentiam modi imperfecti ad concedenda duo contraria, vel contradictoria, ratione dispositionis syllogismi in modo perfecto. Pro quo aliqua observanda sunt.

6 Observandum est primò pro syllogismis imperfectis primæ figuræ, quòd si aliquis neget tibi consequentiam alicujus, debes assumere contradictorium ejus, & ponere illud pro majori; & majorem, quæ erat in syllogismo imperfecto, ponere pro minori, & necessariò sequetur in bona consequentia in aliquo modo perfecto contrarium, vel contradictorium minoris, quam tibi concessit in modo imperfecto; & hoc vel mediatè, vel immediatè, v.g. in hoc syllogismo facto in *Baralipton*; *omnis homo est animal; omne rationale est homo*; ergo *aliquod animal est rationale*; si aliquis, concessa majori & minori, neget consequentiam, debes assumere contradictorium illius, scilicet, *nullum animal est rationale*, & ponere illud pro majori, & pro minori majorem syllogismi supradicti, & sic conficies hunc syllogismum perfectum in *Celarent*; *nullum animal est rationale*; *omnis homo est animal*; ergo *nullus homo est rationalis*; quæ consequentia, si per accidens convertatur hoc modo; *Aliquod rationale non est homo*, invenies contradictorium minoris concessæ in *Baralipton*, scilicet, *omne rationale est homo*; & sic negans consequentiam syllogismi imperfecti, cogitur concedere duo contradictoria, & sic deducitur ad impossibile.

7 Ab hac regula excipitur *Celantes*, & sic pro illo observandum est secundò, quòd si aliquis neget tibi consequentiam, debes assumere contradictorium ejus, & ponere illud pro minori, & pro majori minorem syllogismi facti in *Celantes*, & infertur in consequentia contradictorium majoris concessæ, saltim mediatè, v.g. si aliquis neget consequentiam hujus syllogismi; *Nullus homo est insensibilis*; *omne rationale est homo*;

mo; ergo *nullum insensibile est rationale*, debes assumere contradictorium illius, scilicet, *aliquod insensibile est rationale*, & ponere illud pro minori, & pro majori minorem prædicti syllogismi; & sic conficies hunc syllogismum perfectum in *Darii*; *omne rationale est homo*; *aliquod insensibile est rationale*; ergo *aliquod insensibile est homo*; quæ consequentia, si convertatur simpliciter hoc modo *Aliquis homo est insensibilis*, invenies contradictorium majoris concessæ, scilicet, *nullus homo est insensibilis*, & sic protervus cogitur concedere duo contradictoria.

8 Pro syllogismis imperfectis secundæ figure observandum est tertiò, quòd si quis neget consequentiam, debes assumere contradictorium illius, & ponere illud pro minori servata eadem majori syllogismi imperfecti, & sic infertur oppositum minoris concessæ; v. g. si aliquis neget tibi consequentiam hujus syllogismi imperfecti in *Cesare*; *nullus homo est insensibilis*, *omnis lapis esse insensibilis*, ergo *nullus lapis est homo*, debes assumere contradictorium illius, scilicet, *aliquis lapis est homo*, & ponere illud pro minori, & servata majori syllogismi imperfecti, conficies syllogismnm in *Ferio* hoc modo: *Nullus homo est insensibilis*: *aliquis lapis est homo*: ergo *aliquis lapis non est insensibilis*: quæ consequentia est contradictorium supradictæ minoris jam concessæ, & sic negans cogitur concedere duplex contradictorium.

9 Pro syllogismis imperfectis tertiæ figuræ observandum est quartò, quòd si aliquis neget tibi consequentiam, debes assumere contradictorium illius, & ponere illud pro majori, servata minori syllogismi imperfecti; & sic infertur oppositum majoris jam concessæ, v. g. si aliquis neget consequentiam hujus syllogismi imperfecti in *Darapti*, *omnis homo est animal*, *omnis homo est rationalis*, ergo *aliquod rationale est animal*, debes assumere contradictorium illius, sci-

scilicet, *nullum rationale est animal*, & ponere illud pro majori, & servata minori syllogismi imperfecti, conficies syllogismum perfectum in *celarent*, hoc modo, *Nullum rationale est animal, omnis homo est rationalis*, ergo *nullus homo est animal*, quæ consequentia est contraria illius majoris jam concessæ, & sic cogitur negans concedere duo contraria. Totum hoc continetur in sequentibus versiculis.

Prima majorem mutat, perditque minorem;
Celantes majorem perdit, mutatque minorem;
Servat majorem, perditque secunda minorem;
Tertia majorem perdit, servatque minorem.

10. Ut facilè cognoscas, qui syllogismi ex imperfectis reducantur ad quemlibet ex quatuor perfectis, tres sequentes voces in promptu debes habere: *Nesciebatis*, *Odiebant*, *Lætare romanis*, in quibus tot litteras vocales invenies, quot sunt syllogismi imperfecti, qui ad perfectos reducuntur. Prima vox, scilicet, *Nesciebatis*, continet quinque litteras vocales suo ordine correspondentes quinque modis imperfectis in directè concludentibus in prima figura, scilicet, prima littera vocalis, quæ est E, correspondet *Baralipton*, secunda, quæ est I, correspondet *Celantes*, & sic de cæteris. Secunda vox, scilicet, *Odiebant*, habet quatuor litteras vocales correspondentes suo ordine quatuor modis imperfectis secundæ figuræ, scilicet, prima, quæ est O, correspondet *Cesare*, & sic de cæteris. Tertia vox, scilicet, *Lætare romanis*, habet sex litteras vocales correspondentes suo ordine sex modis imperfectis tertiæ figuræ, scilicet, prima, quæ est E, correspondet *Darapti*, & sic de cæteris. Omnes syllogismi, qui fiunt in modis imperfectis, quibus juxta hunc ordi-

ordinem, correſpondet littera A, reducuntur ad *Barbara*; quia habet concluſionem univerſalem affirmativam, quæ per A, denotatur, & omnes, qui fiunt in modis imperfectis, quibus correſpondet littera E, reducuntur ad *Celarent*; quia habet concluſionem univerſalem negativam, quæ per E denotatur; & omnes, qui fiunt in modis imperfectis, quibus correſpondet littera I, reducuntur ad *Darij*, quia habet concluſionem particularem affirmativam, quæ per I, denotatur; & omnes, qui fiunt in modis imperfectis, quibus correſpondet littera O, reducuntur ad *Ferio*, quia habet concluſionem particularem negativam, quæ per O denotatur.

QUINTUM CAPITULUM.

In quo agitur de aliquibus diviſionibus ſyllogiſmi.

1 DIximus cap. 2. ſyllogiſmum dividi ratione materiæ remotæ in communem, & ſingularem, & hucuſque loquuti ſumus de ſyllogiſmo communi, nunc autem aliqua reſtat notitia de ſyllogiſmo ſingulari, qui appellatur expoſitorius; quia illo uſus eſt Ariſtot. ad exponendos ſyllogiſmos de medio communi, & quia tam clarè apparet ejus veritas, quod non indigeat alio manifeſtetur.

2 Igitur ſyllogiſmus ſingularis, ſeu expoſitorius poteſt confici in qualibet ex triplici ſupradicta figura, tam affirmativè, quàm negativè; in prima figura conficiuntur hi ſyllogiſmi *Leopoldus eſt Imperator: tu es Leopoldus*; ergo *tu es Imperator*: *Ludovicus non eſt Imperator*; *Tu es Ludovicus*; ergo *tu non es Imperator*; In ſecunda figura poteſt confici hic ſyllogiſmus negativus; *Carolus non eſt victus in prælio*; *Imperator Turcarum eſt victus in prælio*; ergo *Imperator Turcarum non eſt Carolus*; ſyllo-

syllogismus affirvativus nequit confici in hac figura, quia ut dictum est cap. de regulis syllogismorum, in illa aliqua præmissa debet esse negativa, & consequenter conclusio. In tertia figura possunt fieri hi syllogismi. *Carolus est Catholicus; Carolus est Rex Hispaniæ*; ergo *Rex hispaniæ est Catholicus; Carolus noluit regnare; Carolus est Imperator*, ergo *Imperator noluit regnare*.

2 Syllogismi expositorii non accipiunt robur ab illis ptincipiis; *Dici de omni*, & *dici de nullo*; quia hæc sunt propria syllogismorum de medio communi; expositorii autem sunt de medio singulari; accipiunt tamen robur ab his principiis; *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*; quod non debet intelligi præcisè de identitate reali stricta, sed de qualibet convenientia, ut patet in syllogismis supra positis; &, *quæ repugnant uni tertio, repugnant inter se*; totalis notitia primi principii traditur communiter à Theologis in materia de Trinitate.

3 Diximus etiam, quod syllogismus dividitur in categoricum, & hypotheticum, quòd hypotheticus est, qui constat aliqua propositione hypothetica; nunc restat scire, quòd talis syllogismus non accipit robur ab aliquo ex supradictis principiis, sed solùm habet vim ex concessis, v. gr. *Si sol lucet, dies est; sed Sol lucet*; ergo *dies est*, hic Syllogismus solùm habet vim, & efficaciam ex suppositione, quòd concedatur conditio, & propositio minor. Aliæ divisiones syllogismi solent adduci, ut in obliquum & rectum, in absolutum & modalem, sumpta denominatione à casu recto, vel obliquo, à propositione absoluta, vel modali ex quibus componitur, circa quos, quia parvi momenti sunt, nihil se offert advertendum. præcipua divisio syllogismi ratione materiæ est illa, quam etiam loco citato proposuimus, scilicet in demonstrativum, topicum, & sophisticum, circa quos plura se offerunt, quæ non

par-

parvam difficultatem præseferunt, ideòque commodius de illis alio loco tractatur, ne difficultatibus tyronum intellectus confundantur.

SEXTUM CAPITULUM.

In quo agitur de Arte inveniendi medium.

1 ARs inveniendi medium ad legitimè probandas propositiones, tam obscurè solet ab aliquibus proponi, quòd magis ad confusionem intellectus, quàm ad doctrinam deserviat; ut autem claritate possibili illam proponamus, adducendum est in memoriam, quòd diximus de terminis pertinentibus repugnātia, vel sequela, convertibilibus, vel non convertibilibus; ex convertibilibus uterque se habet tanquam antecedens, vel consequens respectu alterius; quia ad invicem se inferunt, ut patet in his: *Homo*, & *rationale*, nam valet: *Est homo*: ergo *rationalis*, & è converso; ex non convertibilibus, magis communis se habet tanquam consequens, & minus communis tanquam antecedens, & sic non se inferunt ad invicem, sed tantùm valet consequentia à minus communi ad magis commune; ut patet in his: *homo*, & *animal*; nam valet: *est homo*: ergo *est animal*: non verò è converso. Hoc supposito, has regulas observabis, & medium invenies.

2 Prima regula; ad probandam propositionem universalem affirmativam assume medium; quod sit antecedens prædicati, & consequens subjecti, v.gr. ad probandam hanc propositionem: *Omnis homo est animal*, assume *rationale*, quod est antecedens animalis, & consequens hominis, & sic probabis prædictam propositionem, conficiendo hunc syllogismum in *Barbara*; *omne rationale est animal*; *omnis homo est rationalis*, ergo *omnis homo est animal*.

3 Se-

3 Secunda regula: ad probandam propositionem particularem affirmativam, assume medium, quod sit antecedens subjecti, & prædicati, v. gr. ad probandam hanc propositionem: *Aliquod animal est rationale*, assume *hominem*, qui est antecedens animalis, & rationalis, & sic probabis prædictam propositionem, conficiendo hunc syllogismum in *Darii*, *omnis homo est rationalis*; *aliquod animal est homo*; ergo *aliquod animal est rationale*. Hoc intelligitur in prima figura; in tertia autem assume medium, quod sit antecedens ad subjectum, & prædicatum; ad probandam hanc propositionem: *Aliquis homo est vivens*, assume *sensibile*, & sic conficies syllogismum in *Datisi*; *omne sensibile est vivens*; *aliquod sensibile est homo*; ergo *aliquis homo est vivens*. Hæc regula tenet, eo quod *sensibile* ratione signi *aliquod*, sit antecedens ad hominem licet in se sit consequens.

4 Tertia regula: ad probandam universalem negativam assume medium, quod sit consequens subjecti, & repugnans prædicato, v. gr. ad probandam hanc propositionem: *Nullus homo est lapis*, assume *animal*, quod est consequens hominis, & repugnans lapidi, & sic probabis prædicant propositionem, conficiendo hunc syllogismum in *Celarent*; *nullum animal est lapis*; *omnis homo est animal*; ergo *nullus homo est lapis*: vel è contra, assume medium repugnans subjecto, & consequens prædicari, & sic ad probandam prædictam propositionem, assume *insensibile*, & conficies hunc syllogismum in *Celantes*, *nullum insensibile est homo*, *omnis lapis est insensibilis*, ergo *nullus homo est lapis*, vel assume medium, quod sit antecedens alicujus, & alteri repugnans, & sic ad probandam prædictam propositionem, assume *rationale*, & sic conficies syllogismum in *Cesare*, *nullus lapis est rationalis*, *sed omnis homo est rationalis*, ergo *nullus homo est lapis*,

5 Quar-

5 Quarta regula; ad probandam particularem negativam, assume medium modo dicto de universali negativa, & conficies syllogismos secundum diversos modos, & figuras, v. g. ad probandam hanc propositionem; ***Aliquod animal non est homo***, assume ***brutum***, quod est antecedens animalis, & repugnans homini, & sic probabis prædictam propositionem conficiendo hunc syllogismum in *ferio*; ***nullum brutum est homo***; ***aliquod animal est brutum***; ergo ***aliquod animal non est homo***. Alia exempla, & alias quamplures regulas omittimus, & ad auferendam confusionem, & quia quisque attentè discurrendo per omnes syllogismos, omnia, quæ hic deficere possunt, poterit invenire, & quia ars inveniendi medium melius exercitio arguendi, quam fatigatione intellectus, circa hoc peculiariter discurrendo, addiscenda est. Et hæc sufficiant pro regulis necessariis ad conficiendos syllogismos, ad quod tractatus summularum otdinatur.



PARS

PARS SECUNDA LOGICÆ PARVÆ,

ſeu Sumularum.

POſtquam in prima parte, abſque ulla mixtione quæſtionum, regulas ad dirigendas operationes intellectus in ordine ad benè diſputandum propoſuimus, nunc in hac ſecunda parte difficultates, quæ in ipſa traditione regularum ſe communiter offerunt, ad majorem ipſarum regularum intelligentiam, examinabimus, & per modum diſputationis proponemus; quia jam tyrones ſufficienter inſtructi in confectione ſyllogiſmorum, commodè ad diſputandum & arguendum accedere poſſunt, quod exercitium valdè utile eſſe innuit Hugo Victor. lib. 1 erudit. c. 12. his verbis; *Neceſſe eſt falli, qui obiecta ſcientia diſputandi, de rerum natura perquireret.*

Proponitur modus arguendi.

1 ANtequam ad diſputationis exercitium accedamus, proponere oportet, quomodo ipſa diſputatio, ſeu argumentatio exercenda ſit, igitur tres communiter inveniuntur perſonę in argumentatione, ſeu diſputatione. Prima dicitur Patronus, ſeu Præſes; ſecunda ſuſtentans, ſeu defendens, tertia arguens, ſeu impugnans; nunc intendimus cujuſcumque munera, & quid quilibet agere debeat in diſputatione, declarare, & quia tractatus noſter præcipuè in inſtruendis fratribus hujus almæ Provinciæ glorioſiſſimi Patriarchæ Joſeph, innititur, prout in exercitio à majoribus noſtris accepimus, præſens aſſumptum declarabimus.

2 Igitur accedentibus fratribus ad locum deſtina-

ſtinatum pro diſputatione, & flexis genibus ante aliquam imaginem, quia omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, invocatur auxilium Spiritus Sancti, Beatiſſimæ Virginis MARIÆ, Seraphici Patris N. Franciſci, glorioſiſſimi Patriarchæ Joſeph, & cujuslibet alterius Sancti pro libito, & devotione Præſidis (cui competit verſus; & orationes, aliis, qui adſtant, reſpondentibus, recitare) poſteà, accepta à Prælato benedictione, aſcendit in cathedram Præſes, ſeditque ſuo loco ſuſtentans.

3 His, tanquam præviis ad diſputationem ſuppoſitis, munus Præſidis eſt, defendentem juvare, ſi in reſponſione deficiat, corrigere, ſi erret; illuminare, ſi ignoret, & ſi quando, vel propter inopiam vocum, vel aliam ſimilem cauſam, in defendentis reſponſionibus aliqua confuſio; vel obſcuritas apparere videatur, debet Præſes pro viribus ipſam claritate, & brevitate poſſibili effugare, ſimiliter, ſi defendens interrogatus fuerit de aliquo, vel circa aliquod, quod quidem ipſius facultatem tranſgrediatur, ſtatim Præſes debet reſponſum præbere, oſtendens, hoc defendentis ſtatum tranſilire.

4 Munus ſuſtentantis, ſeu deſcendentis eſt, ſtatum quæſtionis præcipuè diſputandæ in hunc modum proponere, accepto à Præſide ſigno, ſurgit, poſtulat veniam à Prælato, à Præſide, & à circumſtantibus ordine debito, iterùm ſedet, & ſic incipit; *Quæſtio princeps diſputanda inquirit, utrum, &c. Affirmativam, vel negativam partem teneo; quam ſic intendo probare*; tunc probat ſuam ſententiam; una, vel pluribus rationibus, ſemper à prolixitate fugiendo; & ſi quando in concluſione, quam intendit probare, aliqua apparet æquivocatio, tenetur ante probationem illam auferre, dicendo; *Antequam ad probandam meam concluſionem accedam, quia videtur, in æquivoco laborare, ſuppono, ſeu præ-*

mitto

mitto hoc, vel hoc, &c. Postquam verò conclusionem probaverit, surgit, & dicit; *Quidquid dixit & inter disputandum dixero, Sancta Romana Ecclesia, necnon vestra censura humiliter, & libenter subiicio*; & statim sedens locum, & tempus tribuit arguenti.

5 Deinde inter disputandum munus ipsius sustentantis est, audito integro arguentis syllogismo, seu enthymemate, &c. illum fideliter reperere, dicens; *Adversus conclusionem, in qua defendo, &c. sic argumentatum, vel sapientissimus Pater, vel charissimus Condiscipulus, &c.* juxta statum arguentis, & tunc repetit argumentum, deinde repetit primam propositionem quam concedit, vel negat, vel distinguit, juxta qualitatem illius, dicens: *Concedo*, vel *nego*, vel *distinguo maiorem*; vel *antecedens*, similiter repetit aliam, & aliam propositionem, & similiter respondet; advertere tamen debet, quod nunquam dicat; *nego*, vel *concedo consequens*, sed: *nego*, vel *concedo consequentiam*; neque dicat: *distinguo consequentiam*, sed, *distinguo consequens*; quia licet consequens possit esse ambiguum in se, tamen consequentia numquam est ambigua; nam, vel sequitur, vel non sequitur ex præmissis propositio consequens; & sic consequentia semper est bona, vel mala.

6 Si autem aliquando argumentum sumatur ab authoritate, dicat: *admitto*, vel *explico authoritatem*, si autem sumatur ab exemplo, seu à paritate, dicat: *Nego paritatem*, vel aliter respondeat juxta sensum paritatis; & si arguens assumpserit aliquid non conducens ad probandam aliquam propositionem, dicat sustentans: *Transeat maior*, vel *minor*, &c. modestius autem dicat: *Omitto maiorem*, vel *minorem*, &c. Si verè arguens aliquid supponat tanquam certum in aliqua propositione, quod quidem falsum sit, dicat sustentans: *Nego suppositum maioris*, vel *minoris*, &c. nisi fortè aliis verbis

respon-

respondere possit, quod melius erit, quia communiter non benè recipitur ab arguente quod taliter sibi respondeatur; si aliquando interrogatus fuerit substentans, dicat. *Inquirit, seu interrogat me sapientissimus Pater*, vel *charissimus Condiscipulus*, &c. *ad quod respondeo sic*, &c. His tantum fortè necessarium fuerit aliquam responsionem, seu distinctionem explicare, quando arguens ita petierit, ne in æquivoco argumentum procedat; finito argumento, brevitate possibili; illud, si necessarium fuerit, resumat sustentans, & similiter ea, quæ ad ipsum respondit, & sic concludat, data ultima solutione.

7 Denique, munus arguentis, seu impugnantis est, contra conclusionem, quæ defenditur argumentare, hunc ordinem observando; postquã sustentans suam conclusionem proposuerit, & probaverit, surgat arguens, & sicut sustentans, postulet à Prælato, Præside, & circumstantibus veniam, & ultimo loco à sustentãte, sedeat, & dicat; *Adversus conclusionem, in qua asseris, &c. sic argumentor*; & omissis inutilibus ambagibus, proponat unum, vel duplex medium, quo finito, dicat; *Hæc facillima sunt difficilioribus, pro tui ingenij acumine facies satis*, vel alia similia verba, & in silentio attendat quid, & quomodo sibi respondeatur, & si respondens negat aliquam propositionem, tenetur illam probare, dicens; *Probo majorem, vel minorem, &c.* si verò sustentans propositionem distinguat, prosequatur arguens dicens; *Contra sic argumentor*; & sic aliquando dubitet de aliquo, petat à sustentante explicationem; & posita in forma sufficienter sua difficultate, nullatenus inutilibus verbis contendat, sed materialiter, brevitate possibili, suam difficultatem explicet; caveat autem semper inter arguendum à varietate, seu mutatione mediorum, semper enim unicum medium; seu unicum argumentũ prosequi debet. Hæc omnia, & alia huc spectantia, magis continuo exercitio patefient.

DISP. I.

De pertinentibus ad terminum.

TAm molesta, quam inutilis quæstio proponitur ab aliquibus in initio huius tractatus, à quo, scilicet, exordium sumere debeat? An à termino, an ab alio instrumento logicali? A qua jam communiter abstinent Authores, tanquam à re parvi momenti, & à termino initium huius tractatus accipientes, tam ordinem naturæ, quàm doctrinæ sequuntur; ordo enim naturæ postulat, ut à partibus ad totum deveniatur, & terminus est pars propositionis; ordo verò doctrinæ postulat, ut à notioribus ad minus nota progrediatur, & terminus notior est omnibus de quibus in præsenti agitur, nam, ut fert commune proloquium; *Propositiones cognoscimus, in quantum terminos cognoscimus*; igitur nos communiorem methodum sequentes, etiam à termino exordium tractatus sumimus, abstinentes etiam ab hac prolixa quæstione; quod etiam generaliter videtur intendere Philosophus in qualibet doctrina; dum primo Physic. cap. 1. dixit; *In omni disciplina, cujus sunt principia, & elementa, ab eorum elucidatione est inchoanda cognitio*; termini autem sunt quasi principia, & elementa propositionum, & propositiones quasi principia, & elementa syllogismi. Nunc autem sit

QUÆSTIO I.

An terminus rectè definiatur?

1 CIrca definitionem termini potest dubitari, an rectè naturam termini explicet? Et respondetur affirmativè. Probatur; quia illa est bona, & essentialis definitio, quæ per genus,

&

& differentiam, vel per aliqua loco generis, & differentiæ, explicat naturam definiti, sed definitio termini, scilicet, *extremum propositionis*, sic explicat naturam illius: ergo est bona, & essentialis. Probatur minor; quia ly *extremum* ponitur loco generis, in quo convenit terminus cum aliis extremis, quæ termini logicales non sunt, v. gr. parietes aulæ; ly *propositionis* ponitur loco differentiæ, per quod differt terminis à supradictis extremis, quæ extrema propositionis non sunt: ergo prædicta definitio per genus, & differentiam, seu per aliqua loco generis, & differentiæ explicat naturam termini; & consequenter est bona, & essentialis definitio. Quòd etiam illi conveniant aliæ conditiones bonæ definitionis, patebit in argumentis.

2 Argues primò; bona definitio debet esse clarior suo definito; sed prædicta definitio non est clarior suo definito: ergo non est bona. Probatur minor; quia illa particula *propositionis* posita loco differentiæ, est nobis ignota, cùm adhuc notitiam propositionis non habeamus; ergo prædicta definitio non est clarior suo definito. Ad hoc argumentum (quod etiam procedit contra quamlibet aliam definitionem termini, ex pluribus, quæ ab authoribus assignantur; nam semper definitur terminus in ordine ad propositionem) respondetur negando minorem, cuius probationis distinguitur antecedens, illa particula *propositionis* est nobis ignota, id est, non est nota clarè, & distinctè, est verum; non est nota obscurè, & confusè, est falsum; unde negatur consequentia; sufficit enim quælibet notitia propositionis, licèt obscura, & confusa, ut definitio termini sit clarior suo definito; quia per illam sufficienter cognoscitur terminus dialecticus, ut distinctus à quolibet alio, quod rationem propositionis non participat; quod hoc exemplo potest declarari; ad hoc, ut hæc sit

F 2 bo-

bona definitio albi: *album est disgregativum visus*, non requiritur clara, & distincta notitia potentiæ visivæ, sed sufficit quælibet notitia, licet confusa; & utriusque ratio est, quia tam ly *propositionis*, quàm ly *visus* ponuntur in obliquo in prædictis definitionibus, & solum requiritur clara notitia illius, quod ponitur in recto, quod invenies in definitione cujuslibet relativi, cujusmodi est terminus.

3 Argues secundò: bona definitio sic debet competere suo definito, & cum illo converti, ut non conveniat aliis ab illo: sed prædicta definitio convenit aliis à suo definito: ergo non est bona. Probat. min. nam in hac propositione, *Animal rationale est definitio*, ly *animal rationale* est extremum propositionis: sed non est terminus, sed definitio; ergo definitio termini convenit aliis à suo definito. Resp. negando min. & distinguendo majorem probationis: ly *animal rationale* est extremum propositionis formaliter, ut definitio est, nego mai. accidentaliter, seu, denominativè, concedo mai. Similiter distinguo min. ly *animal rationale* non est terminus denominativè, nego min. formaliter ut definitio est, concedo min. & nego consequentiam. Etenim dupliciter potest considerari definitio, scilicet, vel secundum suam rationem formalem, vel quatenus potest denominari subjectum in propositione, in primo sensu non est terminus, sed tantùm in secundo sensu, quod convenit illi accidentaliter; nam extra propositionem conservat rationem formalem definitionis, & tamen non habet rationem termini, quàm semper secum ferre debebat, si essentialiter illi conveniret. Idem dicendum est de aliis instrumentalis logicalibus.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An extra propositionem detur formaliter terminus?

1 Titulus quæstionis idem est, ac inquirere, an actualiter componere propositionem sit ratio formalis termini? Pro cujus resolutione notandum est, quòd aliud est loqui de termino compositionis, & aliud loqui de termino resolutionis, de quo videtur loqui Aristot. dum dicit, quod terminus est, in quem resolvitur propositio, nam ibi loquitur Aristot. de resolutione mentali propositionis prioristica, quæ consistit in hoc, quod antequam constituatur propositio, examinentur partes, ex quibus componenda est, an sint aptæ ad esse subjectum, & prædicatum in tali propositione ordinando unam ad aliam. In utroque sensu terminus est relativus, ita ut prædicatum dicat ordinem ad sujectum, & subjectum ad prædicatum, ut patet ex eorum definitionibus traditis in initio prime partis, n.4. Hoc snpppsito.

2 Dicimus ad quæstionem; ratio formalis termini compositionis consistit in actualiter terminare, seu componere propositionem, & ratio formalis termini resolutionis est actualiter terminare resolutionem. Hæc conclusio, quoad primam partem est communis inter Scotistas; quoad secundam verò, videtur eamdem habere rationem. Probatur: quia de ratione relativi est actualiter referri (ut amplius alibi patebit) sed terminus, tam compositionis, quàm resolutionis est formaliter relativus, ergo de ratione formali termini est actualiter referri: sed terminus compositionis solùm quando actualiter componit propositionem, actualiter refertur, & similiter terminus resolutionis solum quando actualiter terminat resolutionem, actualiter

refertur: ergo ratio formalis termini compositionis consistit in actualiter componere propositionẽ, & ratio formalis termini resolutionis consistit in actualiter terminare resolutionem propositionis.

3 Ex quo colligitur resolutio tituli quæstionis; nam ex dictis patet, quod extra propositionem, vel extra resolutionem illius, non datur in aliquo ratio formalis termini; unde voces, v. gr. *Homo Petrus*, &c. extra propositionem tantùm possunt dici termini materialiter, seu fundamentaliter; quia sunt materia, seu fundamentum ad resolutionem, & compositionem propositionis.

4 Ubi adverte, quod terminus actualis resolutionis potest dici terminus fundamentalis, seu materialis proximè respectu termini compositionis; voces autem ante resolutionem dicuntur materia remota respectu termini compositionis. Adverte etiam quod nostra definitio convenit, tam termino compositionis, quàm resolutionis, quia idem terminus est, licet in diverso statu, ut ex se patet.

5 Argues tamen: verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem: ergo de ratione termini, quomodocumque sumatur, non est actualiter terminare, sed posse terminare. Resp. distinguendo antecedens, verba in definitione nom dicunt actum, sed aptitudinem, si definitum sit absolutum, admitto; si definitum sit relativum, ut est terminus, nego antecedens, & consequentiam. Aliter respondent alii; sed hæc resolutio sufficiat pro nunc, & fortè alibi ad simile aliter respondebimus.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Qualis ſit diviſio termini in ſubjectum, & prædicatum?

1 Diximus, terminum dividi in ſubjectum, & prædicatum, nunc dubitatur, qualis ſit iſta diviſio? Reſp. eſse generis in ſpecies. Prob. quia illa eſt diviſio generis in ſpecies, quæ datur per differentias formales, & eſsentiales; hujuſmodi eſt prædicta diviſio: ergo eſt diviſio generis in ſpecies. Prob. min. quia ratio extremi propoſitionis convenit ſubjecto, & prædicato, ſecundum diverſas rationes formales terminandi propoſitionem inter ſe eſſentialiter oppoſitas; ergo prædicta diviſio datur per differentias formales, & eſsentiales. Prob. antec. quia ita convenit eſsentialiter ſubjecto taliter terminare propoſitionem, ut nequeat terminare ut prædicatum; & ſimiliter ita convenit eſſentialiter prædicato taliter terminare propoſitionem, ut nequeat terminare ut ſubiectum; ergo ratio extremi propoſitionis convenit ſubjecto, & prædicato ſecundùm diverſas rationes formales, & eſsentiales; & conſequenter prædicta diviſio eſt generis in ſpecies.

2 Argues contra, eſse ſubjectum, vel prædicatum accidentaliter convenit termino; ſed quod convenit accidentaliter nequit eſse differentia eſsentialis, & ſpecifica; ergo diviſio termini in ſubjectum, & prædicatum non eſt generis in ſpecies. Prob. min. quia huic termino *homo*, v.g. accidentaliter convenit eſse ſubjectum, vel prædicatum; jam enim convenit illi unum, jam aliud, ut patet in his propoſitioniaus; *Homo eſt animal*; *Petrus eſt homo*; nam in prima eſt ſubjectum, & in ſecunda prædicatum ergo eſse ſubiectum, vel prædicatum accidentaliter convenit termino. Reſp. negando mai

Cujus prob. distinguo antec. Huic termino *homo* convenit accidentaliter esse subjectum, vel prædicatum, si sumatur materialiter, seu fundamentaliter; seu extra propositionem, concedo ant. Si sumatur formaliter, & actualiter in propositione, nego antec. & consequentiam. Etenim accidentale est huic termino *homo* materialiter sumpto, quod ponatur in propositione ut subjectum, vel ut prædicatum; at verò, ut actualiter componit propositionem, convenit illi essentialiter taliter, vel taliter terminare. Quod patet in supradictis propositionibus, in quibus ita est subjectum, ut nullatenus, perseverante propositione, possit esse prædicatum, & ita est prædicatum, ut nullatenus, perseverante propositione, possit esse subjectum: quod ex se patet, & hoc exemplo facilius percipi potest; nam coloratum essentialiter dividitur in album, & nigrum, & nihilominus accidentaliter convenit homini esse album, vel nigrum; quia homo tantum materialiter est coloratus.

3 Hic potest dubitari, an prædicta divisio sit adæquata? Resp. affirmativè; quia præter subjectum, & prædicatum, nihil aliud datur, quod sit extremum propositionis: ergo prædicta divisio est adæquata. Pro aliqnibus argumentis debes observare, quod ut alibi dictum est, quando in propositione sunt plures voces, solum constituunt unum integrum subjectum, & prædicatum, & quod semper in propositione inveniuntur tres voces implicitè, vel explicitè, & etiam quod subjectum, & prædicatum ex sua natura semper debent collocari in initio, & fine propositionis, licet propter modum loquendi aliquando varietur locus.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Vtrùm voces non significativæ habeant rationem formalem termini?

1 VOces significativę dicuntur illę, quę impositæ sunt ab hominibus ad aliquid significandum, ut *homo*: *Petrus*, &c. & de his nullum est dubium: nam omnes fatentur, rationem formalem termini participare. Voces non significativæ dicuntur illæ, quæ non sunt impositæ ab hominibus ad aliquid significandum, ut *Blitri*, *Scindapsus*; & de his procedit quæstio.

2 Dicimus ergo: voces non significativæ habent rationem termini, eo modo, quo ratio termini potest vocibus convenire, ut dicemus quæstione sexta. Probatur: quia illud formaliter habet rationem termini, quod est subjectum, vel prædicatum in propositione: sic se habent voces non significativæ, ut patet in hac, & similibus propositionibus *Blitri est vox*, in qua ly *Blitri* est vox non significativa, & est subjectum: ergo voces non significativæ habent rationem formalem termini.

3 Argues 1. Voces non significativæ supponuntur materialiter in propositione: ergo tantum sunt materialiter termini. Respond. concedendo antecedens, & negando consequentiam. Etenim benè compatitur, quòd aliquid materialiter supponatur in propositione, & quòd sit formaliter terminus; nam de ratione formali termini solum est, quòd terminet actualiter propositionem sub ratione formali subjecti, vel prædicati; ad quod, quasi per accidens se habet, quòd supponatur formaliter, vel materialiter, in prędicta enim propositione: *Blitri est ex vox*, licet ly *Blitri* materialiter supponatur; habet tamen rationem formalem

subjecti, quæ consistit in hoc, quòd aliquid de illo dicatur, nam de ly *Blitri* dicitur, quòd sit vox; & consequenter habet rationem formalem termini.

4 Replicabis: quando termini supponuntur materialiter in propositione, propositio est materialis: sed propositio materialis constat terminis materialibus; non verò formalibus: ergo cùm voces non significativæ semper materialiter supponantur, semper constituent propositionem materialem; & consequenter erunt tantum termini materialiter. Resp. negando mai. quia ad rationem formalem propositionis per accidens se habet, quòd termini illius materialiter, vel formaliter supponantur, nam solùm requiritur, affirmatio, vel negatio, veritas, vel falsitas, quòd semper invenitur in propositione, sive termini materialiter, sive formaliter supponantur, & consequenter semper erit propositio formalis, & termini illius formaliter termini.

5 Argues 2. Propositio est oratio: sed oratio componitur ex vocibus significativis; nam oratio aliquid significat: ergo propositio debet componi ex vocibus significativis; & consequenter voces non significativæ nequeunt habere rationem formalem termini. Resp. distinguēdo min. Oratio componitur ex vocibus significativis, ita ut omnes sint necessario significativæ, nego; ita ut aliqua vox sit significativa; concedo. Quòd clarè deducitur ex definitione orationis, scilicet, *est vox significativa ad placitum, cujus aliqua pars separata significat*, & sic sufficit, quòd aliqua pars orationis sit significativa, ut tota oratio significativa dicatur, & in propositionibus, quæ constant vocibus non significativis, aliqua vox datur, scilicet, verbum, quæ sit significativa, quòd etiam patet in homine, qui absolutè dicitur animatus, eò quòd saltim aliqua pars illius sit anima. Similiter distinguendum est consequens, & neganda est sequela.

6 Dices

6 Dices contrà: ideò anima denominat totum hominem animatum; quia est pars illius; ergo licet copula sit significativa, nequit denominare propositionem orationem significativam. Patet consequentia; quia copula non est pars propositionis, sed unio partium; ergo. Resp. neg. consequentiam, & distinguendo antecedens probationis; copula non est pars propositionis, ut propositio formaliter est, admitto, ut oratio est, nego; sufficit enim, quod copula sit pars propositionis, ut oratio est, ut possit denominare propositionem orationem significativam.

7 Aliter potest responderi ad argumentum, scilicet, qod non solùm copula est vox significativa, sed etiam aliqua pars propositionis, scilicet, prædicatum, nam cum dicimus; *Blitri est vox*, ly *vox*, quod habet rationem prædicari, est vox significativa, & sic tota propositio erit significativa, cum aliqua illius præcipua pars significativa sit. Vel aliter, quod (ut aliqui volunt) quando Arist. dicit, quod oratio est vox significativa, loquitur de oratione doctrinali, qualis non est, quæ componitur ex vocibus non significativis, sed ex hoc solum sequitur, quòd voces non significativæ non sint termini propositionis doctrinalis; non verò, quod non sint termini propositionis ut sic, quod sufficit ad nostrum intentum.

QUÆSTIO V.

Utrum copula habeat rationem formalem termini?

1 Dicimus, copula in ratione formali copulæ non est formaliter terminus. Conclusio est communis inter Scotistas, & ex dictis facilè probatur; quia de ratione formali termini est, quod sit extremum propositionis; sed copula, in ratione formali copulę,

non est extremum propositionis; sed potius medium, seu unio extremorum: ergo copula in ratione formali copulæ non est terminus.

2 Argues contra: propositio componitur ex subjecto, prædicato, & copula; ergo simul subjectum, & prædicatum habent rationem formalem termini, ita & copula: Resp. neg. consequentiam: quia non omne, quod componit propositionem habet rationem formalem termini, sed solùm quòd est extremum illius, quod nullatenus copulæ, in ratione formali copulæ potest convenire.

3 Replicabis: resolutio propositionis est consideratio partium ex quibus debet componi propositio: sed non minus debet considerari copula, quam subjectum, & prædicatum; ergo copula, ut copula, pertinet ad resolutionem propositionis: sed terminus est, in quem resolvitur propositio: ergo copula habet rationem formalem termini. Resp. primò, neg. min. quia potius requiritur oppositum ad resolutionem, scilicet, quod non consideretur copula, quia resolutio est examinatio partium seorsim, & copula secundum suam rationem formalem dicit rationem unionis, quæ immediatè opponitur considerationi partium seorsim; quod patet in simili de resolutione physica, quæ tantùm respicit partes separatas; non verò unionem.

4 Sed quia hæc solutio potest impugnari, ex eo quod in resolutione non solùm considerantur subjectum, & prædicatum, ut sunt materialiter nomina, v. gr. *homo*, & *Petrus*, sed ut sunt unibiles per copulam, necessariò pertinet ad resolutionem examinatio copulæ, sicut pertinet examinatio subjecti, & prædicati; ideò aliter respondetur ad argumentum ex nostris principiis, concesso primo syllogismo, distinguendo min. subsumptam; terminus est in quem resolvitur propositio, id est, omne, quòd examinatur in resolutione, neg. id est,

est, quòd examinatur in resolutione tamquam extremum illius, seu tamquam subiectum, & prædicatum, concedo; quòd clarè denotat Arist. in ipsa definitione termini, unde neg. consequentiam.

5 Notanter diximus, quòd copula in ratione formali copulæ non habet rationem formalem termini; nam si consideretur secundùm diversas rationes, & potest habere in eadem propositione rationem copulæ, & termini. Pro quo recolenda sunt, quæ diximus de terminis primæ, & secundæ impositionis; ex quibus facilè probatur hæc resolutio; nam in ista propositione: *Copula est verbum*, ly *est*, quatenus per primam impositionem significat unionem subjecti cum prædicato, habet rationem formalem copulæ, & quatenus per secundam impositionem denominatur copula, habet rationem formalem subiecti, ut patet: ergo copula secundùm diversas rationes potest in eadem propositione habere simul rationem copulę, & termini: contra quod nihil videtur posse objici, quòd facilè non solvatur ex dictis.

6 Aliquæ termini definitiones, quæ solent ab aliquibus adduci, scilicet, quòd *terminus est vox significativa ad placitum, ex qua simplex conficitur propositio*. *Terminus est signum punibile in propositione*, & aliæ similes, communiter non admittuntur ab Scotistis propter dicta in hac, & præcedenti quæstione; nam prædictæ definitiones non conveniunt suo definito convertibiliter, quia excludunt voces non significativas à ratione termini, & includunt in ratione termini rationem formalem copulæ, quorum neutrum ab Scotistis admittitur, ut patet ex dictis. Sed quia hoc videtur reduci ad quæstionem de nomine, de qua non multum est curandum, circa hoc immorari non licet: sufficiat, quod nostra explicatio videtur conformior verbis Aristot. &

si-

significationi hujus vocis *terminus*, quæ extremum videtur sonare.

QUÆSTIO VI.

De cæteris terminorum divisionibus

1 Circa divisiones terminorum aliqua possunt dubitari; primum est, qualis sit divisio termini in mentalem, vocalem, & scriptum? Sed resp. quòd est divisio analogi in analogata. Sic communiter Scotistæ. Probatur, quia illa est divisio analogi in analogata, in qua nomen divisi est commune membris dividentibus, & ratio significata per nomen propriè invenitur in uno ex membris dividentibus; in aliis verò impropriè, & per ordinem ad illud, cui propriè convenit: sed nomen *terminus* est commune mentali, vocali, & scripto, & ratio significata per illud propriè invenitur in termino mentali; impropriè verò in vocali, & scripto, & per ordinem ad mentalem; ergo prædicta divisio est analogi in analogata.

2 Minor, in qua est difficultas, probatur quia terminis utimur ad aliquid affirmandum, vel negandum; ergo ubi propriè, & verè fuerit affirmatio, vel negatio, ibi erit propriè, & verè terminus, & ubi impropriè fuerit affirmatio, vel negatio, ibi erit impropriè terminus; sed affirmatio, vel negatio est propriè in intellectu; impropriè verò in voce, & scriptura; ergo ratio termini propriè est in intellectu, impropriè verò in voce, & scriptura. Probatur min. quia actus intellectus ex natura sua habent affirmare, vel negare; voces verò, & scripturæ tantùm per extrinsecam denominationem, & ex libito hominum, quatenus ab illis ponuntur ut signa ad placitum ad manifestandum, quod latet in mente, & sic possunt transmutari, de una in aliam significationem, prout homines voluerint;

rint; ergo affirmatio, vel negatio propriè in intellectu reperitur; impropriè verò in voce, & scriptura, & consequenter divisio termini in vocalem, mentalem, & scriptum, est analogi in analogata.

3 Argues contra nostram probationem, in qua assumpsimus pro medio, quòd ratio termini propriè convenit mentali, impropriè verò vocali, & scripto: terminus est extremum propositionis: sed ratio propositionis non est in mente, sed in vocibus: ergo ratio termini non convenit propriè termino mentali, sed vocali. Probatur minor; quia propositio est oratio: sed oratio, cùm sit vox significativa, non est propriè in mente, sed in voce: ergo ratio propositionis non est propriè in mente, sed in vocibus; & consequenter ratio termini propriè convenit vocali, non verò mentali. Respond. neg. min. ad cujus probationem dicimus, quòd quando Arist. dixit, quòd oratio est vox, non fuit ex eo quòd judicaverit rationem formalem orationis propriè vocibus convenire, impropriè verò conceptibus; sed quia ad instruendos tyrones necessarium est, ut vocibus nostros conceptus explicemus, ideòque communiter instrumenta logicalia per rationem vocis definiuntur sed vocibus tantùm impropriè convenit ratio instrumenti logicalis, id est, quatenus sunt signa ad manifestandum instrumenta logicalia, quæ propriè sunt in conceptibus, ut supra dictum est.

4 Ubi advertendum est, quòd hic loquimur de termino sumpto ut *quo*; nam si terminus sumatur ut *quod*, idem est terminus mentalis, quam vocalis, & scriptus; nam idem est, quod mente concipitur, & vocatur conceptus objectivus, ac quod significatur per voces, & scripturas, quæ ponuntur ut signa ad manifestandum id ipsum, quòd concipitur mente, in quo nullum est dubium.

5 Se-

5 Secundò potest dubitari, qualis sit divisio termini in categorematicum, & syncategorematicum? Ad quod suppositis dictis circa hos terminos lib. 1. cap. 1. num. 9. quòd nomina adiectiva non solùm, si substantivè sumantur, ut in hac propositione: *Deus, & creatura sunt omnia*, sunt termini categorematici; sed etiam si sumantur adjectivè, ut in hac propositione: *Petrus est albus*; quia ad rationem termini categorematici sufficit, quòd aliquid possit esse per se integrum prædicatum, & deinde, quia aliqua nomina adiectiva per se aliquid significant, ut *doctus*, quod per se, & in recto significat doctrinam; unde solum nomina adjectiva, quæ adiectivè sumpta, neque significant aliquid per se independenter ab alio, neque possunt esse integrum prædicatum in propositione, ut *omnis, nullus*, &c. & similiter adverbia habent rationem termini sincategorematici. Hoc supposito.

6 Respondetur ad dubium, quòd prædicta divisio est analogi in analogata; quod patet, quia ratio termini propriè, & per se convenit termino categorematico, cùm per se possit esse subjectum, vel prædicatum in propositione; impropriè verò, & per ordinem ad terminum categorematicum, convenit syncategorematico, cùm non possit per se esse subjectum, & prædicatum in propositione, nisi per accidens ratione categorematici, cui adjungitur: ergo prædicta divisio est analogi in analogata.

7 Tertiò potest dubitari, quales sint aliæ divisiones terminorum? Resp. quod nihil peculiare se offert circa cæteras divisiones terminorum, & omnes videntur esse subjecti in accidentia, quod patebit discurrenti per omnes illas; nam per accidens se habet ad rationem formalem termini, seu subjecti, &

præ-

prædicari, quod altera, vel altera denominatione ex omnibus, quæ in prædictis divisionibus inveniuntur, nominetur; nulla enim variat rationem formalem subjecti, vel prædicati: sed quando membra dividentia accidentaliter conveniunt diviso, diviso dicitur subjecti in accidentia: ergo omnes prædictæ divisiones sunt subjecti in accidentia.

DISP. II.

De signo, & significatione.

PRæterea, quæ diximus de signo 1. p. lib. 1. cap. 2. plura adducit Scotus, tam de ipso signo, quàm de significatione, pluribus in locis, & præcipuè in 1. dist. 27. quæst. 3. vers. Ad secundum, sub litt. H. & in 4. distinct. 1. quæst. 2. §. De secundo principali, à litt. D. usque ad litt. H. ex quibus aliqua, quæ communiter dubitari solent, in præsenti proponemus.

QUÆSTIO I.

In quo consistat ratio signi:

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est, signum dupliciter posse sumi, scilicet, materialiter, & in esse rei, & formaliter, seu in esse signi, & cùm signum, vel sit naturale, vel ad placitum, de utroque, & in utroque sensu procedit quæstio. Hoc notato.

2 Dicimus primò: signum naturale materialiter, & in esse rei constituitur per connexionem, quam habet ex natura rei, & independenter ab institutione hominum, cum re, quam significat; signum verò ad placitum materialiter, & in esse rei constituitur per connexionem, quam habet ex institutione hominum, cum re,

ad quam ſignificandam inſtituitur. Hæc concluſio nullam videtur habere controverſiam, & ex ipſis terminis patet, nam ſignum naturale ex ſe eſt aptum ad ſignificandum: ſignum verò ad placitum, non ex ſe, ſed ex libera hominum impoſitione.

3 Dicimus ſecundo: ſignum naturale in eſſe ſigni formaliter conſtituitur per aptitudinem, quam habet independenter ab inſtitutione hominum ad deducendam potentiam in cognitionem rei ſignificatæ; ſignum verò ad placitum conſtituitur in eſſe ſigni formaliter per aptitudinem, quam habet, ſuppoſita inſtitutione hominum, ad deducendam potentiam in cognitionem rei ſignificatæ. Hæc concluſio etiam eſt communis, & ex ſe patet, ſicut antecedens. Ex qua deducitur, ſignum formaliter ut tale, duplicem terminum reſpicere, ſcilicet, rem, quam aptum eſt repræſentare, & potentiam, cui rem repræſentare debet, quod patet, quia impoſſibile eſt, ſignum aliquid repræſentare, niſi alicui potentiæ cognoſcitivæ repræſentet, & etiam eſt impoſſibile, ipſum ſignum potentiæ cognoſcitivæ repræſentare, quin aliquid ei repræſentet; ergo ſignum in ratione formali ſigni duplicem terminum reſpicit, ſcilicet rem, & potentiam.

4 Dicimus tertiò, ſignum in ratione formali ſigni reſpicit rem, quam ſignificat, & potentiam, cui ſignificat, ſeu repræſentat, per unicum tantùm reſpectum. Hæc concluſio eſt etiam communis inter Scotiſtas, & probatur; quia non ſunt multiplicandæ entitates, quando neceſſitas non urget; ſed nulla eſt neceſſitas multiplicandi in ſigno prædictos reſpectus; ergo per unicum reſpectum reſpicit ſignum rem ſignificatam, & potentiam. Hoc clarius patebit ex ſolutione ſequentis argumenti.

5 Argues contra; in ſententia Scotiſtarum multiplicatis terminis, multiplicantur relatio-

nes

nes in eodem fundamento: ergo signum dicit duplicem respectum, seu relationem ad rem significatam, & potentiam. Respond. omissis aliis solutionibus, disting. anteced. Si termini sint adæquati, & totales, conc. si termini sint inadæquati, & partiales, neg. antec. & conseq. etenim res, quæ per signum significatur, & potentia, cui repræsentatur, habent simul rationem unius termini adæquati, & totalis respectu signi; nam impossibile est, ut supra diximus, quod signum terminetur ad unum, scilicet, ad rem significatam, quin simul terminetur ad aliud, scilicet ad potentiam, cui res repræsentatur.

6 Ex dictis sequitur, quod ratio signi in signo naturali est realis, & independens à consideratione intellectus; in signo verò ad placitum est quid proveniens à denominatione extrinseca desumpta ab actu liberi arbitrii hominum imponentium illud ad significandum; quod aliqui volunt esse ens rationis, quod verum est, si intelligant de ente rationis fundamentaliter sumpto, non verò formaliter, ut suo loco dicemus.

7 Sequitur etiam quod ad rationem signi non requiritur necessariò, quod actualiter rem potentiæ cognoscitivæ repræsentet; sed sufficit, quod aptum sit rem potentiæ cognoscitivæ non impeditæ repræsentare, & sic fumus v. g. est signum, licet actualiter non ducat potentiam in cognitionem ignis; eò quod aptum est ignem repræsentare, quod communiter admittitur.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An voces significent res, An conceptus rerum?

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est primò, quod vox, ut ad præsens attinet: *Est sonus ab ore animalis prolatus cum intentione aliquod significandi*; quæ definitio deduciture ex Aristot. lib. 4. de histor. animalium cap 9. & cùm voces in hoc sensu sint signa ad placitum, idem est inquirere; an voces significent res, an conceptus rerum? Ac inquirere, an voces sint signa rerum, an verò conceptus:

2 Notandum est secundo, quod signum, ut tenet quidam doctissimus Sotista, vel potest dici materiale, vel personale. Tunc dicitur signum materiale, quando tantummodo aliquid repræsentat, seu significat, & non usurpatur pro eo quod significat, seu repræsentat; ideòque ab aliquibus appellatur purè repræsentativum. Personale dicitur, quod significat, seu repræsentat aliquid, pro quo usurpatur, ideòque ab aliquibus dicitur suppositivum, exemplum primi est fumus respectu ignis; exemplum secundi est Nuncius Apostolicus respectu Summi Pontificis. His notatis

3 Dicimus primò: voces absolutè loquendo sunt simul signa rerum, & conceptuum. Hæc conclusio videtur clara ex ipso usu vocum, nam audita voce, certificatur audiens de conceptu loquentis, simulque apprehendit res per voces significatas.

4 Quod sint signa rerum probatur; quia vòx est signum illius, in cujus cognitionem ducit illam audientem, & intelligentem: sed vox ducit in cognitionem rerum illam audientem, & intelligentem; nam audita aliqua voce signi-

gnificativa, v. g. ista; *homo*, statim pervenit audiens in cognitionem naturæ humanæ, quam significat; ergo voces sunt signa rerum. Quod autem etiam sint signa conceptuum, etiam probatur; quia quod gerit vices conceptuum, necessariò est signum ipsorum conceptuum; sed voces gerunt vices conceptuum; etenim institutæ sunt voces, ut commercium habere possimus ad invicem; nam si ipsos conceptus sine vocibus, aut aliis signis manifestare possemus, ipsis vocibus, aut signis non uteremur; sed solis mentis conceptibus colloqueremur sicut Angeli; ergo voces sunt signa conceptuum.

5 Dicimus secundò, voces, si sumantur ut signum materiale, seu pure repræsentativum (quod propriè, & rigorose est signum) significant immediatè ipsas res, non verò conceptus. Probatur, quia significare res ut signum materiale, seu purè repræsentativum, est ipsas res notas facere statim, ac percipitur tale signum; sed voces statim, ac audiuntur, & percipiuntur, res ipsas notas faciunt immediatè, non autem conceptus, nisi secundariò, & per accidens: ergo si voces sumantur ut signum materiale, significant immediatè res; non verò conceptus. Probatur minor. quia audita, & percepta hac voce *ignis* v. gr. statim excitatur in mente species illius elementi quòd summè calidum est, non autem primariò, & per se excitatur species conceptus, quem habet proferens talem vocem de ipso elemento ignis, quod ex se patet, ergo audita voce, res significata per illam prius fit cognita, quam conceptus ipsius rei, ac per consequens, &c.

6 Argues contra; istæ voces *intellectio*, *cognitio*, & aliæ similes significant immediatè ipsum couceptum formalem, ergo aliquæ voces significant immediate conceptus; non verò res. Respond. disting. antecedens; prædictæ voces significant conceptum formalem, ut con-

conceptus formalis est, nego; ut est conceptus objectivus respectu alterius conceptus formalis, concedo, sed in hoc sensu idem est conceptus, ac res; nam conceptus objectivi se habent ut res significatæ, seu sunt ipsæ res significatæ per voces. Et similiter distinguendum est consequens.

7 Dicimus tertiò; voces, si sumantur ut signum personale, seu suppositivum, quod non est tam propriè, & rigorosè signum, significant immediatè, & primariò conceptus mentis, secundario verò, & mediatè ipsas res. Probatur, nam repræsentare aliquid ut signum personale, seu suppositivum, est illud repræsentare tenens ejus locum, non verò ex primario fine ducere in cognitionem ejus: sed voces, ut comparantur ad conceptus, ex primaria sui institutione; dispositæ sunt ad obtinendum locum ipsorum conceptuum, & ut præstent id, quòd præstarent conceptus, si manifestari possent sine vocibus: ergo voces sumptæ ut signum personale, seu suppositivum, significant primariò conceptus, res autem secundario, & mediatè. Minor videtur certa; nam ideo loquens utitur vocibus, quia non potest manifestare, quod habet in mente per ipsos conceptus immediatè, & sic necessitatur ad ponendum aliquod signum, quod teneat locum ipsorum conceptuum.

8 Cùm hac distinctione facilè respondetur ad quælibet argumenta, & conciliantur aliquæ oppositæ sententiæ. Pro maiori autem claritate semper observandum est, quòd ratio signi materialis est propria ratio signi, quia ex se primariò ordinatur ad ducendam potentiam in cognitionem rei, quam repræsentat; ratio verò signi personalis non est propria, & rigorosa ratio signi, cùm ex se primariò non ordinetur ad ducendam potentiam in cognitionem rei, quam repræsentat, sed ad obtinendum locum

il-

illius, quod repræsentat, & ad faciendum id, quod repræsentatum facturum erat, quod loquendo de vocibus clarè insinuat Scotus citatus in 1. dist. 27. quæst. 3. ubi dicit, quòd voces ponuntur loco conceptus, ut unum signum loco alterius, & sic aliquomodo unum signum est signum alterius, licet non propriè, & rigorosè Videatur Scotus loco citato, ex quo clarè deducitur, licet non ipsis verbis, totum quod in hac quæstione diximus.

9 Ex quo facilè deducitur resolutio alterius quæstionis, scilicet, an voces supponantur pro conceptibus? An vero pro rebus? Nam dicimus, quod secundum proprietatem sermonis voces supponuntur pro conceptibus; nam suppositio est propriè subrogatio, seu substitutio unius loco alterius ad faciendum id, quod illud aliud debebat facere, & ut dictum est, voces ponuntur ad faciendum id, quod conceptus facere debebant, id est ad manifestandas res, quas manifestarent ipsi conceptus, si possent; ut faciunt Angeli, qui non indigent vocibus. Quod dictum est de vocibus, dicendum est suo modo de scripturis, & aliis signis, quibus res possunt significari, & conceptus manifestari.

DISP. III.

De modo sciendi.

EGimus de modo sciendi lib. 2. capit. 1. & præter ibi dicta, aliqua possunt dubitari, tam de ipso modo sciendi in communi, quàm in particulari, quæ quia breviter tractanda sunt, hac unica quæstione resolvemus.

QUÆ-

QUÆSTIO UNICA.

In qua proponuntur aliqua dubia circa modum sciendi.

1 DUbitabis primò; an rectè, & adæquatè dividatur modus sciendi in definitionem, divisionem, & argumentationem? Resp. affirmativè. Probatur; quia de qualibet re tria possunt dubitari, scilicet, natura, seu essentia, partes, & proprietates ejus; sed hac manifestantur per prædicta membra dividentia modi sciendi: ergo prædicta divisio est bona, & adæquata. Probatur minor. quia dubitanti de natura, seu essentia, v. gr. hominis; respondetur per definitionem ejus, scilicet, *animal rationale*, dubitanti de partibus, seu speciebus, v. gr. animalis, respondetur per divisionem, scilicet, *animal aliud est rationale, & aliud irrationale*: & dubitanti de aliqua proprietate v. gr. an risibilitas sit proprietas hominis? Respondetur per argumentationem, hoc modo; *Illud est proprietas alicujus, quod convenit omni soli illi, & semper; sed risibilitas convenit omni homini soli illi, & semper*: ergo *risibilitas est proprietas hominis*: ergo omnia, quæ possunt dubitari de aliqua re, manifestantur per tria prædicta membra dividentia modum sciendi, & consequenter prædicta divisio est bona, & adæquata.

2 Dubitabis secundò, qualis sit prædicta divisio? Respond. esse generis in species. Probatur, quia illa est divisio generis in species, in qua ratio divisi univocè reperitur in membris dividentibus, & hæc differunt inter se per differentias intrinsecas, & essentiales: sed ratio manifestandi ignotum convenit univocè definitioni, divisioni, & argumentationi, & hæc differunt inter se per diversum modum intrinsecum, & es-

eſsentialem manifeſtandi ignotum, ut patet ex propriis definitionibus; ergo prædicta diviſio eſt generis in ſpecie.

3 Arguunt contra aliqui tenentes, talem diviſionem eſse analogi in analogata; tunc diviſio eſt analogi in analogata, quando ratio communis propriè invenitur in uno ex membris dividentibus; impropriè verò in aliis, & per ordinem ad illud; ſed ratio modi ſciendi propriè invenitur in argumentatione; impropriè verò, & per ordinem ad illam in definitione; & diviſione; ergo prædicta diviſio eſt analogi in analogata. Probatur min. quia modus ſciendi manifeſtat ignotum in ordine ad ſcientias comparandas; ſed hoc propriè convenit argumentationi; quia ſcientiæ per argumentationem acquiruntur; definitioni autem ſolùm impropriè, & in ordine ad argumentationem; quia definitio eſt medium in argumentatione, & ſimiliter diviſio, quia aufert æquivocationem, ut rectè procedat argumentatio; ergo ratio modi ſciendi propriè convenit argumentationi; impropriè verò, & per ordinem ad illam definitioni, & diviſioni, & conſequenter diviſio eſt analogi in analogata.

4 Ad hoc argumentum, quod magni faciunt tenentes oppoſitum noſtræ reſolutioni, facilè reſp. neg. min. cujus probationis etiam neg. min. Etenim ratio manifeſtandi ignotum in ordine ad ſcientias comparandas, tam propriè convenit definitioni, & diviſioni, ſicut argumentationi; licet diverſo modo. Pro cujus intelligentia advertendum eſt, quod in ſcientia aliqua ſupponuntur, & aliqua inquiruntur; ſupponuntur enim tam eſsentia, quàm partes alicujus, & hujus proprietates inquirũtur; ſed omnium horum cognitio pertinet propriè ad ſcientias comparandas, v.g. in ſcientia, quæ agit de homine tamquam de objecto, debet præſupponi, quid ſit homò, quod cognoſcitur per diviſionem animalis, & quid ſit homo, quod cognoſcitur per defi-

nitionem illius, quæ cognitiones necessariò conducunt ad scientias comparandas; quibus suppositis, inquiruntur, & demonstrantur in scientia proprietates hominis; sed independenter ab hac inquisitione, seu demonstratione, manifestant ignotum definitio, & divisio per prædictas antecedentes cognitiones; quod patet ex eo quòd licet definitio sit medium in demonstratione, & divisio supponatur ad illam, ne in æquivoco procedat; tamen per argumentationem non cognoscitur, neque demonstratur, quod cognoscitur per definitionem, & divisionem.

5 Dubitabis tertiò: an definitio rectè definiatur? Resp. affirmativè, quia rectè explicat naturam definiti, nam quælibet definitio est oratio explicans naturam rei, ut hæc v. g. *Animal rationale* rectè explicat naturam hominis: ergo definitio rectè definitur.

6 Argues contra: nihil definitur per se ipsum rectè: sed definitio definitur per definitionem: ergo definitur per se ipsam, & consequenter non rectè definitur. Probatur mai. quia definitio debet esse clarior suo definito: sed nihil potest esse clarior se ipso; ergo nihil definitur rectè per se ipsum: Respond. disting. maj. nihil definitur rectè per se ipsum, secundum eamdem rationem, concedo; secundum diversas rationes, nego; similiter disting. min. definitio definitur per definitionem, secundùm eamdem rationem, nego; secundum diversas rationes, concedo; eodem modo distinguendum est consequens, & probatio majoris. Etenim definitio, vel sumitur ut *quo*, vel ut *quod*, si sumatur ut *quo*, est ratio declarandi se ipsam, sumptam ut *quod*, & etiam est clarior se ipsa: si autem sumatur ut *quod*, est definibilis, & declarabilis per se ipsam sumptam ut *quo*, & similiter est obscurior se ipsa; quod non est inconveniens, cùm hęc illi conveniant secundum diversas rationes.

DISP.

DISP. IV.

De pertinentibus ad enunciationem.

ALiqua ſe offerunt diſputanda, tam circa eſſentiam enunciationis, quàm circa diviſiones illius, quæ per ſequentes quæſtiones examinabimus. Sit ergo

QUÆSTIO I.

Quomodo enunciatio rectè definiatur?

1 DIcimus primò: enunciatio non benè definitur ſic: *Eſt oratio affirmativa, vel negativa*. Hæc concluſio eſt contra plures Scotiſtas, ſed ſtat pro illa major pars Scotiſtarum. Probatur, quia definitio alicujus rationis communis debet præſcindere à ſuis ſpeciebus, ut definitio animalis in communi præſcindit à rationali, & irrationali: ſed prædicta definitio non abſtrahit à ſuis ſpeciebus, ſcilicet; ab enuntiatione affirmativa, & negativa: ergo non eſt bona definitio.

2 Aliqui reſpondent, prædictam definitionem non explicare unum conceptum propoſitionis in communi præſcindentem ab affirmativa, & negativa, ſed duos conceptus hac voce *enunciatio* confusè ſignificatos, ſcilicet, *affirmare*, & *negare*, & conſequenter non eſſe unum, ſed duplicem definitionem. Sed contra reddit noſtra ratio, nam ut rectè definiatur aliquod genus (ut fatentur eſſe enunciationem reſpectu affirmativæ, & negativæ, qui ita reſpondent) non debet definiri per conceptus ſpecierum nam animal, quod eſt genus reſpectu hominis, & bruti, non rectè definitur per conceptus illorum, dicendo: *Animal eſt homo, vel brutum*: ergo prædicta definitio non explicat naturam

enunciationis, & consequenter non est bona?

3 Respondent, quòd hoc est verum, quando est perceptibilis conceptus rei in communi, ut præscindit ab inferioribus, ut contingit in animali respectu hominis, & bruti, at verò in enunciatione non est perceptibilis talis conceptus præscindens ab affirmativa, & negativa. Sed contra est: quia benè possumus habere conceptum enunciationis ut sic præscindentem ab affirmativa, & negativa; nam audito hoc nomine *enunciatio*, benè formamus conceptum orationis judicativæ, præscindendo ab hoc, quod sit affirmativa, vel negativa: ergo perceptibilis est talis conceptus.

4 Dicimus secundò: Enunciatio non benè definitur hoc modo: *Est oratio verè, vel falsè significans*. Hæc conclusio communiter recipitur ab Scotistis, & potest probari simili ratione, ac præcedens; nam eadem videtur esse ratio, cum enunciationes vera, & falsa sint inferiores respectu enunciationis ut sic. Neque obstat, si dicas, prædictas definitiones traditas fuisse ab Arist. nā dicimus intentū Arist. non fuisse quidditativè, & essentialiter per illas enūciationem definire; sed tantum denotare, omnem enunciationem esse affirmativam, seu negativam, veram, vel falsam.

5 Dicitur tertiò: *Propositio, seu enuntiatio est ratio iudicativa unius de alio*. Hæc definitio tanquam rectè explicans naturam enunciationis in communi, admittitur à majori parte Scotistarum, & à pluribus aliis, & probatur ejus bonitas: quia hæc definitio explicat conceptum communem enunciationis, ut præscindit ab affirmativa, & negativa: ergo hæc definitio rectè explicat naturam enunciationis ut sic, & consequenter est bona. Si autem inquiras, quid sit, quod dicit enunciatio, ut præscindit ab affirmativa, & negativa? Resp. esse illud, in quo peculiariter conveniunt judicium affirmativum, & negativum magis inter se, quam cùm aliis

aliis actibus intellectus, quod ut inquit quidam doctissimus Scotista, magis quisque poterit propria experientia discernere, quam verbis exprimere aliter.

6 Arguit primò quidam subtilis Scotista: quod est proprium unius, prout distinguitur ab alio, nequit esse aliquid eis commune: sed enunciare unum de alio est proprium propositionis affirmativæ, ut distinguitur à negativa: ergo enunciare unum de alio non est quid commune affirmativæ, & negativæ: Probatur minor, quia propositio affirmativa distinguitur à negativa, in quantum affirmat unum de alio; sed affirmare unum de alio, idem est, ac enunciare unum de alio: ergo enunciare unum de alio est proprium propositionis affirmativæ, ut distinguitur à negativa. Prob. min. quia impossibile est intelligere, propositionem secundùm aliquam rationem unum de alio enunciare, & quòd secundum eandem rationem unum de alio non affirmet; ergo unum de alio enunciare est unum de alio affirmare.

7 Respondetur neg. min. & minorem probationis, & similiter antecedens probationis secundæ minoris; nam ut supra dictum est, benè potest intelligi ratio enunciandi, quin intelligatur ratio affirmandi, nam se habent tanquam superius, & inferius.

8 Arguit secundò in confirmationem præcedentis argumenti: propositio negativa ut talis non enunciat unum de alio; ergo sola affirmativa enunciat. Probatur antecedens; nam si propositioni affirmativæ, in qua unum de alio enunciatur, præponatur negatio, jam non enunciat, imo removet à subjecto, quòd de illo in affirmativa enunciabatur, ergo propositio negativa non enunciat unum de alio, sed sola affirmativa, & consequenter enunciare non est quid commune propositioni affirmativæ, & negativæ. Resp. neg. antec. & disting. antec. pro-

bationis: propositio negativa non enunciat unum de alio, positivè, concedo; negativè, nego, & neg conseq.

9 Arguit contra: enunciare negativè, idem est, ac non enuntiare; ergo si propositio negativa enunciat negativè, non enunciat; ergo non est propriè enunciatio, imò est negatio enunciationis, sicut negatio entis non est propriè ens: sed enunciationi, & non enunciationi nihil datur commune, sicut neque enti, & non enti; ergo propositioni affirmativæ, & negativæ nihil datur commune.

10 Respondetur negando antecedens, quod ut facilè intelligas, & totum argumentum solvas, notare debes, quòd propositio potest sumi dupliciter, scilicet, formaliter, & objectivè. Formaliter dicit actum judicativum intellectus, & in hoc sensu semper dicit actum positivum ipsius intellectus, sive sit affirmativa, sive negativa, & sic affirmativa, & negativa conveniunt in ratione actus positivi judicativi intellectus, & differunt in hoc quod una judicat affirmando, altera verò negando, & sic quando dicimus, quod propositio negativa enunciat negativè, non intelligitur, ita quod sit negatio actus positivi, sed ista; quòd sit actus positivus negans. Objectivè autem dicit objectum, seu materiam, circa quam fit propositio: & tunc sumitur oppositio propositionis ex oppositione ipsius materiæ, & si est circa eandem materiam, tunc non potest dari conceptus communis affirmativæ, & negativæ, objectivè sumptis, ut patet in his propositionibus; *Homo est animal: homo non est animal*; quia in tali casu est affirmatio, & negatio ejusdem de eodem; sed ex hoc nihil contra nos; nam loquimur de propositione formaliter sumpta.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Quales sint divisiones propositionis?

1 Plures sunt propositionis divisiones, ut dictum est lib. 2. cap. 2. Nunc autem potest dubitari, quales sint prædictæ divisiones? Pro quibus, dicimus primò; divisio propositionis in categoricam, & hipotheticam est generis in species. Circa hanc conclusionem sunt divisi Scotistæ, sed plures sunt, qui eam tenent. Probatur, quia ratio enunciationis convenit propriè categoricæ, & hypotheticæ, & differunt essentialiter per diversos modos enunciandi; nam categorica enunciat absolutè, & sine dependentia; hypothetica verò dependenter, & ex suppositione, ergo talis divisio est generis in species.

2 Arguunt contra: propositioni hypotheticæ non convenit propriè enunciare: ergo talis divisio non est generis in species. Patet consequentia, quia propositio hypothetica nequit esse species propositionis in communi, nam species, quæ dividunt genus, debent propriè participare rationem illius. Antecedens probatur, quia propositio hypothetica non prædicat unam propositionem de alia, sed tantum eas coniungit, quod est, quædam umbra propriæ enunciationis; ergo non est propriè eniunciatio. Et potest confirmari; quid hypothetica non continet diversam veritatem, vel falsitatem ab illa, quæ continent categoricę ex quibus constat: ergo non est enunciatio essentialiter diversa à categorica.

3 Resp. neg. antec. ad probationem dicimus, quòd de ratione propositionis: ut sic est esse enunciativam, hoc est, assertivam alicujus complexi; potest autem aliquid asseri, non tantùm per prædicationem unius de alio, sed etiam per

copulationem plurium propositionum, quæ copulatio diversum judicium postulat à Judiciis ipsarum propositionum, quas copulat, & talis modus enunciandi convenit essentialiter propositioni hypotheticæ, ut distinctæ à categorica. Ex quo respondetur ad confirmationem; neg.antec.nam sicut postulat diversum judicium hipothetica à categoricis, ita secum fert diversam veritatem, aut falsitatem; ut patet in hac: *Si Petrus esset equus, non esset intelligens*, quæ est vera, licet categoricæ, ex quibus componitur sint falsæ.

4 Dicimus 2. Divisio propositionis in complexam, & in incomplexam, est generis in species. Hæc conclusio potest probari ratione, qua respondetur ad argumentum antecedentis. Divisio autem complexæ in copulativam, & disjunctivam; etiam potest dici generis in species, quia essentialiter diverso modo enunciat. Neque videtur, quid contra hoc possit obiici, quod alicuius sit momenti.

5 Dicimus tertiò: divisio propositionis categoricæ in absolutam, & modalem, est subjecti in accidentia. Probatur, quia propositio modalis potest reduci ad absolutam, ut cum dicimus. *Possibile est Petrum currere*, idem est, ac dicere: *Hæc propositio, Petrus currit, est possibilis*: sed prima est modalis, & secunda absoluta: ergo per accidens se habet ad rationem propositionis, quòd sit absoluta, vel modalis. Potest etiam dici, quod est divisio generis in species, nam absoluta essentialiter solum petit habere aliquem terminum pro subjecto, & pro prædicato; modalis verò essentialiter petit habere pro subjecto aliquam integram propositionem, & pro prædicato aliquem modum; sed subiectum, & prædicatum sunt de essentia propositionis; ergo diversa ratio subiecti, & prædicati variat rationem propositionis, ac per conseq. talis divisio est generis in species. Utrūq; videtur probabile.

Di-

6 Dicimus quartò: divisio propositionis categoricæ in constantem verbo substantivo, & verbo adjectivo, est analogi in analogata. Probatur, quia ratio copulæ, quæ est forma propositionis, propriè conuenit verbo substantivo, impropriè verò, & per ordinem ad illud verbo adjectivo: ergo talis divisio est analogi in analogata. Idem dices de divisione propositionis, secundum diversa tempora verborum, quia solum tempus præsens est propriè copula, cætera verò tempore tantum per reductionem ad illud, ut diximus loquendo de verbo.

7 Dicimus quintò: divisio propositionis categoricæ in necessariam, contingentem, & impossibilem, licet sit univoci in uniuocata, non tamen est generis in species; quod patet, quia ratio propositionis propriè convenit cuilibet ex prædictis, & licet differant per differentias intrinsecas; tamen tales differentiæ sunt materiales, nam desumuntur à materia: sed ad rationem divisionis generis in species requiritur, quòd membra diuidentia differant per differentias formales: ergo talis divisio, licet sit univoci in univocata, non tamen est generis in species. Reducitur ergo hæc divisio ad divisionem subjecti in accidentia; nam accidentale videtur propositioni formaliter sumptæ, quod fiat in hac, vel in illa materia.

8 Dicimus sextò: divisio propositionis categoricæ in affirmativam, & negativam est generis in species. Probatur, quia hæc divisio desumitur ex forma, quæ essentialiter diuersa est in propositione affirmativa, & negativa; in affirmativa enim caret negatione, quàm habet in negatiua: ergo prædicta divisio est generis in species essentialiter diversa.

9 Dicimus sepimò: divisio propositionis categoricæ in veram, & falsam, vel est accidentalis, vel generica per proprias passiones. Hæc

conclusio dependet ex alibi dicendis circa modum, quo veritas, & falsitas propositioni conveniunt, quod hic valdè longum, & molestum esset recensere.

10 Dicimus octavo: divisio propositionis categoricæ in universalem, particularem, indefinitam, & singularem, est subiecti in accidentia; quia prædictæ propositiones solum differunt per maiorem, vel minorem quantitatem; sed ut fert commune proloquium: *Magis, & minus non variant speciem*, & deinde quantitas est accidens cujuscumque, in quo invenitur: ergo talis divisio est subjecti in accidentia.

11 Dicimus nonò: divisiones propositionis hypotheticæ eodem modo se habent, ac propositionis categoricæ; unde ex dictis facilè deducitur à simili, quale sint tales divisiones, ideòque de illis nihil peculiare restat dicendum. Contra omnia supradicta nihil videtur posse obiici, quod facilè non solvatur ex eorum intelligentia.

12 Aliæ divisiones propositionis solent adduci, scilicet, in propositionem de *in esse*, & modalem: sed hæc divisio eadem est, ac divisio propositionis in absolutum, & modalem, nam propositio de *in esse* nihil aliud est, nisi quòd denotetur in illa prædicatum absolutè *in esse* subjecto, quod est propriuum propositionis absolutæ, ut distinguitur à modali. Alia est divisio in propositionem de primo, de secundo, & de tertio adjacente. Propositio de primo adjacente dicitur, quæ unica tantum voce exprimitur, ut cùm dicimus: *Curro*. De secundo adjacente dicitur, quando expimitur duplici voce, scilicet, subjecto, & verbo, ut *ego curro*. De tertiò adiacente dicitur, quando totum exprimitur in propositione: *ut ego sum currens*. Sed hæc divisio non est de re, sed tantum de modo significandi, penes implicitum, & explicitum, quod

non

non variat rationem propositionis, imò omnes in re sunt æquivalentes. Aliter solent prædictæ propositiones explicari, sed hoc reducitur ad quęstionem de nomine.

QUÆSTIO III.

In qua resolvuntur aliqua de oppositione, & conversione simplicium propositionum.

1 Circa oppositionem simplicium propositionum plura possunt dubitari, sed omnia facilè sulvuntur, si ad leges cujuslibet oppositionis attendatur, & simul observetur, quod debent habere propositiones oppositæ easdem affectiones sine aliqua variatione, præter suppositionem, quę provenit illis ratione quantitatis, nam hæc benè potest variari, imò in aliquibus oppositionibus necessariò variari debet. Nunc autem potest peculiariter dubitari, circa illam legem contradictoriarum, scilicet, quòd non possint esse simul veræ, nec simul falsæ, an scilicet, sit bona? Ad quod respondetur affirmativè, quia hoc non videtur habere aliquid in contrarium, si ad supradicta attendatur.

2 Argues tamen contra: hæ propositiones: *Omnis homo in quantum homo est albus; aliquis homo in quantum homo non est albus*, sunt contradictoriæ; sed tamen sunt simul falsæ, quia falsum est dicere, quòd habere, vel non habere albedinem, conveniat homini in quantum homo est; nam in quantum homo est solum convenit illi esse animal rationale: ergo prædicta lex non est bona. Pro responsione notandum est cum Scoto in 1. dist. 5. quæst. 1. §. Ad argumenta, vers. Ad ultimum, sub litt. L. quòd contradictoria sunt in duplici differentia; alia sunt immediata, ut quando aliquid prædicatur immediatè de subjecto sine aliqua reduplica-

tione, ut cùm dicimus: *Petrus est albus: Petrus non est albus*, & in his semper tenet prædicta regula. Alia sunt mediata, ut quando prædicatur aliquid de subiecto ratione alicujus medii, seu reduplicationis denotantis causam, qua prædicatum convenit subjecto, ut patet in exemplo argumenti; & in his, si tale medium est ratio, qua prædicatum convenit, vel non convenit subiecto, etiam tenet prædicta regula, ut patet in his propositionibus: *Homo in quantum homo est animal rationale: homo in quantum homo non est animal rationale*, quarum prima necessariò est vera, secunda verò necessariò falsa. Si autem tale medium non est ratio, qua prædicatum conuenit, vel non convenit subjecto, non teneret prædicta regula, ut patet in propositionibus argumenti. Hoc supposito.

3 Respondetur ad argumentum disting. mai. prædictę propositiones sunt contradictorię, immediate, neg. mediate; subdisting. ita ut medium sit ratio, qua prædicatum convenit, vel non convenit subjecto, nego, ita ut medium non sit talis ratio, concedo, & concessa minori, neg. conseq. Ratio prædictorum est; quia prædictæ propositiones, absolute loquendo, non sunt proprie contradictoriæ, licet contradictoriè appareant, imò sunt contrariæ de lege, quia sunt simul falsæ, quod in materia contingenti est lex contrariarum. Inquit tamen Scotus cit. quòd prædictę propositiones fiunt contradictoriæ, præposita negatione ipsi medio, seu reduplicationi, ut si dicamus: *Homo in quantum homo est albus*, quæ est falsa, & *Homo non in quantum homo est albus*, quæ est vera.

4 Circa conversionem simplicium propositionum potest dubitari, an regulæ, quæ continentur in illis versiculis: *Simpliciter feci*, &c. sint bonæ, & consistentes? Pro responsione nota, quòd conversio dupliciter potest sumi, scilicet, late, & stricte. Late sumitur, quatenus in ter-

minis

minis transpositis valet consequentia à conversa ad convertentem. Strictè sumitur (ut eam sumpsit Scotus 1. Prior. cap. 12.) quatenus convertens participat de veritate conversæ, quantum est participabile in terminis transpositis. Hoc supposito

5 Dicimus primò; si conversio sumatur latè, omnes regulæ contentæ in prædictis versiculis sunt veræ, & constantes. Hæc conclusio, licet in terminis non ponatur, in re ab omnibus dialecticis admittitur. Et patet, quia, juxta prædictas regulas, in omnibus conversionibus valet consequentia à conversa ad convertentem; sed conversio latè sumpta, solum hoc exposcit; ergo in hoc sensu tenent omnes prædictæ leges.

6 Ubi adverte, quòd excipitur à regula generali consequentia facta in *Baralipton*, quæ est particularis affirmativa, & juxta regulam generalem debebat converti simpliciter, & tamen quando syllogismus factus in *Baralipton* reducitur ostensivè ad *Barbara*, talis consequentia reducitur, seu convertitur per accidens quæ conversio tantum est in nomine, & in apparentia, quia transmutantur termini; non tamen in re, cùm non valeat consequentia à conversa ad convertentem, non enim valet ab hac propositione; *Aliquod animal est album*, quæ potest esse consequentia in *Baralipton*, ad hanc: *Omne album est animal*; quæ est, in quam debet converti, ut syllogismus reducatur ostensivè ad *Barbara*.

7 Dicimus secundò; si conversio sumatur strictè, illa regula, quæ denotat universalem negativam posse converti per accidens, non tenet. Hæc conclusio in terminis est Scoti in 1. dist. 21. §. Ad primum, Vers. Sed cùm probatur, litt. C. ubi dicit; *Unde universalis negativa non convertitur in particularem negativam in terminis transpositis, licet inferat eam.*

8 Pro-

8 Probatur conclusio ratione; quia ad conversionem strictè sumptam requiritur, quòd convertens participet de veritate conversæ, quantū est participabile transmutatis terminis; sed hoc non contingit, si universalis negativa convertatur per accidens; ergo nequit converti per accidens stricta conversione. Minor patet hoc exemplo quia si hæc propositio universalis negativa; *Nullus homo est lapis*, convertatur per accidens in hanc particularem negativam; *Aliquis lapis non est homo*, hæc convertens non participat de veritate illius conversæ, quantum est participabile, transmutatis terminis, quia hæc universalis negativa; *Nullus lapis est homo*, in quam convertitur supradicta simpliciter, magis participat de veritate conversæ, quàm prædicta particularis negativa; ergo conversione stricta non benè cunvertitur universalis negativa per accidens. Probatur antecedens; quia in universali negativa conversa removetur à subjecto quidquid continetur sub prædicato, scilicet, omnis lapis ab homine, & eodem modo removetur in universali negativa; in quam convertitur simpliciter, non verò in particulari negativa, in quam convertitur per accidens, nam in illa solum removetur à subjecto aliquid contentum sub prædicato conversæ, ut patet in exemplo posito: ergo particularis negatiua, in quam convertitur per accidens. non participat de veritate conversæ, quantum est participabile, transmutatis terminis, siquidem universalis negativa, in quam convertitur simpliciter, magis participat de veritate talis conversæ; ergo universalis negativa, conversione stricta, non benè convertitur per accidens, sed simpliciter; & consequenter non tenet prædicta regula conversionis in hoc sensu.

9 Argues contra; universalis affirmativa benè convertitur per accidens conversione stricta; ergo etiam uniuersalis negatiua. Resp. neg. con-

conseq. & paritatem. Disparitas stat in hoc, quod, si universalis negativa convertitur per accidens, non servatur in convertente tanta veritas conversæ, quanta potest servari transmutatis terminis, benè tamen, si simpliciter convertatur, ut patet ex dictis; at verò, si universalis affirmativa convertatur per accidens, servatur in convertente tota veritas conversæ, quæ potest servari, transmutatis terminis, non verò si convertatur simpliciter, imò in tali casu convertens est falsa, quod ostenditur hoc exemplo, si hæc propositio: *Omnis homo est albus* per accidens convertatur in hanc; *Aliquod album est homo*, convertens aliquid participat de veritate conversæ; si autem convertatur simpliciter in hanc; *Omne album est homo*, convertens est falsa, & consequenter nihil participat de veritate conversæ, & sic propositio particularis affirmativa in quam convertitur per accidens universalis affirmativa, paticipat de veritate conversæ, quantum est participabile, transmutatis terminis, quod non contingit, si universalis negativa per accidens convertatur, & sic benè convertitur per accidens universalis affirmativa, non tamen universalis negativa.

10 Ubi advertendum est, quòd propositio universalis affirmativa, in qua ponitur pro prædicato tota essentia, vel differentia essentialis, vel propria passio subiecti, non benè convertitur per accidens conversione stricta, propter eandem rationem, ac dictum est de universali negativa, quod convenit illi tantùm ratione materiæ, negativæ verò convenit ratione formæ, quod clarè parebit per ipsas propositiones discurrenti.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Quales sint divisiones propositionis modalis?

1 DIcimus primo, divisio propositionis modalis per quatuor modos, *possibile*, *contingens*, *impossibile*, *necesse*, est generis in species. Probatur, quia ratio communis propositionis modalis convenit univocè omnibus propositionibus, quæ fiunt in prædictis modis, & prædictæ propositiones inter se differunt essentialiter per prædictos modos; sed hoc est ratio divisionis generis in species: ergo prædicta divisio est generis in species. Ubi adverte, quòd propositiones de modo *possibile*, & de modo *contingens*, non constituunt diversas species, nam ut suo loco diximus, *possibile*, & *contingens*, pro eodem usurpantur.

2 Dicimus secundò: quales sint divisiones propositionis modalis, tam ratione formæ, quàm ratione materiæ, quantitatis, & qualitatis, deducendum est ex dictis quæst. 2. hujus disputationis, videantur ibi dicta, nam semel dictum, non est necessarium repetere. Circa alia, quæ pertinent ad propositionem modalem, nihil se offert dubitandum, quod alicujus sit momenti.

DISPUT. V.

De pertinentibus ad argumentationem.

PLura, quæ pertinent ad argumentationem, seu syllogismum, ut actus intellectus est, non sunt propria præsentis instituti, ideò commodius aliis locis tractantur, in præsenti autem aliqua possunt dubitari, quę breviter per sequentes quæstiones resolvemus. Sit ergo.

QUÆSTIO I.

Quales sint divisiones argumentationis?

1 DIcimis primò; divisio argumentationis in syllogismum, enthimema, dilemma exemplum, & inductionem, est analogi in analogata. Probatur; quia tunc divisio est analogi in analogata, quando ratio communis propriè convenit alicui ex membris dividentibus, cæteris verò impropriè, & per ordinem ad illud, sed, ut suo loco diximus, ratio argumentationis proprie, solum convenit syllogismo, quia concludit ratione formæ; cæteris verò impropriè, & per ordinem ad syllogismum; nam tantum concludunt ratione materiæ, & ut ratione formæ concludant, ad syllogismum reducuntur, ut patet in exemplo ibi posito in enthimemate, ad cuius instar potest exemplificari in aliis argumentationibus; ergo talis divisio est analogi in analogata.

2 Dicimus secundo: ex dictis circa divisiones propositionis facilè deducitur, quales sint divisiones argumentationis, seu syllogismi; nam desumuntur, vel ex parte materiæ, vel ex parte quantitatis, vel qualitatis, vel ex parte formæ, videantur ibi dicta, & hic applicentur. Ex quibus sequitur, quòd divivisio syllogismi in novemdecim modos ratione formæ correspondentis materiæ proximæ, similiter divisio in triplicem figuram ratione formæ correspondentis materiæ remotæ, sunt divisiones generis in species, nam membra dividentia differunt inter se essentialiter, cum ratione formæ differant. Solum autem solet esse difficultas, an prædictæ divisiones sint adæquatæ? Cujus resolutio dependet ex resolutione alterius difficultatis, scilicet, an detur quarta figura syllogistica? Nam si talis figura detur, necessariò assignandi

sunt

sunt aliqui modi ad ipsam pertinentes, distincti à supra numeratis pro triplici assignata figura, & sic nulla ex prædictis divisionibus erit adæquata. Si autem non detur quarta figura, non debent multiplicari modi syllogistici, & sic utraque divisio erit adæquata. Examinanda ergo est prædicta difficultas. Pro qua sit.

QUÆSTIO II.

An detur quarta figura syllogistica?

1 DIcimus: Triplex tantùm datur figura syllogistica. Conclusio est communis inter sectatores Arist, qui tantum triplicem assignavit figuram, est tamen contra Galenum, qui quartam figuram assignavit, & contra paucos ipsum sequentes. Ex qua conclusione deducitur, quòd divisiones supradictæ sunt adæquatæ. Probatur igitur conclusio ratione: quia figura syllogistica est dispositio medii cum extremitatibus secundum subjectionem, & prædicationem; sed tantum tripliciter potest medium sic disponi cum extremitatibus, scilicèt, vel ita ut sit subjectum in majori propositione, & prædicatum in minori; vel ita ut in utraque sit prædicatum, vel ita ut in utraque sit subjectum; quorum exempla attulimus suo loco; ergo tantum datur triplex figura syllogistica. Minor patebit ex solutione sequentis argumenti.

2 Arguunt contra oppositum tenentes; figura syllogistica, consistit in dispositione medii cum extremitatibus, secundum subjectionem, & prædicationem: sed alio modo, præter assignatos, potest medium cum extremitatibus disponi, secundum subjectionem, & prædicationem, videlicet, ita ut medium sit prædicatum in majori, & subiectum in minori; ergo datur quarta figura. Minor patet in hoc syllogismo; *Omne risibile est homo; omnis homo est rationalis:*

ergo

ergo *omne rationale est risibile*, in quo ly *homo*: quod est medium, est prædicatum in majori, & subjectum in minori; ergo alio modo ab assignatis potest disponi medium cum extremitatibus, secundum subjectionem, & prædicationem; ac per consequens datur quarta figura.

3 Respondetur disting. min. alio modo potest disponi medium, ita ut sit prædicatum in maiori, & subjectum in minori, ad conficiendum syllogismum concludentem ratione materiæ, admitto: ad concludendum ratione formæ quod requiritur ad constituendam diversam figuram syllogisticam: nego & similiter distinguendum est consequens; nam solum ratione materiæ dabitur quarta figura, quæ impropriè figura syllogistica dicitur, cùm figura pertineat ad formam syllogisticam, non verò ad materiam.

4 Quod autem syllogismus factus cum tali dispositione, ut est, qui ponitur in argumento, solum concludat ratione materiæ, non autem ratione formæ, probatur in hoc syllogismo, *Omne rationale est homo*: *omnis homo est animal*; ergo *omne animal est rationale*, salvatur eadem dispositio, ac in syllogismo posito in argumento, nam medium est prædicatum in maiori, & subiectum in minori, & solum variatur materia: sed talis syllogismus non benè concludit, nam consequentia non sequitur: sed est falsa; ergo syllogismus cum tali dispositione medii confectus non concludit ratione formæ; sed tantum ratione materiæ, & consequenter non constituit figuram distinctam à tribus assignatis.

5 Argues contra: prædictus syllogismus si concludat indirectè benè concludit etiam ratione formæ; nam si dicamus: ergo *omne rationale est animal*, benè sequitur consequentia: ergo constituit aliam figuram. Respond. negando consequentiam, nam in tali casu prædictus syllogismus idem est, ac syllogismus factus in *Barbara*

bara, directè concludens, & solum est in illo transmutatio præmissarum, quod non sufficit ad constituendam diversam figuram à prima, quod etiam contingit in *Cesare*, & *Camestres*, in quibus transmutantur præmissæ, & tamen sunt eiusdem figuræ, scilicet, secundæ.

6 Argues contra; ergo prædicta transmutatio præmissarum ad minus constituit diversum modum in prima figura, sicut constituit in *Cesare*, & *Camestres*; & consequenter modi primæ figuræ non sunt sufficienter numerati. Resp. neg. consequentiam, & paritatem; quia in prædicto syllogismo, & in *Barbara* omnes propositiones sunt universales affirmativæ; in *Cesare* autem, & *Camestres*, una præmissarum est universalis affirmativa, & altera universalis negativa, quarum transmutatio sufficit ad variandum modum; nam modus est dispositio præmissarum secundum quantitatem, & qualitatem. Aliter potest responderi, quod *Cesare*, & *Camestres* non constituunt diversos modos, ex eo præcisè, quod præmissæ transmutentur; sed etiam ex eo quòd talis transmutatio infert diversam consequentiam quod non contingit in *Barbara*, & in syllogismo supradicto, si indirectè concludat: & certum est, quod sola diversitas consequentiæ sufficit ad variandos modos in eadem figura, ut patet in *Darij*, & *Dabitis*.

7 Ubi adverte, quòd facile quælibet argumenta solves, si attentè observes, quòd cùm ratio prædicationis sit nobilior ratione subjectionis, illa extremitas, quæ prædicatur de medio erit major, & propositio, in qua prædicatur, erit propositio maior; & illa extremitas de qua prædicatur medium, erit minor; & propositio illi correspondens, erit propositio minor (licèt propositiones transmutentur ex indebita collocatione) quod est proprium primæ figuræ, Quando autem in utraque præmissâ subiicitur,

seu

seu prædicatur medium, semper erit major extremitas, quæ prædicatur in consequentia, & propositio, in qua est, propositio major; & minor extremitas, quæ subjicitur in conclusione, & propositio, in qua est, propositio minor, quod est proprium secundæ, & tertiæ figuræ; quæ, ut communiter tenent Philosophi, semper directè, & nunquam indirectè concludunt.

8 Contra hoc ultimum potest argui hoc modo: syllogismus factus in *Darapti*, qui est modus tertiæ figuræ, potest concludere directè, & indirectè: ergo falsum est dicere, quòd in tertia figura semper concluditur directè. Antecedens patet: nam ex his præmissis: *Omnis homo est animal; omnis homo est rationalis*, potest inferri directè hæc consequentia: ergo *aliquod rationale est animal*: & hæc indirectè: ergo *aliquod animal est rationale*: ergo in *Darapti* potest concludi directè, & indirectè; & consequenter in tertia figura indirectè potest concludi. Resp. neg. antecedens; ad probationem dicimus, quod utraque consequentia directè concludit: prima, juxta prædictam dispositionem præmissarum; secunda, per transmutationem præmissarum, sic formando syllogismum: *Omnis homo est rationalis; omnis homo est animal*; ergo *aliquod animal est rationale*; quæ quidem transmutatio præmissarum nullatenus variat concludendi modum. Plura alia circa dialecticum institutum possent in controversiam adduci, sed quæ dicta sunt, & à nobis adducta sunt communiora, & ex resolutione illarum, aliarum resolutio deduci potest, ideòque pro nunc dicta sufficiant, utinam cedant in laudem, & gloriam omnipotentis Dei.

PRÆLUDIUM.

ACcedimus jam ad logicæ magnæ difficultates examinandas, in quibus Arist. methodum, & ordinem observabimus, ad mixtis tamen aliquibus, non parum ad illarum intelligentiam conducentibus; & jam his temporibus hic communiter agitari solitis. Sed antequam ad ipsam formaliter logicam perveniamus, aliqua, per modum procemii, præmittere necessarium duximus, ut in qualibet scientia, seu facultate, omnes communiter necessarium ducunt, licet fateantur, quòd ad metaphysicam, tanquam ad generalem scientiam, quæ circa omnium rerum naturam, versatur, procemiales cujuscumque scientiæ disputationes spectent; quippe in investiganda natura, & quæ ad ipsam attinet, scientiæ, cujus sunt, occupantur. Ut autem clariori possibili forma procedamus, tam in his procemialibus disputationibus, quàm in omnibus aliis totius nostri philosophici cursus, per quæstiones (quas, si necessarium fuerit, in sectiones dividemus) difficultates, quæ disserendæ se offerunt, indicabimus. Sit ergo

DISP. I.

Procemialis de Ente rationis.

LIcet hæc disputatio ab omnibus jam in logica præfigatur, eo quod multum conducat ad inteligentiam eorum, quæ in ipsa logica tractantur; non tamen ab omnibus in initio ipsius logicæ præfigitur, sed nobis commodius hic videtur debere proponi; quia in sequenti disputatione inquiritur, an objectum logicæ sit ens rationis? Quòd difficulter resolvi posset,

non

non præmissa ipsius entis rationis aliquali notitia. Pro illa ergo sit

QUÆSTIO I.

An detur, & quid sit ens rationis.

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est, quod ens rationis, ut nomen sonat, est æquivocum plura diversæ rationis confusè significans, ideòque multipliciter usurpatur. Primo enim dicitur ens rationis efficienter, in quo sensu omnes actus intellectus entia rationis nuncupantur, omnes enim effectivè ab intellectu procedunt. Secundò dicitur ens rationis subjectivè; in quo sensu omnes formæ, quę inhęrent intellectui, tanquam subjecto, nuncupantur entia rationis. Tertiò dicitur ens rationis obiectivè; in quo sensu omnia, quæ cognoscuntur ab intellectu, tanquam objecta illius, entia rationis vocantur: quod adhuc dupliciter potest evenire. Primò, quando cognoscit intellectus illa; quæ à parte rei existunt, vel existere possunt. Secundò, quando cognoscit illa, quibus repugnat alia existentia, & aliud esse, præter illud, quod accipiunt ab ipsa cognitione; in hac ultima acceptione procedit quæstio, & tota disputatio; nam in aliis acceptionibus omnia sunt propriè entia realia, & denominativè tantum entia rationis. Hoc notato

2 Pro primò, quod inquirit quæstio, dicimus primò: ens rationis in sensu explicato datur, vel potest dari. Hæc conclusio est jam communiter recepta, licet aliqui ex antiquis ipsam negaverint; tenent eam Angelicus, & subtilis Magistri pluribus in locis, quæ valdè molestum esset recensere. Probatur tamen hac unica ratione: quia plura cogitantur à nostro intellectu, quę nullum esse verum habent, neque habere possunt à parte rei, ut quando concipiuntur privationes, & nega-

negationes ad modum entis positivi; cùm tamen in se nullam entitatem positivam habeant; & quando concipiuntur denominationes extrinsecæ ut quid intrinsecum in re denominata, cùm tamen nihil intrinsecum in tali re denominata ponant: sed hæc omnia sunt entia rationis in sensu dicto, quod & postea amplius patebit; ergo in sensu explicato datur, vel potest dari ens rationis.

3 Aliqua objiciunt oppositum tenentes. Primò enim sic arguunt; si daretur ens rationis, esset quid intelligibile; sed ens rationis in supradicto sensu non est quid intelligibile; ergo non datur. Prob. minor; quia intelligibilitas est propria passio entis realis; ergo nequit enti rationis convenire. Aliter prob. min. quia omne, quod est intelligibile, habet esse priusquam actu intelligatur; sed ens rationis non habet esse, priusquam actu intelligatur; ergo non est quid intelligibile; ac per consequens non datur tale ens rationis.

4 Resp. disting. maj. Si daretur ens rationis, esset quid intelligibile, intelligibilitate motiva, & intrinseca, neg. intelligibilitate terminativa, & extrinseca, conc. Similiter disting. min. ens rationis non est quid intelligibile, intelligibilitate motiva, & intrinseca, conc. intelligibilitate terminativa, & extrinseca, neg. Ad probationem minoris respondetur disting. antecedens; intelligibilitas motiva, & intrinseca est propria passio entis realis, conc. intelligibilitas terminativa, & extrinseca, neg. & similiter distinguendum est consequens. Hęc responsio est communis, & deducitur ex pluribus Scotistis, præcipuè Mastrio, Meron, & Merinero, ex quibus etiam deducitur, si attentè legantur, totum, quod resistat in hac quæstione, & similiter in quæstione de passionibus entis rationis.

5 Ut autem prædicta solutio clarè percipiatur,

tur; observandum est, quòd duplex datur intelligibilitas, alia intrinseca, & alia extrinseca. Intrinseca identificatur cum ipso ente, & fundatur in prædicatis formalibus illius, ratione cujus potest movere intellectum ad sui cognitionem; quæ intelligibilitas est propria passio entis realis, quia solum ens reale potest movere intellectum ad sui cognitionem, siquidem est objectum adęquatum illius, & non potest convenire enti rationis; quia cùm in se veram entitatem non habeat, nequit intrinsecæ includere, & secum identificare talem intelligibilitatem, & sic nec movere intellectum ad sui cognitionem; movet autem illum per speciem illius entis realis, ad instar cujus ab intellectu fabricatur, intelligibilitas extrinseca nullatenus identificatur cum ente, neque fundatur in prædicatis essentialibus illius, sed provenit à forma extrinseca, id est ab intellectu, quatenus potest percipere ens, & ens potest esse terminus actus illius, quæ intelligibilitas nihil intrinsecum ponit in re, sicut neque ponit ipsa actualis intellectio ipsi correspondens, sed tantum denominationem extrinsecam; quæ intelligibilitas solet appellari non repugnantia logica, & non est passio præcisè entis realis, sed est quid commune enti reali, & rationis; nam utrumque potest terminare actum intellectus. Ex qu.

6 Respondetur ad aliam probationem minoris præcedentis argumenti, distinguendo mai quidquid est intelligibile, debet esse priusquam actu intelligatur, si est intelligibile intelligibitate intrinseca, & motiva, conc. si est intelligibile intelligibilitate tantùm extrinseca, & terminativa, neg. nam ad hoc nullatenus requiritur, quòd pręcedat aliquod esse formale, neq; essentiæ, neque existentiæ; sed sufficit, quòd præcedat illa non repugnantia logica, quę nullum esse dicit, neque essentiæ, neque existentiæ.

7 Arguunt secundò: solum quod est possibile est intelligibile; sed ens rationis non est possibile; ergo neque intelligibile, & consequenter ens rationis ex omni parte repugnat. Probatur minor, quia quod est possibile, dicit ordinem ad veram existentiam: sed ens rationis non dicit talem ordinem: ergo non est possibile. Facile resp. ex dictis ad argumentum præcedens, quia aptum hoc est verum loquendo de intelligibilitate motiva, & intrinseca; non autem de intelligibilitate terminativa; & extrinseca. Et deinde verum est loquendo de possibilitate strictè sumpta, quæ solet appellari possibilitas physica in ordine ad veram, & realem existentiam; non autem loquendo de possibilitate late sumpta, & quæ tantum dicit non repugnantiam logicam, in ordine ad existentiam, vel realem, vel rationis. Ex quo facilè respondetur in forma. Ubi adverte, quòd absolutè loquendo non dicitur propriè, ens rationis est possibile, sed melius dicitur; possibile est intellectum ens rationis efficere; sed hoc reducitur ad quæstionem de nomine, de qua non est multum curandum, nisi quando fortè in ipsis vocibus aliqua appareat æquivocatio.

8 Arguunt tertio; si daretur ens rationis, sequeretur, posse dari genus sine speciebus, & essentiam sine passionibus: sed hoc videtur impossibile: ergo non datur ens rationis, Probatur sequela, quia si totum esse entis rationis consistit in entitate obiectiva ab intellectu considerata, bene poterit intellectus considerare gradum genericum sine specifico, & essentiam sine passione, sicut hoc ipsum potest facere in entibus realibus: ergo si daretur ens rationis, posset dari genus sine speciebus, & essentia sine passione. Respondetur primo, concedendo sequelam, quia hoc nullum est inconveniens; nam sicut in entibus realibus prædicata supe,

ſuperiora poſſunt cognoſci ſine inferioribus, & eſſentia ſine paſſione, ita in entibus rationis unum ex his poteſt eſſe ſine alio, quia cum accipiant eſſe per cognitionem, ſolum quod ſit cognitum habebit eſſe. Secundo reſpondetur aliis terminis diſtinguendo ſequelam; daretur genus ſine ſpeciebus, & eſſentia ſine paſſione, ſecundum eſſe intentionale, concedo; ſecundum eſſe reale, nego. Cum autem ens rationis ſolum habeat eſſe intentionale, nullum eſt inconveniens, quod detur genus ſine ſpeciebus, & eſſentia ſine paſſione.

9 Argues contra; gradus genericus non diſtinguitur realiter ab ſpecifico, neque eſſentia à paſſione; ſed ex dictis videtur ſequi dari in entibus rationis diſtinctio realis inter illa, quippè unum poteſt eſſe ſine alio, quod eſt evidens ſignum diſtinctionis realis; ergo propter hoc inconveniens non eſt admittendum ens rationis. Poteſt reſponderi, concedendo talem diſtinctionem inter ſupradicta in entibus rationis, quod nullum videtur inconveniens, cum totum ſuum eſſe conſiſtat in eſſe cognito, quod idem videtur contingere in entibus realibus, quando eſſentia cognoſcitur ſine paſſione, & gradus genericus ſine ſpecifico, nam tunc ſecundum eſſe cognitum realiter diſtinguuntur, ſicut realiter ſeparantur. Maxima autem argumenti ſolum debet intelligi de entibus realibus independenter à conſideratione intellectus exiſtentibus, vel poſſibilibus, cuius generis non ſunt entia rationis.

10 Secundo reſpondetur negando minorem. Cuius ratio eſt, inquit Maſtrius, quia, licet poſſit cognoſci gradus genericus ſine ſpecifico, & eſſentia ſine paſſione, quòd dicitur cognoſcere præciſivè; non tamen unum de alio negando, quod dicitur cognoſcere negativè; quod erat neceſſarium ad diſtinctionem realem.

11 Arguunt quartò; iuxta vulgare axioma

philoſophorum, nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu: ſed ens rationis nequit eſſe in ſenſu; ergo nequit eſſe in intellectu. Reſpondetur diſtinguendo maiorem; nihil eſt in intellectu, quin prius non fuerit in ſenſu, per ſe, vel per aliud; concedo; per ſe præcisè, nego. Et diſting. minorem: ens rationis nequit eſſe in ſenſu per ſe, concedo; per aliud, nego, & nego, conſequentiam. Etenim ens rationis eſt in ſenſu & in intellectu per ſpeciem entis realis, ad cujus inſtar fabricatur. Vel aliis terminis poteſt reſponderi, quod prædictum axioma ſolum intelligitur de obiecto motivo; non verò determinativo, ut eſt ens rationis.

12 Arguunt quinto: omne, quod eſt, præter Deum, neceſſariò habet cauſam productivam ſui; ſed nulla poteſt dari cauſa productiva entis rationis; ergo non datur ens rationis. Probatur minor; quia ſi daretur aliqua cauſa entis rationis, eſſet intellectus, ſed nequit intellectus eſſe talis cauſa, ergo nulla datur. Probatur minor; nam ſi intellectus eſſet cauſa entis rationis, vel per influxum realem, vel per influxum rationis; ſed non per influxum realem, quia terminus talis influxus debet eſſe realis, neque per influxum rationis; quia cauſa realis, ut eſt intellectus debet habere influxum realem, ergo nullatenus intellectus poteſt eſſe cauſa entis rationis.

13 Reſp. neg. minor. aſſumpti, & minorem probationis, & ad probationem iſtius dicimus, quòd intellectus per verum influxum realem eſt cauſa entis rationis, & quando dicunt, quòd terminus influxus realis debet eſſe realis, verum eſt loquendo de termino primario, non autem de termino ſecundario. Etenim actus realis intellectus habet duplicem terminum, unum primarium, & alterum ſecundarium. Primarius eſt ipſa intellectio, quæ producitur per veram actionem, quæ actio à ſubtili Doctore appel-

pellatur dictio, de qua in libris de anima. Terminus secundarius est objectum talis intellectionis quod si non habet, nec potest habere aliud esse præter illud, quod habet objectivè in ipso intellectu, est, & appellatur ens.

14 Pro secundo, quod inquirit quæstio, dicimus secundò: ens rationis sic communiter definitur: *Est, quod solum habet esse objectivè in intellectu*, seu, ut inquit Scotus quæst. 3. quodlibetica, §. De primo, Vers. Ens ego: *Ens rationis est, quod præcisè habet esse intellectu considerante*. Coincidit hæc definitio cum alia, quæ solet ab aliquibus adduci, scilicet: *Ens rationis est illud esse, quod cogitatur ut ens, cùm tamen in se entitatem non habet*. Nulla enim indiget explicatione prædicta definitio; nam ex ipsis terminis pate ejus intelligentia. Aliæ definitiones, quæ ab aliquibus adducuntur, scilicet, quod *ens rationis est, quando intellectus fingit per modum entis, quod non est ens*: *Ens rationis est cognoscere rem aliter ac est*; tantum sunt definitiones causales; quia dantur per causam entis rationis.

15 Argues primò: ex dictis in summulis loquendo de definito, scilicet, quòd ens rationis nequit definiri; ergo inconsequenter loquimur dum ens rationis definimus. Respondetur facile, quòd quando diximus, quòd ens rationis nequit definiri, locuti sumus de definitione rigorosè quidditativa, quod verum est, cùm ens rationis non habeat propriè, & rigorosè quidditatem; in præsenti autem definimus ens rationis non definitione purè quidditativa, sed definitione impropria, quæ tantum est quasi explicatio hujus nominis *ens rationis*; unde non loquimur inconsequenter.

16 Arg. 2. Supradicta definitio convenit aliis à suo definito: ergo non est bona. Probatur antecedens, quia convenit esse cognito cujuscumque rei, quod à subtili Doctore pluries voca-

tur esse diminutum, ut est v. g. esse cognitum lapidis in nostro intellectu, & esse cognitum omnium creaturarum in intellectu divino, quæ habent esse objectivè in intellectu, & non sunt entia rationis: ergo prædicta definitio convenit aliis à suò definito. Respondetur, negando antecedens, & probationem ejus, quia, licet ens diminutum habeat esse objectivè in intellectu, habet etiam, vel potest habere esse à parte rei, vel extra intellectum, & sic non convenit illi prædicta definitio, nam per illa denotatur, quòd ens rationis tantum habet esse obiectivè in intellectu, ita ut neque habeat, neque possit habere esse à parte rei, seu extra intellectum.

17 Ex alio capite impugnat Poncius nostram definitionem, scilicet, quòd non convenit omni suo definito, quod probat; quia, inquit, datur aliquod ens rationis, quod non habet esse objectivè in intellectu: ergo prædicta definitio non convenit omni suo definito. Probat antecedens; quia relatio similitudinis inter duo entia rationis est ens rationis; sed talis relatio non habet esse objectivè in intellectu: ergo datur aliquod ens rationis, quod non habet esse objectivè in intellectu.

18 Omissis aliquibus solutionibus, quæ argumentum nullatenus enervare videntur, notandum est pro solutione, quòd duplex ratio similitudinis potest attendi inter duo entia rationis, una intrinseca, & alia extrinseca. Intrinseca est, quę fundatur in ipsis prædicatis entis rationis, & hæc nullatenus resultat expositione duorum entium rationis, nam cùm in se veram entitatem non habeant, sed tantum fictam ab intellectu, non potest aliquid ab eis resultare independenter ab ipso intellectu, sed tantum præbent fundamentum, ut intellectus concipiat inter illa esse relationem, nam sicut concipit illa esse entia, cùm tamen revera entia non sint, ita

potest

potest concipere, inter illa esse relationem, cum tamen inter illa nulla relatio sit; & tunc talis relatio sic considerata est ens rationis, & habet esse obiectivè in intellectu. Relatio extrinseca est illa, quæ provenit à relatione similitudinis, quæ datur inter duos actus intellectus duo entia rationis fabricantes, quæ relatio est realis, & intrinseca ex parte actuum intellectus, & extrinseca ex parte entium rationis, quæ non habet esse obiectivè in intellectu. Unde

19 Respondetur in forma ad argumentum negando antecedens, & distinguendo maiorem probationis; relatio similitudinis inter duo entia rationis est ens rationis, loquendo de relatione intrinseca, concedo, loquendo de relatione extrinseca, nego. Similiter disting. min. relatio intrinseca non habet esse obiectivè in intellectu, nego; relatio extrinseca, concedo, & neg. conseq. Unde manet firma nostra definitio, Quæ responsio deducitur ex Mastrio in metaph. disp. 2. quæst. 9. num. 244. & amplius patebit ex dicendis quæst. sequenti, nam eadem videtur esse ratio.

QUÆSTIO II.

Utrùm ens rationis habeat proprias affectiones.

1 CUm immediatè ad essentiam alicuius eius passiones, seu proprietates sequantur, postquam de essentia entis rationis egimus, immediatè de illius proprietatibus agimus; pro quibus notandum est, quòd non inquirimus, an ens rationis habeat aliquas proprietates, quæ ab illo verè, & realiter fluant, quia supponitur, tanquam certum, prædictas proprietates non habere, nam sicut non est propriè ens, ita nequit habere veras proprietates, quæ ab illo verè fluant; inquirimus autem, an quemadmo-

dum ens rationis dicitur ens per similitudinem, & analogiam ad ens reale, ita habeat proprietates per analogiam ad proprietates entis realis, ut possint concipi ad modum illarum. Quo notato

2 Dicimus; ens rationis habet proprietates, seu affectiones in sensu explicato. Hæc conclusio, licet in terminis non ab omnibus exagitetur, ab omnibus tamen, tanquam certa, supponitur. Probatur tamen; quia ens rationis habet suo modo essentiam per analogiam ad ens reale; sed nulla datur essentia, quæ non habeat suo modo proprietates, & affectiones, ergo ens rationis habet suo modo proprietates, seu affectiones.

3 Argues 1. Proprietas cuiuscumque essentiæ distinguitur ex natura rei ab essentia, fluit ab illa, & est minus illa, sed nulla proprietas cogitari potest, quæ distinguatur ex natura rei ab essentia entis rationis, neque fluat ab illa, cùm ad hoc necessariò requiratur vera existentia, neque, quæ sit minus ente rationis, nam, quod est minus ente rationis, nihil est, ergo ens rationis nullas habet proprietates. Respondetur, quod argumentum benè probat, ens rationis non habere proprietates eodem modo, quo illas habet ens reale, quod etiam nos asserimus, ut dictum est in notabili, non tamen probat, ens rationis non habere proprietates per analogiam ad ens reale, quod est nostra conclusio, potest enim intellectus considerare, ens rationis habere proprietates distinctas formaliter ex natura rei ab essentia, & ab ea dimanare; & esse minus illa, ad modum, quo propriè eas habet ens reale, ad cuius instar fabricatur, neque ex eo, quòd proprietas sit minus essentia enti rationis, sequitur, quod sit purum nihil, nam sicut in entibus realibus dantur gradus in essendo, nam accidens est minus substantia, & passio est minus essentia, & tamen accidens, & passio non

sunt

sunt nihil; simili modo dicendum est de ente rationis, & proprietatibus illius, cùm concipiatur ad modum entis realis.

4 Arg. 2. Si darentur proprietates entis rationis, continerentur sub illo, & de illis essentialiter prædicaretur: sed hoc repugnat essentiæ, respectu suarum proprietatum; nam non valet: *Risibilitas est animal rationale*, valeret autem: *Proprietas entis rationis est ens rationis*: ergo non dantur tales proprietates. Respondetur negando majorem, quia solum continetur propriè sub aliquo superiori; quod participat rationem ejus *in quid*, non tamen, quod tantum dicitur tale in *quale*, quod contingit in proprietatibus entis realis, & ad similitudinem illarum in proprietatibus entis rationis. Intelligentia huius solutionis dependet ex pluribus dicendis de transcendentia entis realis, quę enti rationis suo modo applicari debent, sed de hoc, ut in suo loco agitur in metaphysica.

5 Vt autem circa intelligentiam huius quæstionis non laboretur in æquivoco, advertendum est, & hęc advertentia deducitur ex Mastrio pluribus in locis, quod sicut essentia entis rationis dependet à consideratione intellectus, ita etiam proprietates illius dependent ab intellectus consideratione; nam sicut ibi non est vera essentia, ita neque veræ proprietates, & sicut apprehendimus, ibi esse veram essentiam, ita apprehendimus ab illa emanare veras proprietates, & si non apprehendatur, nullæ ibi proprietates erunt; quod fateri debent omnes, qui communiter respondent ad tertium argumentum quæstionis antecedentis, concedendo posse dari essentiam entis rationis sine proprietate, seu passione, quod non esset verum, si non dependeret proprietas entis rationis à consideratione intellectus distincta à consideratione à qua dependet essentia ipsius entis rationis; quod debet intelligi de proprietatibus intrinsecis

entis rationis; non verò de extrinsecis, ut dictum est quæstione antecedenti ad argumentum Poncii de relatione similitudinis inter duo entia rationis, & amplius patebit in argumento sequenti.

6 Arg. contra; ens rationis independenter ab aliqua consideratione intellectus distincta ab illa, per quam fit, est aliquid rationis, est verum ens rationis, est unum ens rationis; ergo independenter ab aliqua consideratione intellectus distincta ab illa, per quam fit, habet has proprietates, scilicet, esse aliquid, esse verum, esse unum. Respondetur, quòd proprietates entis rationis dupliciter possunt considerari. Primò, prout conveniunt illi secundum illam entitatem fictam ad modum entis realis, & istæ vocantur proprietates intrinsecæ, & necessariò conveniunt enti rationis per aliquem actum intellectus considerantem illas habere ad modum, quo illas habet ens reale, ad cujus instar fabricatur, & in hoc sensu loquimur in præsenti; nam cùm ens rationis non habeat veram essentiam, sed fictam, nequit veras, sed fictas habere proprietates, ut si ego conciperem, v.gr. Angelum, ut puerum, conficerem ens rationis, quoad essentiam; & tamen non propter hoc Angelus haberet proprietatem risibilitatis; sed necessariò, ut illam haberet, ad modum, quo tunc haberet essentiam pueri, interveniret alius actus intellectus considerans ab illa essentia dimanare risibilitatem.

7 Secundò possunt considerari proprietates entis rationis, prout conveniunt illi entitati fictæ, reduplicativè ut fictè, ut esse aliquid fictum, esse verum ens rationis, &c. quæ non conveniunt illi intrinsecè, neque dimanant ab illo, quia ab entitate ficta nihil potest dimanare, conveniunt autem illi extrinsecè, sumpta denominatione ab actu intellectus ipsum fabricante, ut in simili diximus quæstione antecedē ti

loquen-

loquendo de intelligibilitate; nam ex eo, verum est dicere, quòd aliquid est verum ens rationis, aliquid rationis, &c. quia datur aliquis actus intellectus conficiens ens rationis, qui sit verus, & unus actus intellectus, quæ quidem passiones sunt reales, licet extrinsecæ; si autem, ut quid intrinsecum in ente rationis considerentur, fabricatur aliud ens rationis, ut generaliter dicemus quæstione sequenti, loquendo de denominationibus extrinsecis; cum qua distinctione facilè respondetur ad argumentum in forma, nam de proprietatibus entis rationis in hoc secundo sensu non loquimur in præsenti.

QUÆSTIO III.

Utrùm denominationes extrinsecæ sint entia rationis?

1 PRo intelligentia quæstionis supponitur tanquam certum, dari denominationes extrinsecas, & sunt, quæ proveniunt alicui ab aliquâ forma, non existente in illo intrinsecè, sed in alio, v.g. aliquod obiectum denominatur cognitum, seu visum, &c. non à cognitione, seu visione intrinsecè in illo existente, sed existente in intellectu, seu potentia visiva, & ad tale obiectum terminata; per quod differunt denominationes extrinsecæ à denominationibus intrinsecis, quæ proveniunt à formis intrinsecè existentibus in rebus denominatis, ut quando paries, v. gr. dicitur albus ab albedine in illo intrinsecè existente.

2 Mastrius in Logica disp. 3. quæst. 2. plures adducit sententias, citando Authores pro illis circa præsentem difficultatem; ex quibus aliqui asserunt, omnes denominationes extrinsecas essentia rationis. Alii verò, solas denominationes extrinsecas provenientes ab actibus intellectus esse entia rationis. Alii autem, denomi-

nationes extrinsecas non esse entia rationis; resultare tamen ex illis relationem rationis. Sed quid tenendum sit, per sequentes conclusiones ostendemus.

3 Dicimus primò: denominationes extrinsecæ provenientes à formis realibus non sunt entia rationis. Hæc conclusio est contra Authores primæ, & secundæ sententiæ, & deducitur ex Scoto pluribus in locis, nam in 1. dist. 2. qu. 7. §. Sed hic restat, Vers. contra, litt. GG. inquit: *Quidquid intellectus causat sine actione objecti circa objectum præcisè, hoc est virtute propria intellectus, & hoc loquendo de objecto, ut habet esse cognitum in intellectu præcisè, & de intellectu, ut considerans est, illud est præcisè relatio rationis*; ex quibus verbis clarè infertur, quòd non eo præcisè, quod objectum cognoscatur ab intellectu, causatur ens rationis, sed potius objectum supponitur cognitum virtute ipsius, & virtute intellectus; ex utroque enim causa cognitionis integratur, & postea intellectus sine concursu objecti operans circa objectum ut cognitum, & apprehendens per alium actum illam denominationem extrinsecam cogniti, ut quid intrinsecum in objecto, causat in illo, ut cognito, relationem rationis, & sic illa denominatio cogniti, juxta mentem Scoti, ex se non est ens rationis. Potest etiam videri Scotus in 1. dist. 30. q. 2. §. Respondeo. Vers. Absolutè, litt. H. & in 3. dist. 8. §. Ad argumenta, Vers. Ad aliud etiam, litt. H. & in 4. dist. 1. q. 2. § Hic primò videndum, Vers. Neque est tertiò, lit. B.

4 Deinde probatur conclusio ratione: quia ens rationis est, quod tantum habet esse objectivè in intellectu: sed denominationes extrinsecæ provenientes à formis realibus sunt à parte rei independenter à consideratione intellectus: ergo non sunt entia rationis. Probatur minor; quia paries, v. gr. dicitur visus à forma existente in potentia visiva; & Deus, ut inquit Sco-

tus, denominatur creator, non per aliquam formam intrinsecam, sed per relationem existentem in creatura, & hoc nullo considerante intellectu: ergo prædictæ denominationes dantur à parte rei independenter à consideratione intellectus; quod etiam debet intelligi de denominationibus provenientibus ab actibus intellectus; quia non minus sunt formæ reales, quam aliæ; à quibus proveniunt tales extrinsecæ denominationes, & solum possunt dici entia rationis, quatenus proveniunt à terminatione actus rationis, in quo sensu loquitur aliquando Scotus.

5 Argum. contra: quando res cognoscitur aliter ac est, tunc denominatio cogniti non habet aliud esse, nisi esse objectivè in intellectu: sed hæc est ratio entis rationis: ergo aliqua denominatio extrinseca est ens rationis. Respondetur distinguendo majorem, talis denominatio non habet aliud esse, nisi esse objectivè in intellectu, si sumatur pro terminatione passiva, quam dicit res cognita respectu actus intellectus cognoscentis, nego; quia ut sic, sive res cognoscatur eo modo, quo est, sive aliter ac est, est vera terminatio realis, quæ non cognoscitur per ipsum actum, ex quo resultat; si sumatur pro obiecto ficto per cognitionem rei aliter ac est, concedo, quòd sit ens rationis, sed tamen tale esse fictum non est ipsa denominatio cogniti, sed potius est res, quæ terminat cognitionem, & denominatur cognita per ipsam extrinsecam denominationem. Unde concessa min. neg. consequentiam.

6 Dicimus secundò: non sequitur necessariò; neque resultat ex denominationibus extrinsecis aliqua relatio, quæ sit ens rationis. Hæc conclusio est contra tertiam sententiam, & probatur generaliter; quia, vel talis relatio resultat in rebus ante operationem intellectus, vel per operationem intellectus? Si ante operationem intellectus? Talis relatio erit realis, siquidem nihil

nihil independens ab intellectu est ens rationis. Si per operationem intellectus? Jam ad minus in denominationibus provenientibus à formis; quæ non sunt actus intellectus, non dabitur talis relatio.

7 Probatur specialiter de denominationibus ab actibus intellectus provenientibus, nam vel talis relatio fit per actum intellectus directum, quo primo cognoscitur objectum in suo esse reali, vel per alium actum reflexum, quo cognoscitur obiectum, ut iam primo cognitum? Non primum, quia ex vi illius actus solum remanet in obiecto denominatio cogniti. Si autem dicatur secundum, hoc verum est, sed nihil contra nos, quia idem est, quod nos dicemus conclusione sequenti, scilicet, quod denominatio extrinseca, licet in se non sit ens rationis, neque ad ipsam necessariò sequatur, ramen ut consideratur in re denominata, ut quid intrinsecum tunc fit ens rationis.

8 Arg. 1. Posito actu intellectus circa aliquod obiectum, necessariò resultat in obiecto denominatio cogniti; sed hæc denominitio ab aliqua forma denominante provenire debet; ergo ponenda est talis forma; sed nequit esse realis, cùm nihil reale ponatur in obiecto denominato; ergo est forma rationis, & consequenter denominatio extrinseca secum fert aliquod ens rationis. Respondetur concesso toto primo syllogismo, negando minorem subsumptam; nam cùm tales denominationes sint reales, & extrinsecæ, proveniunt à formis realibus non existentibus intrinsecè in re denominata; sed in alio subiecto, scilicet, à cognitione existente in intellectu verè, & realiter.

9 Arg 2. Nihil potest transire de contradictorio in contradictorium sine aliqua forma de novo adveniente; sed obiectum transit de non cognito ad cognitum; ergo per aliquam formam de novo advenientem; sed talis forma ne-

nequit esse realis, cùm nihil reale recipiat objectum ab actu intellectus: ergo erit forma rationis, & consequenter denominationem extrinsecam committatur ens rationis. Respondetur distinguendo majorem; nihil potest transire de contradictorio in contradictorium sine aliqua forma in ipso recepta intrinsecè, vel ad ipsum extrinsecè terminata, concedo; sine aliqua forma in ipso necessariò intrinsecè recepta, nego, & concessa minori, & consequentia, negatur minor subsumpta, eo modo, quo dictum est in argumento præcedenti; transit ergo objectum de non cognito ad cognitum, non per aliquam formam intrinsecè in ipso receptam; sed per intellectionem receptam in subjecto extrinseco, scilicet in intellectu, & ad ipsum objectum terminatam.

10 Dicimus tertiò: denominationes extrinsecæ, si considerentur ut quid intrinsecum in re denominata, sunt entia rationis. Hæc conclusio est communis inter Scotistas, & plures alios, & ex dictis in tota quæstione manet sufficienter probata; nam in tali casu fingitur aliquod esse intrinsecum in re denominata, quod cùm verè, & realiter non habeat, necessariò solum habet esse objectivè in intellectu. Neque contra hoc aliquid videtur posse objici, quod alicuius sit momenti, & ex dictis facilè non solvatur.

QUÆSTIO IV.

Quomodo ens rationis dividatur?

1 Dicimus primò: ens rationis primo dividitur in habens fundamentum in re, & non habens fundamentum in re. Ens rationis habens fundamentum in re; est illud, ad quod fabricandum aliqua occasio desumitur ex ipsis rebus. Ens rationis non habens fundamentum

in

in re, est illud, ad quod fabricandum nulla occasio desumitur ex ipsis rebus, sed solum pro libito fabricatur, ut quando concipimus Hircocervum, &c. & tale ens rationis dicitur purum figmentum, seu chymæra.

2 Potest autem dubitari, quodnam sit fundamentum, à quo desumitur occasio ad fabricandum ens rationis cum fundamento in re? Ad quod dubium benè respondet Mastrius, tale fundamentum non esse imperfectionem nostri intellectus; nam aliàs, omnia entia rationis haberent fundamentum, cùm entia rationis chymærica, quæ ut dictum est, nullum habent fundamentum, pendent ab actibus chymericis nostri intellectus, qui certè aliquam in se includunt imperfectionem. Et similiter, inquit Mastrius, tale fundamentum non est ens reale, ad cujus instar fabricatur ens rationis; nam etiam sequeretur, nullum dari ens rationis sine fundamento; nam ens rationis chymæricum fabricat intellectus ad modum entis realis, quod prius cognovit. Resolvit igitur Mastrius, tale fundamentum esse specialem quandam occasionem, ac motivum urgens, & necessitans intellectum, ad fabricanda entia rationis, & illa tali, vel tali modo fingenda, ita ut non merè gratis, sed ex ipsis rerum proprietatibus occasione desumpta, efficiat entia rationis; v. gr. quando intellectus apprehendit tenebras, ut formam positivam, non apprehendit illas, ut quamlibet formam, sed ut nigredinem, propter aliquam similitudinem, quam habent tenebræ cum ipsa nigredine, & non cum aliis formis.

3 Celebris est divisio entis rationis cum fundamento in re in negationem, privationem, & relationem. Pro cujus intelligentia, & ne in æquivoco laboremus, advertendum est, quod privatio, & negatio secundum se non sunt entia rationis, licet, rigorosè loquendo, non sint entia realia; sed tamen cum addito, scilicet,

en,

entia realia privativa, vel negativa, quod licet sit improprius modus loquendi, cùm potius sint negationes, & privationes entis realis, & consequenter purum nihil; tamen jam communiter recipitur talis modus loquendi, propter indigentiam vocum, & ne contentio fiat de nomine; sunt tamen negatio, & privatio fundamentum entis rationis, quia concipiuntur ab intellectu, ut quid positivum. Tota autem controversia est, an prædicta divisio sit adæquata.

3 Circa quam Merinerus cap. de universalib. disp. 3. quæst. 3. tenet, prædictam divisionem esse adæquatam, quam sequuntur aliqui Scotistæ. Mastrius autem disp. 3. de ente rationis, q. 7. tenet; prædictam divisionem non esse adæquatam; pro quo citat plures alios, & sequuntur eum etiam plures Scotistæ. & novissimè Meron. disp. de ente rationis cap. 2. quæst. 1. sed facilè possunt in concordiam revocari, si attentè consideretur fundamentum entis rationis, quod per sequentes conclusiones declarabimus.

4 Sed prius notandum est, quod noster intellectus in duplici statu potest considerari, scilicet, vel secundum se, & ex natura potentiæ sine aliquo impedimento, & pro hoc statu cum impedimento, & dependentia à sensibus. In primo sensu, objectum nostri intellectus est ens reale in tota sua latitudine; in secundo verò sensu est ens sensibile, seu materiale, de quo latè in libris de anima. Advertendum est etiam, quòd cùm intellectus, in quocumque statu sit, nequeat se extendere ultra sphæram sui objecti, hinc est, quod quando intendit cognoscere aliquid, quod sphæram sui objecti transcendit tunc necessariò cognoscit illud ad modum sui objecti, & consequenter conficit ens rationis; cum illud, quod sic concipit, eo modo, quo concipitur, tantum habeat esse objectivè in intellectu; quod si benè observetur, facilè cognoscetur concordia prædictarum sententiarum.

Di-

5 Dicimus ergo primò; prædicta divisio respectu intellectus secundum se, & ex natura potentiæ est adæquata. Hæc conclusio coincidit cum prima sententia, & probatur, quia intellectus secundum se habet pro obiectio ens reale in tota sua latitudine, sive sit materiale, sive spirituale; ergo ex natura sua potest cognoscere omne ens eo modo, quo est in se; ergo solùm potest efficere ens rationis apprehendendo, quod non est ens reale positivum, ac si esset ens reale; sed tantum privationes, & negationes, & illa, quæ non referuntur, non dicunt rationem entis realis positivi; ergo solum apprehendendo prædicta, potest intellectus secundum se fabricare ens rationis. Patet consequentia, quia ex eo intellectus facit ens rationis; quia cùm non possit excedere sphæram sui obiecti, necessariò, quando vult, seu intendit cognoscere, quod non participat rationem sui obiecti, ad modum illius illud aliud apprehendit.

6 Argues contra; denominationes extrinsecæ numerantur absolutè inter entia rationis, si apprehendantur ut quid positivum in re denominata; sed nec sunt privationes, aut negationes, neque relationes rationis; ergo prædicta divisio, absolutè loquendo, non est adæquata, quippe datur aliquod ens rationis distinctum à numeratis. Respondetur negando minorem, quatenus dicit, quod denominationes extrinsecæ apprehensæ, ut quid positivum non sunt relationes rationis; nam quando illas apprehendimus, ut quid intrinsecum in re denominata, non solùm apprehendimus illas, ut formas afficientes subjectum denominatum, sed etiam, ut ipsum subiectum referentes ad subiectum in quo sunt formæ reales, à quibus proveniunt tales denominationes extrinsecæ, v. gr. quando apprehendimus denominationem extrinsecam visi in pariete, apprehendimus illam, ut formam positivam intrinsecè inhærentem

pa-

parieti, & illum referens ad potentiam visivam, in qua est visio, quæ est forma positiva, à qua provenit talis denominatio.

7 Aliqui arguunt, intendentes probare, quòd prædicta divisio non est bona, eo quòd ens rationis relativum non distinguitur à negativo, vel privativo: ens rationis relativum fundatur in carentia relationis, nam concipimus relationem, ubi non est relatio: ergo non distinguitur à privativo, vel negativo, quod fundatur in carentia entis. Respondetur negando consequentiam; quia licet antequam fabricetur relatio rationis, præsupponatur carentia relationis; tamen ipsa relatio relationis non concipitur, ut forma positiva absoluta, sed ut forma unum ad aliud referens; quod sufficit ad hoc ut sit ens rationis diversum pro formali ab illo, quod fundatur in privatione, & negatione præcisè, licet ex parte fundamenti, seu materialiter aliquam habeant similitudinem.

8 Alii ex alio capite intendunt probare prædictam divisionem non esse bonam, scilicet, quia omne ens rationis est relativum, ad quod probandum, adducunt primò plures authoritates Scoti, quæ videntur denotare, ens eationis esse quid relativum. Sed facilè respondetur, quòd Scotus nunquam negavit, posse dari alia entia rationis, præter relativum, & sic argumentum solum procedit ab authoritate negativa, quę nullam vim habet. Vel aliter respondetur, quod quando Scotus dicis, ens rationis esse relationem rationis, solum loquitur de ente rationis, quod est secunda intentio, seu quod in secunda intentione fundatur, quod verum est, sed non contra nos, ut ex se patet.

9 Secundò adducunt hanc rationem: ens rationis fabricatur ad modum entis realis: ergo fabricatur in ordine ad ens reale, & consequenter est relativum. Respondetur distinguendo pri-

primum consequens; fabricatur in ordine ad ens reale, tanquam ad terminum, ad quem refertur, nego; fabricatur in ordine ad ens reale, hoc est, ad similitudinem entis realis, concedo, & nego ultimam consequentiam. Licet ergo concipiamus tenebras, v.g. ad similitudinem nigredinis, hoc non fit ita, quòd tenebræ referantur ad nigredinem, tanquam ad terminum, sed ita ut concipiantur ad imitationem nigredinis, quod non fieret, si non conciperentur ut forma absoluta, uti est ipsa nigredo.

10 Dicimus secundò: prædicta divisio, respectu intellectus nostri pro hoc statu, non est adæquata. Hæc conclusio coincidit cum secunda sententia. Probatur, quia objectum intellectus nostri, pro hoc statu, est ens sensibile, seu materiale: ergo nequit intellectus, pro hoc statu, concipere aliquid, nisi ad modum entis sensibilis, seu materialis: ergo quando intendit concipere, quod non est materiale, necessario concipit illud ut materiale, v. g. quando intendit concipere Angelum, qui est spiritualis, necessario concipit eum, ut puerum, v. g. qui est materialis: ergo tunc efficit ens rationis: sed tale ens rationis non est aliquod exassignatis in divisione: ergo si sumatur intellectus pro hoc statu, respectu illius prædicta divisio non est adæquata.

11 Neque obstat, quod respondet Merinerus, scilicet, quod tale ens rationis non habet fundamentum in re. Nam contra est, quia ut supra diximus, fundamentum entis rationis est motivum urgens intellectum, ut concipiat rem tali, vel tali modo: sed hoc motivum reperitur in tali ente rationis, sicut in privativo, & negativo: ergo habet fundamentum in re. Probatur minor, quia motivum urgens intellectum, ut concipiat privationem, & negationem, ut quid reale positivum, est, quòd cùm objectum intellectus absolutè sit ens reale, nequit

quit concipere, quod non est ens, nisi ad modum entis realis: sed obiectum intellectus, pro hoc statu est ens materiale; ergo habet motivum intellectus, ut pro hoc statu concipiat, quod non est materiale, ad modum entis materialis. Cum quo facilè respondetur ad quælibet argumenta, quæ contra hanc conclusionem obiiciantur.

22 Igitur, ens rationis respectu intellectus pro hoc statu, potest dividi per analogiam ad ens reale, in decem prædicamenta, quod patet; v. gr. in exemplo supra posito Angeli concepti ad modum pueri; nam ibi concipiuntur substantia materialis, quantitas, qualitas, & relationes in his fundatæ, tam intrinsecus, quàm extrinsecus advenientes, ut patebit discurrenti per omnia prædicamenta, de quibus suo loco: sed in Angelo nihil horum est materiale: ergo cùm omnia concipiantur in Angelo ab intellectu nostro pro hoc statu, ut materialia, sequitur evidenter, ens rationis, respectu intellectus nostri pro hoc statu, posse dividì per analogiam ad ens reale in decem prædicamenta.

QUÆSTIO V.

Vtrùm solus intellectus sit causa effectiva entis rationis?

1 PRo intelligentia quæstionis supponitur tanquam certum, quod ens rationis, sicut non est verè ens, ita non habet verè, & propriè causas sui esse; sed sicut suum esse est analogum, seu metaphoricum, ita analogicè, seu metaphoricè ad causas veras, & reales, habet causas suo modo, scilicet, efficientem circa quam est præsens difficultas, formalem, & materialem; quia in illo apprehenditur aliquam formam inesse alicui materiæ, & finalem,

quia

quia, licet ex se ens rationis non ordinetur ad aliquem finem; tamen efficiens, quando conficit ens rationis, aliquem finem habet, qui licet non dicatur finis operis, dicitur tamen finis operantis: nam omne agens cognoscitivum propter finem operatur. Hoc solet reduci ab aliquibus ad magnam, & prolixam controversiam, quæ parum utilis est; si autem quis aliquid, circa illam desideret, consulat Mastrium disp. 3. de ente rationis q. 3.

2 Pro quæsito autem quæstionis notandum est; ens rationis dupliciter posse sumi, scilicet, pro eo quòd solum habet esse objectivè in intellectu, & in hoc sensu certum est, solum intellectum posse ens rationis fabricare. Secundo sumitur pro ente æquivalente enti, quod fit ab intellectu, & in hoc sensu procedit præsens difficultas; unde titulus quæstionis sic debet intelligi, an sicut datur aliquod ens, quod solum habeat esse obiective in intellectu; ita possit dari aliquod ens, quod solum habeat esse obiectivè in alia potentia distincta ab intellectu?

3 Circa quam plures sunt sententiæ. Prima asserit, omnes potentias sensitivas, tam intrinsecas, quam extrinsecas, posse efficere ens rationis. Secunda tenet, ens rationis posse fieri à phantasia, seu imaginativa. Tertia tenet, ens rationis posse fieri à voluntate. Quarta denique asserit, solùm intellectum esse causam effectivam entis rationis. Authores pro his sententiis possunt videri apud Mastrium disput. 3. de ente rationis quæst. 4. Certum enim est, quòd tam Scotistæ, quàm Thomistæ, & Jesuitæ, sunt divisi per prædictas sententias; nos autem per sequentes conclusiones, quid videtur tenendum brevitate possibili proponemus.

4 Dicimus primò: nulla potentia materialis, sive interna, sive externa, potest efficere ens rationis. Probatur conclusio, omissis pluribus probationibus valdè confusis, quæ abautho-

thoribus solent adduci, & quæ cùm hac unica ratione coincidere videntur; ens rationis debet tale esse obiectivum habere in potentia ipsum fabricante, ut nullum aliud esse possit habere: sed per potentias materiales, tam intrinsecas: quàm extrinsecas, non potest aliquid tale esse obiectivum recipere, cui repugnet aliud esse habere; ergo nulla potentia materialis potest ens rationis fabricare. Probatur minor; quia obiectum harum potentiarum est quid sensibile materiale: sed nullum sensibile materiale potest excogitari, quod repugnet habere esse extra potentiam, nam licet fabricetur Hircocervus, v.gr. in hoc, quòd in eo apparet sensibile; nulla prorsus est repugnantia; licet alias sit repugnantia in hoc, quod coniungantur prædicata essentialia Hirci, & Cervi, quod non obstat: nam talia prædicata sunt extra sphæram potentiarum materialium; ergo nulla potentia materialis potest ens rationis fabricare, siquidem nullum ens potest tale esse obiectivum in illis habere, ita ut repugnet illi aliud esse habere à parte rei.

5 Arguunt contra aliquibus experientiis, tam pro sensibus externis, quam internis, quia visus percipit in iride colores, quæ revera in illo non sunt, & similiter, infirmus percipit amaritudinẽ in potu, vel cibo, quæ in illis nõ est. Deinde, imaginativa potest repræsentare, ut coniuncta aliqua, quæ coniuncta non sunt, ut quando repræsentat Hircocervum; sed hæc omnia habent esse obiectiva in prædictis potentiis: ergo prædictæ potentiæ possunt efficere ens rationis. Facilè respondetur ad prædictas instantias (& similiter ad alias, quæ solent adduci) ad primam, quod potentia visiva percipit in Iride, quod illi per species obiicitur antecedenter ad actum visionis, quod non habet præcisè esse obiectivè in tali potentia; sed etiam habet illud esse à parte rei, licet non secundum esse reale, saltim se-

secundum esse repræsentabile, seu, (ut alii dicunt) percipit colores, quæ in Iride verè, & realiter sunt, vel percipit veram lucem taliter atemperatam, quod emittat potentiæ visivæ tales species, quæ moveant intellectum ad judicandum esse veros colores; unde numquam fallitur sensus, quia apprehendit obiectum, ut repræsentatur à speciebus, id est, apprehendit apparentiam colorum, quæ ibi erat ante actum visionis; in quo nulla est fictio, seu falsitas.

6 Ad secundam respondetur, quod licet in cibo, vel potu non sit amaritudo, est tamen in aliquo humore, quem habet infirmus propter suam dispositionem, & alterationem qualitatum, & hanc percipit infirmus: quia humor, in quo est, miscetur cum potu, & cibo, & sic omne coniunctum fit amarum. Ad tertiam respondetur, quòd Hircocervus, secundum totum, quod dicit accidentale, quod est obiectum imaginativæ, nullatenus repugnat esse à parte rei, ideoque non habet tantum esse obiectivè in imaginativa, cum possit habere esse extra imaginativam.

7 Dicimus 2. Voluntas nequit efficere ens rationis. Pro hac conclusione sunt divisi Scotistæ, propter aliquas authoritates Scoti. Sed probatur breviter, quia si voluntas efficeret ens rationis, faceret suum obiectum, sicut facit intellectus, quando efficit ens rationis; sed voluntas nequit facere suum obiectum: ergo nequit facere ens rationis. Probatur minor, quia obiectum voluntatis est ens cognitum; nam, iuxta commune proloquium: *Nihil volitum, quin præcognitum*; ergo obiectum voluntatis necessariò præsupponitur ad actum illius, & consequenter nequit illud efficere.

8 Arguunt contra, oppositum tenentes, ex Scoto, qui pluribus in locis asserit, voluntatem esse potentiam collativam, & sic posse compara-

rare suum objectum ad aliud, & in eo causare relationem rationis: ergo secundum Scotum voluntas potest efficere ens rationis. Respon. neg. consequentiam,& ad antecedens dicimus, quòd Scotus semper loquitur in sensu fundamentali; non verò in sensu formali, hoc est, intendit Scotus, quòd voluntas comparando suum objectum ad aliud, præstat fundamentum, ut intellectus concipiat denominationem extrinsecam, quæ remanet in objecto, in quantum terminat talem actum voluntatis, tanquam quid intrinsecum tali objecto, & sic faciat relationem rationis. Vel loquitur Scotus de relatione rationis,quatenus dicit relationem in anima, non verò extra animam.

9 Arg.2. Voluntas Luciferi appetivit æqualitatem cum Deo: sed talis æqualitas est impossibilis; ergo tunc finxit hoc impossibile ut possibile, & consequenter fecit ens rationis. Resp. quod antequam Lucifer appeteret æqualitatem cum Deo, apprehendit talem æqualitatem impossibilem, ut possibilem, & sic ad actum voluntatis supponebatur ens rationis factum per actum intellectus, quod universim respondendum est ad quodlibet argumentum, quod contra nostram conclusionem objiciatur; nam semper debet tenere illud principium: *Nihil volitum, quin præcognitum*, & sic quodlibet bonum, sive verum, sive apparens,præsupponitur cognitum ab intellectu, antequam illud prosequatur voluntas. Circa solutionem hujus argumenti potest videri Scotus in 2. dist.6.q.1. per totam.

10 Dicimus tertiò: Solus intellectus potest efficere ens rationis. Hæc conclusio colligitur ex præcedentibus, nam supposito, quod datur ens rationis, & quod à nulla alia potentia fabricatur; evidenter sequitur à sufficienti partium enumeratione, solùm ab intellectu fabricari.

QUÆSTIO VI.

Per quam intellectus operationem fiat ens rationis.

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est, intellectum habere tres operationes, scilicet, simplicem apprehensionem, judicium, & discursum; unde oritur præsens controversia, an scilicet per omnes illas possit intellectus ens rationis fabricare? Circa quam divisi sunt Authores, & inter Scotistas major pars tenet, intellectum per simplicem assignatam operationem posse ens rationis fabricare; sed Merinerus, quem aliqui Scotistæ sequuntur, tenet disp 3. de ente rationis q.5. intellectum per solam simplicem apprehensionem ens rationis posse fabricare.

2 Dicimus ergo cum illo; intellectus solum per simplicem apprehensionem ens rationis efficere valet. Probatur, quia simplex apprehensio semper præcedit judicium; & si judicium est falsum, præcedit simplex apprehensio attingens rem aliter ac est, sed ens rationis fit cognoscendo rem aliter ac est: ergo ante judicium affirmans, rem esse aliter ac est, præsupponitur ens rationis factum per simplicem apprehensionem: sed quod præsupponitur factum, nequit iterum fieri: ergo simplex apprehensio, & non judicium facit ens rationis. Eadem ratio est pro discursu, nam discursus supponit judicium, & simplicem apprehensionem. Hoc in solutione argumentorum amplius patebit,

3 Arguunt contra oppositum tenentes: per judicium remanent in objectis relationes rationis subjecti, prædicati, & propositionis, & per discursum remanent relationes rationis, majoris, & minoris, propositionis, consequentiæ, & syllogismi: sed istæ relationes, sunt entia rationis-

tionis: ergo ens rationis poteſt fieri per judicium, & diſcurſum. Reſpondetur diſtinguendo majorem: remanent in objecto prædictæ relationes fundamentaliter, concedo; formaliter, nego, & ſimiliter diſtinguenda eſt minor, & conſequentia. Etenim per actum judicii, & diſcurſus, ſolum remanent in objectis denominationes extrinſecæ ſubjecti, prædicati, &c. quæ non ſunt formaliter relationes rationis, ſed tantum fundamentaliter, & quatenus præbent fundamentum, ut intellectus illas concipiat, ut quid intrinſecum in re denominata, dicens ordinem ad actus intellectus, à quibus proveniunt, quod fit per alium actum intellectus, ſcilicet, per ſimplicem apprehenſionem.

4 Replicant 1. Poſtquam negatio, v. gr. cognoſcitur per ſimplicem apprehenſienem, ut quid poſitivum, poteſt fieri hoc judicium: *negatio eſt quid poſitivum*: ſed per tale judicium fit ens rationis, quia nullum eſſe habet, præter eſſe objectivum in ipſo actu intellectus: ergo ens rationis poteſt fieri per judicium. Reſpondetur primo negando maiorem: quia, cùm intellectus habeat iudicium oppoſitum, ſcilicet: *negatio non eſt quid poſitivum*, nequit ſimul habere iudicium ſupradictum, nam duplex contradictorium non poteſt ſimul eſſe in intellectu. Sed quia hæc reſponſio aliquas poteſt pati inſtantias.

5 Reſpondetur 2. adhuc admiſſa maiori, negando minorem; quia tale ens rationis, iam ſupponitur factum per ſimplicem apprehenſionem. Deinde, inquiro, vel hoc iudicium eſt circa idem ens rationis, quod ſupponitur factum à ſimplici apprehenſione, vel circa aliud? Hoc ſecundum non poteſt dici, quia nequit eſſe iudicium, niſi circa obiectum cognitum per ſimplicem apprehenſionem: ergo debet dici primum: ſed ut ſic iam ens rationis præſuppponitur factum per ſimplicem apprehen-

I 2 ſio-

ſionem : ergo nullatenus fieri poteſt per iudicium.

6 Replicant 2. Eſſe entis rationis conſiſtit in cognoſci : ſed diverſo modo cognoſcitur per iudicium, ac per ſimplicem apprehenſionem : ergo diverſum eſse accipit per iudicium, ac per ſimplicem apprehenſionem. Reſp. neg. conſequentiam, quia licet diverſo modo cognoſcatur ens rationis per iudicium, ac per ſimplicem apprehenſionem; non inde ſequitur, quòd per iudicium fiat ens rationis; ſed tantum, quod ens rationis factum per ſimplicem apprehenſionem, alio modo cognoſcatur; quod non eſt fabricare ens rationis: nam quod ſemel factum eſt, nequit iterum fieri; ſed tantum eſt tribuere enti rationis facto per ſimplicem apprehenſionem, denominationem extrinſecam cogniti per iudicium quæ denominatio non eſt ens rationis, niſi conſideretur per aliam ſimplicem apprehenſionem, ut quid intrinſecum in ente rationis ſic denominato; ſed tunc fit aliud ens rationis.

7 Aliter probatur noſtra concluſio contra aliquos, qui nobiſcum tenent, ens rationis non poſſe fieri per voluntatem, & ex alia parte opponuntur noſtræ concluſioni; non minus præſupponitur ens rationis factum per ſimplicem apprehenſionem ad actum iudicii, ac ſupponitur factum per intellectum ante actum voluntatis; ſed ex eo quod ſupponatur factum per intellectum ad actum voluntatis, voluntas nequit illud efficere; ergo ex eo quod ſupponatur factum per ſimplicem apprehenſionem ad actum judicii, iudicium nequit illud efficere.

8 Aliqui tenentes, ens rationis ſolum fieri per iudicium, ſic contra noſtram concluſionem arguunt; ens rationis fit per actum falſum; ſed ſolum in iudicio invenitur falſitas; ergo ens rationis ſolum poteſt fieri per iudicium.

Pro-

Probatur maior, quia, qui facit ens rationis, intelligit rem aliter ac est: sed qui intelligit rem aliter ac est, fallitur: ergo ens rationis fit per actum falsum, Resp. 1. neg. mai. quia nullatenus requiritur falsitas ad conficiendum ens rationis, sed sufficit, quod obiectum habeat tantum esse obiectivè in intellectu, quod contingere potest in actu simplicis apprehensionis. Ad probationem respondetur distinguendo minorem: qui intelligit rem aliter ac est, fallitur, si affirmet esse, quod non est, concedo; si non affirmet, sed tantum cognoscat rem aliter ac est, cognitione simplici, nego; quod contingit quando fit ens rationis per simplicem apprehensionem.

9 Secundo potest responderi dist. mai. ens rationis fit per actum falsum, sumpta falsitate strictè, & rigorosè, nego; sumpta falsitate pro qualibet non conformatione cum obiecto, concedo. Similiter distingnuo minorem; falsitas strictè sumpta solum invenitur in actibus judicii, concedo; falsitas latè sumta, prout dicit quemlibet non conformationem cum obiecto, nego; hęc enim etiam invenitur in simplici apprehensione, quando apprehendit rem aliter ac est: Unde nego consequentiam. Idem respondetur ad illud, *qui intelligit rem aliter ac est fallitur*.

10 Dubitabis; per quam simplicem apprehensionem fiat ens rationis? Pro responsione nota, quod simplex apprehensio, sicut quilibet alius actus intellectus, potest esse directa, vel reflexa. Tunc est directa, quando tendit in objectum, quod non præsupponitur cognitum, tunc dicitur reflexa, quando tendit in obiectum, quod jam præsupponitur cognitum. Deinde: simplex apprehensio potest esse absoluta, vel comparativa. Tunc dicitur absoluta, quando apprehendit unum obiectum sine ordine ad aliud; tunc dicitur comparativa, quando apprehendit unum obiectum cum ordine ad aliud. Hoc notato.

11 Respondetur 1. ad dubium, quod aliqua entia rationis fiunt per simplicem apprehensionem directam, ut sunt omnia, quæ habent pro fundamento negationem, & privationem, & denominationes extrinsecas non provenientes ab actibus intellectus, quod patet, quia in his non præsupponitur alius actus intellectus, quod erat necessarium ad cognitionem reflexam. Alia vero entia rationis, quæ habent pro fundamento denominationes extrinsecas provenientes ab actibus intellectus, fiunt per simplicem apprehensionem reflexam; quod patet, quia hæc supponunt obiectum cognitum per alium actum antecedentem, & super tale obiectum, reduplicativè, ut cognitum, fabricantur.

12 Argues contra; actus intellectus, quo fit ens rationis, quomodocumque sumatur, semper supponit alium actum intellectus, quo cognoscitur ens reale, ad cuius instar fabricatur: ergo omne ens rationis fit per actum reflexum. Respond. neg. consequentiam, quia non quilibet actus intellectus, qui supponit alium, dicitur reflexus; sed qui ita illum supponit, ut supra ipsum vel supra obiectum cognitum per illum, reflectatur, quod non contingit, quando præsupponit actum, quo cognoscitur ens reale, ad cuius instar ens reale fabricatur, nam tunc actus effectivus entis rationis, non cognoscit actum primum cognoscitivum entis realis, neque ipsum ens reale cognitum, reduplicativè ut cognitum, quod erat necessarium, ut esset actus reflexus.

13 Resp 2. ad dubium, quod omnia entia rationis, quæ sunt relativa, fiunt per simplicem apprehensionem comparativam, quod patet, quia in his semper apprehendit intellectus unum in ordine ad aliud, ut quando concipit aliquam denominationem extrinsecam, ut quid intrinsecum in subiecto, & illud ordinans ad potentiam, seu subiectum in quo est forma, à qua provenit talis denominatio. Entia vero rationis,

nis, quæ non sunt relativa, fiunt per simplicem apprehensionem absolutam, quod patet, quia non concipiuntur in ordine ad aliud, ut quando concipitur negatio, ut quid positivum, concipitur absolutè, & sine ordine ad aliud. Contra hoc videtur militare ratio adducta quæst. 4. huius disputationis num. 9. sed ibi manet sufficienter soluta.

QUÆSTIO VII.

Vtrùm intellectus Diuinus cognoscat, & efficiat ens rationis?

1 HÆc difficultas est maxima controversia in hac disputatione; circa quàm sunt varii modi dicendi, alii enim dicunt, Deum cognoscere entia rationis, non solum indirectè, sed etiam directè, & consequenter illa efficere. Alii autem per oppositum asserunt, Deum nullatenus cognoscere, neque efficere entia rationis. Alii denique affirmant, Deum cognoscere entia rationis indirectè, non verò directè, & consequenter illa non efficere. Hic modus dicendi est communior, tam inter Scotistas, quàm inter alios, licet Mastrius disp. 3. de ente rationis quæst. 5. iudicet probabile, Deum directè cognoscere entia rationis, & consequenter illa efficere, & sic utramque partem problematice defendit. Apud illum, & apud Merinerum q. 6. de ente rationis possunt videri plures Authores pro prædictis modis dicendi.

2 Dicimus primò: Intellectus Divinus cognoscit entia rationis indirectè, hoc est, ut facta, vel factibilia ab intellectu creato. Probatur, nam Deus comprehendit cogitationes nostras: ergo cognoscit obiecta illarum, sed entia rationis plura sunt, vel possunt esse obiecta nostrarum cogitationum: ergo Deus cognoscit entia rationis, ut facta, vel factibilia à nostro intellectu.

3 Confirmatur: quia nulla eſt imperfectio in cognitione prædicato modo entia rationis cognoſcente: ergo non eſt cur negetur talis cognitio intellectui Divino. Probatur antecedens; nam ſi daretur aliqua imperfectio in cognitione eo eſſet, quia repræſentaret rem aliter ac eſt, ſed talis cognitio non repræſentaret rem aliter ac eſt: ergo nulla eſſet imperfectio in tali cognitione: probatur minor, qua talis cognitio repræſentaret ens rationis, ut actu habens, vel potens habere eſſe obiectivè in intellectu creato; ſed hoc eſt repræſentare rem eo modo, quo eſt; quia hoc eſt verum ex parte ipſius entis rationis: ergo talis cognitio non repræſentaret rem aliter ac eſt. Hæc ratio fundatur à ſimili in eo quòd aliud eſt mentiri, & aliud mendacium ut mendacium cognoſcere; nam mentiri eſt imperfectio, quia non conformatur intellctus cum obiecto; at verò mendacium cognoſcere, ut mendacium, non eſt imperfectio, quia conformatur intellectus cum obiecto, ſic ſimiliter facere ens rationis eſt imperfectio, quia cognoſcitur res aliter ac eſt: cognoſcere autem ens rationis, ut ens rationis, non eſt imperfectio; quia eſt cognoſcere rem eo modo, quo eſt.

4 Arguunt contra; Si Deus cognoſceret entia rationis facta, vel factibilia ab intellectu creato, cognoſceret rem aliter ac eſt; ſed hoc eſt imperfectio: ergo nequit Deus cognoſcere hoc modo entia rationis. Probatur ſequela, quia tunc cognoſceret Deus obiectum intellectus creati eo modo, quo eſt obiectum illius: ſed eſt obiectum illius aliter ac eſt in ſe à parte rei: ergo cognoſceret Deus rem aliter ac eſt in ſe. Reſpondetur diſtinguendo ſequelam: cognoſceret Deus, rem eſſe à parte rei aliter ac eſt, nego, cognoſceret Deus, rem eſſe cognitam, vel cognoſcibilem ab intellectu creato aliter ac eſt à parte rei, concedo; ſed in hoc nulla eſt imperfectio, quia nihil aliud eſt quàm cognoſcere, in-

tel-

tellectum creatum cognoscere, vel posse cognoscere rem aliter ac est in se à parte rei, quod absque dubio, verum est.

5 Dicimus secundò: nullatenus potest intellectus Divinus ens rationis fabricare. Hæc conclusio est communis inter Scotistas, & licet Mastrius, ut dictum est, problematicè eam defendat, inquit tamen, quòd hæc pars magis consonat communi modo loquendi de ente rationis. Neque est contra Scotum, quia licet aliquibus in locis videatur oppositum tenere, ut postea videbimus; tamen aliis in locis etiam videtur nostram conclusionem tenere, nam in 1. dist. 8. q. 4. §. *Ista tamen positio, vers. Prætereà*, inquit: *Igitur intellectus Divinus causabit aliquam intentionem in essentia, ut relationem rationis, ut existens est, quod est absurdum.* Unde benè notavit Mastrius citatus, quòd Scotum, circa hanc rem, omninò certum non habemus. Probatur autem conclusio hac ratione: ad faciendum ens rationis, necessariò requiritur, quòd res cognoscatur aliter ac est: sed hoc est imperfectio, à Deo penitus releganda: ergo nullatenus est Deo concedenda efficientia entis rationis: Hæc ratio valdè premit adversarios, ideòque variè conantur eam solvere.

6 Respondent 1. quòd cognoscere rem aliter ac est, non est imperfectio, si etiam cognoscatur eo modo, quo est, & Deus, ita cognoscit rem aliter ac est, ut etiam illam cognoscat eo modo, quo est. Sed contra primò, quia perfectio, vel imperfectio cognitionis desumitur ex conformitate, vel non conformitate cognitionis cum objecto: ergo quælibet cognitio, quæ non conformatur cum objecto, est imperfecta: sed quòd Deus cognoscat rem eo modo quo est, non aufert, quòd non conformetur cum obiecto, quādo cognoscit rem aliter ac est: ergo quod Deus cognoscat rem eo modo, quo est, non aufert imperfectionem à cognitione, quando cognoscit

rem aliter ac est, & consequenter hoc tantùm est tribuere Deo cognitionem perfectam, qua cognoscit rem ut est in se, & imperfectam, qua cognoscit rem aliter ac est in se, quod absurdum videtur.

7 Contra secundò: quia intellectus creatus potest habere, & de facto habet hoc judicium divisivum: *Negatio non est quid positivum*, quo cognoscit rem eo modo, quo est in se: sed hoc non aufert, quòd cognitio, qua cognoscit negationem ut quid positivum, quod est cognoscere rem aliter ac est, & facere ens rationis, sit imperfecta, eo quòd non conformetur cum objecto: ergo quòd Deus cognoscat rem eo modo, quo est, non aufert, quod sit imperfectio cognoscere rem aliter ac est.

8 Respondent 2. quod cognoscere rem aliter ac est, quando talis cognitio est simplex apprehensio, nullam dicit imperfectionem, bene tamen, quando talis cognitio est judicium, quia solum in judicio reperitur falsitas. Sed contra est: quia ex eo judicium est imperfectum in ratione cognitionis, quia non conformatur cum objecto ut est in se: sed simplex apprehensio, quando cognoscit rem aliter ac est, non conformatur cum objecto: ergo est imperfecta in ratione cognitionis. Quæ non conformatio simplicis apprehensionis cum objecto, dicitur falsitas lato modo sumpta, ut dictum est quæst. anteced. n. 9. Unde solemus dicere, aliquem falsam apprehensionem habere.

9 Respondent 3. quòd cognoscere rem aliter ac est, tunc solùm est imperfectio, quando res tantum petit cognosci, ut est in se, non tamen, quando res petit cognosci aliter ac est; primum contingit in entitatibus verum esse reale habentibus; secundum verò, in illis, quæ nullam entitatem realem habent; nam hæc petunt cognosci ad modum entis realis positivi, seu aliter ac sunt in se, ut sunt negatio, priva-

tio,

tio, & denominationes extrinsecæ.

10 Sed contra primò; quia penitus falsum est, quòd detur aliquid, quod exigat cognosci aliter ac est; licet enim concedatur, quod ex parte rerum detur aliquod fundamentum, ut intellectus imperfectè cognoscens, eas cognoscat aliter ac sunt, nullatenus tamen potest concedi, eas ex se esse cognoscibiles aliter ac sunt, quod patet, quia cognoscibilitas intrinseca rerum nihil aliud est, quam ipsa entitas illarum secundum se; ergo sola illa cognitio attingit cognoscibilitatem intrinsecam rerum, quæ repræsentat entitatem illarum secũdum se; sed cognitio repræsentans res aliter ac sunt in se, non repræsentat illarum entitatem secundum se: ergo ex eo est, quia nihil datur, quod ex se petat cognosci aliter ac est in se.

11. Contra secundò; quia privationes, & negationes, v. g. cùm in se nullam habeant entitatem, sed potius sint remotiones entitatis, non habent intrinsecam intelligibilitatem; ergo intelligibilitas illarum est extrinseca; sed possunt cognosci per oppositum entis, faciendo hoc judicium divisivum; *Negatio non est quid positivum*; seu; *Privatio non est quid positivum*; ergo ab extrinseco sunt cognoscibiles eo modo, quo sunt in se; sed, juxta prædictam responsionem est imperfectio cognoscere rem aliter ac est in se, quando est cognoscibilis eo modo quo est in se; ergo cognoscere privationes, & negationes, v. g ut quid positivum, quod est cognoscere illas aliter ac sunt in se, est imperfectio; ergo nequit Deus sic illas cognoscere; & consequenter nequit facere ens rationis. Alio modo sunt cognoscibiles aliter ac sunt in se; sed hoc etiam provenit illis ab intelligibilitate extrinseca, scilicet, ex imperfecto modo, quo intellectus illas potest cognoscere, & sic fiunt entia rationis, ut dictum est quæst. 1. huius disputationis, qui modus cognoscendi nullatenus potest Deo concedi.

12. Arguunt 1. Deus cognoſcit entia rationis, ut dictum eſt concluſione antecedenti: ergo efficit entia rationis; ſiquidem eſſe entis rationis conſiſtit in cognoſci. Reſpondetur diſtinguendo antecedens: Deus cognoſcit entia rationis, indirectè, id eſt, cum ordine ad intellectum creatum illa efficientem, concedo; directè, vel ſine ordine ad intellectum creatum, nego; unde nego conſequentiam. Similiter diſtinguendum eſt, quod ens rationis conſiſtit in cognoſci; eſt enim verum directè, falſum autem indirectè.

13 Ex duplici capite replicant contrarii; nam aliqui intendunt, ens rationis fabricari ab intellectu Divino; licet tantum indirectè cognoſcatur, quod ſic probant; quando Deus cognoſcit ens rationis factum ab intellectu creato, tale ens rationis habet eſſe objectivè in intellectu divino: ergo per talem cognitionem fabricatur ab intellectu Divino. Reſpondetur diſtinguendo antecedens: habet eſſe objectivè in intellectu Divino, hoc eſt, idem eſſe, quod habet objectivè in intellectu creato, concedo; aliud eſſe, nego. Unde nego conſequentiam; quia nullatenus fit ab Intellectu Divino, quod jam ſupponitur factum ab intellectu creato, & ſic ſolum remanet in illo nova denominatio extrinſeca cogniti, proveniens à cognitione Divina.

14 Contra replicant: Deus cognoſcit ab æterno ens rationis factibile à creatura, licet nunquam ab illa fiat: ergo tale ens rationis, antequam habeat eſſe objectivè in intellectu creato, habet eſſe objectivè in intellectu Divino: ergo fit ab intellectu Divino, ſiquidem, fit à potentia, à qua primo cognoſcitur. Reſpondetur diſtinguendo primum conſequens: tale ens rationis habet eſſe obiectivè in intellectu Divino, antequam habeat eſſe objectivè in intellectu creato, ſecundum ſe, directè, & independenter ab ipſo intellectu creato potente illud efficere-

ficere, nego; indirectè, seu ut quid factibile ab intellectu creato, concedo, & nego ultimam consequentiam. Quod ut capias.

15 Nota, verum esse, ens rationis cognosci ab æterno à Deo, & habere esse objectivè in intellectu Divino, sed tamen non propter hoc habet esse primariò effectivè ab intellectu Divino; quia licèt tunc nullus sit intellectus creatus, in quo primariò effectivè sit actualiter ens rationis; tamen tunc est intellectus creatus possibilis, in quo primariò effectivè possibiliter habet esse tale ens rationis, quod tum etiam tantum est possibile; unde, sicut quando ens rationis de facto datur existens in intellectu creato; præsupponitur jam factum ab ipso intellectu creato ante cognitionem Divinam terminatam ad illud, ut existens, ita in statu possibilitatis ab æterno, ens rationis præsupponitur factum possibiliter, id est, factibile ab intellectu creato ante cognitionem Divinam terminatam ad illud ut factibile; & sic cognitio Divina semper respicit ens rationis indirectè, & in ordine ad intellectum creatum.

16 Ex alio capite alii intendunt probare, ens rationis fieri ab intellectu Divino, scilicet, quia non solum indirectè, sed etiam directè Deus cognoscit ens rationis, & sic replicant ad responsionem argumenti: quia etiam si intellectus creatus repugnaret, cognosceret Deus entia rationis: sed tunc cognosceret illa directè: ergo Deus efficeret illa. Respondetur negando majorem, quia, si repugnaret intellectus creatus, repugnaret etiam ens rationis; nam certum est, quòd repugnante aliqua causa, simul repugnat effectus illius, unde tunc non esset aliquod ens rationis neque actualiter, neque possibiliter, quod à Deo cognosceretur; & sic nihil mirum, quod tunc ens rationis non cognosceretur à Deo.

17 Sed replicant: in illo casu cognosceret Deus

ens

ens rationis esse impossibile: sed tunc illud ens rationis esset objectivè in intellectu Divino: ergo tunc fieret ens rationis ab intellectu Divino. Respondetur distinguendo minorem; sed tunc illud ens rationis esset objectivè in intellectu Divino, ita ut obiiceretur intellectui Divino ens rationis, nego: quia in illo casu non daretur ens rationis cognoscibile, ut dictum est; ita ut obiiceretur intellectui Divino impossibilitas entis rationis, concedo; vel subdistinguo, ita ut obiiceretur intellectui Divino impossibilitas entis rationis absolutè, & directè, nego; indirectè, & in ordine ad impossibilitatem intellectus creati, concedo; quia ens rationis neque ex se est formaliter, & intrinsecè possibile, neque impossibile; sed solum ab alio, & extrinsecè, hoc est, ab intellectu possibili, vel impossibili ad illud fabricandum. Plura diximus similia in tota disputatione; unde negatur consequentia.

18 Adhuc replicant: per cognitionem, qua Deus cognoscit chimeram, ut impossibilem, v. g. quando habet hanc cognitionem: *Hircocervus est impossibilis*, tunc Hircocervus habet esse objectivè in intellectu Divino; ergo cùm à parte rei nullum esse habeat, neque habere possit, jam habet tantum esse objectivè in intellectu Divino, quod est esse ens rationis. Respondetur distinguendo antecedens; Hircocervus est objectivè in intellectu Divino, ita ut obiiciatur intellectui Divino aliquid, quod non est à parte rei ex parte ipsius Hircocervi, nego; ita ut nihil obiiciatur, præter id, quod est à parte rei ex parte ipsius Hircocervi, concedo, & nego consequentiam; tunc enim tantum esset objectivè in intellectu Divino impossibilitas ipsius Hircocervi, quæ impossibilitas sic se habet à parte rei; & sic jam non haberet tantum esse objectivè in intellectu, quod erat necessarium, ut esset ens rationis.

19 Adhuc replicant; in hoc complexo; *Hirco*

co cervus est impossibilis, duo debent considerari, scilicet, negatio, seu impossibilitas Hircocervi & ipse Hircocervus; primum, habet esse à parte rei, quia à parte rei est negatio, seu impossibilitas Hircocervi; secundum, scilicet, *Hircocervus* non habet esse à parte rei: ergo quando intellectus Divinus cognoscit hoc complexum: *Hircocervus est impossibilis*, hæc duo cognoscit, scilicet, impossibilitatem Hircocervi, ex vi cujus non facit ens rationis; & ipsum Hircocervum, ex vi cujus facit ens rationis. Respondetur negando consequentiam; nam per illum actum, quo Deus cognoscit hoc complexum: *Hircocervus est impossibilis* solum attingit impossibilitatem Hircocervi, non autem ipsum Hircocervum, quod fundatur in eo, quod actus judicii, seu propositio, ut suo loco dicemus est una simplex qualitas, cujus adæquatum objectum non sunt termini illi incomplexi, scilicet, subjectum, & prædicatum, sed copula eos conjungens; termini verò illi attinguntur per actus simplicis apprehensionis præcedentes actum judicii, illique cœxistentes, eum advenit; cùm ergo extrema illa non attingantur ex vi actus judicii, sequitur evidenter, per judicium, quo dicitur *Hircocervus est impossibilis*, non fieri ens rationis, quia per talem actum, præcisè attingitur repugnantia Hircocervi, non autem ipse Hircocervus.

20 Adhuc replicant; impossibile est, quòd detur actus judicii, quin præcedat, seu cœxistat actus simplicis apprehēsionis cognoscens extrema ipsius judicii: ergo licet Deus per illum actum judicii, quo cognoscit hoc complexum: *Hircocervus est impossibilis*, non cognoscat extrema illius, necessariò debent cognosci per simplicem apprehensionem: ergo licet intellectus Divinus non faciat ens rationis ex vi illius judicii, quo cognoscit prædictum complexum, faciet tamen ens rationis ex vi illius simplicis appre-

apprehensionis, qua cognoscit Hircocervum, qui est extremum illius iudicii.

22 Respondetur primò negando ultimam consequentiam; hoc autem dependet ex intelligentia simplicis apprehensionis, & judicii in Deo; etenim tantum datur in intellectu Divino unicus actus, qui terminatur ad obiecta eo modo, quo sunt cognoscibilia, sive hoc fiat ad modum simplicis apprehensionis, sive ad modum iudicii; utroq; enim modo cognoscit Deus impossibilitatem Hircocervi, & nihil aliud ex parte illius, cum nihil aliud sit cognoscibile ex parte illius intrinsecè, ut patet ex supradictis; & si aliter potest cognosci, hoc provenit ab extrinseco, id est ab intellectu, qui imperfectè cognoscens, potest rem aliter ac est repræsentare; Deus enim tam per modum simplicis apprehensionis, quam per modum iudicii, ex cognitione ipsarum rerum ut sunt in se, & prædicatorum essetialium illarum, cognoscit inter se repugnare, vel non repugnare, absque eo quod ex parte obiectorum correspondeat intellectui Divino aliquid, quod non est à parte rei: unde, licet actus Dei vocetur iudicium, sive simplex apprehensio semper idem cognoscit, hoc est in nostro casu semper cognoscit impossibilitatem Hircocervi, & sic nullatenus fabricat ens rationis.

23 Resp. 2. quod licet in Deo præcedat actus terminatus ad Hircocervum per modum simplicis apprehensionis, hoc evenit, eo quod est sic factus, vel factibilis ab intellectu creato: tunc enim licet hoc complexum; *Hircocervus est impossibilis*, cognosceret Deus directè, & in se, tamen extremum illius, scilicet, Hircocervum, solum cognosceret indirectè, & in ordine ad intellectum creatum, in quo sensu iam sæpè dictũ est, nullum fabricare ens rationis. Unde, si alias repugnaret intellectus, creatus, repugnaret etiã quod Deus cognosceret Hircocervum, ita ut ad ipsum terminaretur actus Divinus, sed solum

ita

ita ut terminaretur ad ejus impossibilitatem. Etenim universim loquendo, impossibilitas Hircocervi cognoscitur à Deo ex ipsa cognitione prædicatorum essentialium Hirci & cervi, sive hoc fiat per modum simplicis apprehensionis, sive per modum iudicii; unde illud complexum: *Hircocervus est impossibilis*, ut est obiectum intellectus Divini, nihil aliud ponit præter quòd prædicata Hirci & cervi inter se repugnant, quod certè sic se habet à parte rei.

23 Arguunt 2. Ideò intellectus creatus cognoscit privationem, & negationem ut ens positivum, quia cum eius obiectum sit ens reale positivum, non potest aliquid intelligere; nisi sub ratione sui obiecti: sed etiam ens reale positivum est obiectum intellectus Divini; ergo nequit intelligere privationem, & negationem, nisi sub ratione talis obiecti; ergo sicut intellectus creatus sic illas cognoscendo efficit ens rationis, ita etiam intellectus Divinus illud efficiet.

24 Respondetur negando causalem maioris; quia non ideò præcisè, quod ens est obiectum intellectus creati, concipit negationem & privationem ut quid positivum, nam alias, nunquam posset privationem, & negationem ut sunt in se cognoscere, quod est falsum: nam per hoc iudicium divisivum: *Negatio, & privatio non sunt quid positivum*, cognoscit illas ut sunt in se; quia tunc cognoscit intellectus, eas non esse entia, sed potius remotione entis, licet hoc fiat per formam oppositam extrinsecè cõnotatam, ut supradictum est. Ratio autem completa, qua re intellectus creatus cognoscit illas ut entia positiva est, quia nititur illas cognoscere per simplicem apprehẽsionem, & cũ ut sic per formã oppositam non sint intelligibiles, præstat illis aliam intelligibilitatem extrinsecam provenientem ab actu imperfectè cognoscente, & sic repræsentat illas aliter ac sunt in se, & efficit ens rationis: cum autem Deo tribuenda sit cognitio sine ali-

qua

qua imperfectione, solum potest concedi, intellectum Divinum cognoscere privationem, & negationem per iudicium divisivum, & per ordinem ad formam oppositam; quia sic ex parte rei sunt intelligibiles, non tamen ut quid positivum, quia sic solum sunt intelligibiles ex imperfecto modo cognoscendi.

25 Sed replicant: cognoscere res omnibus modis, quibus cognoscibiles sunt, dicit perfectionem in cognitione: sed privatio, & negatio non tantum sunt cognoscibiles ut sunt in se; sed etiam aliter ac sunt in se ergo est perfectio cognitionis Divinæ sic illas cognoscere. Resp. dist. mai. cognoscere res omnibus modis quibus cognoscibiles sunt ex parte rei, dicit perfectionem in cognitione, concedo; quibus cognoscibiles sunt ex parte intellectus imperfectè concipientis, nego; distinguo etiam minorem: sed privatio, & negatio sunt cognoscibiles aliter ac sunt in se, ex parte rei, nego, ex parte intellectus imperfectè concipientis, concedo, & nego consequentiam.

26 Arguunt 3. Aliquibus authoritatibus Scoti: nam in 1. distinct. 30. quæst. 2. §. *Contra istam opinionem*. *Vers. Præterea*, litt. B. dicit; *Divinus intellectus comparans se ad primum extremum, ut creativum ad creabile, & ad aliud extremum, ut creans ad creatum, videtur in essentia sua quasi producere duas relationes rationis ad distincta extrema*. Et dist. 35. §. *Potest dici*. *Vers. Hoc potest poni*, litt. H. dicit; *Hoc potest poni sic. Deus in primo instanti intelligit essentiam sub ratione merè absoluta; in secundo instanti producit lapidem in esse intelligibili; in tertio instanti fortè intellectus Divinus potest comparare suam intellectionem ad quodcumque intelligibile, ad quod nos possumus comparare, & tunc comparando se ad lapidem potest causare in se relationem rationis; & in quarto instanti potest quasi reflecti super istam relationem causatam in tertio instanti; & tunc illa*.

la relatio rationis cognita erit; ergo secundum Scotum intellectus Divinus potest efficere entia rationis.

27 Potest responderi primò, quod loquitur Scotus dubitativè, non autem assertivè, ut denotant illa verba: *videtur, fortè*. Secundo potest responderi, quod loquitur de relatione rationis latè sumpta, scilicet, pro denominatione extrinseca, quam recipit obiectum ex terminatione actus rationis; non vero loquitur de relatione rationis strictè sumpta, scilicet, pro illa, quæ tantum habet esse obiectivè in intellectu, quod erat necessarium, ut faceret ens rationis, ut in præsenti sumitur; quod autem in hoc sensu loquatur Scotus sic ostenditur; nam relationes illæ rationis, de quibus in primo loco affirmat, esse productas per actum Divini intellectus cõparantem Divinum esse ut creativum ad creabile, & ut creans ad creatum, non habent esse obiectivè in actu isto comparativo Divini intellectus; cum obiecta talis actus tantum, sint Divinum esse ut creativum, seu creans, quod est, quod comparatur; & esse creabile; seu creatum, quod est cum quo comparatur. Deinde, in secundo loco affirmat, quod illa relatio rationis, quæ causatur in tertio instanti, potest cognosci a Divino intellectu in quarto instanti, & sic supponit Scotus non esse cognitam pro tertio instanti; & consequenter pro illo instanti non habere esse obiectivè in intellectu, quod erat necessarium ut esset ens rationis, ut sumitur in præsenti. Neque in quarto instanti, in quo cognoscit illam relationem facit ens rationis, quia non cognoscit illam ut quid intrinsecum in rebus comparatis; sed tantum cognoscit, quod illa extrema sunt termini sui actus comparativi, quod in re ita se habet.

QUÆ-

QUÆSTIO VIII.

An secunda intentionis sint entia rationis?

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est, quod intentio, ut in præsenti sumitur, nihil aliud est, quam tendentia alicujus potentiæ in suum objectum, & præcipuè potentiæ intellectivæ; unde intentio dividitur in formalem, & obiectivam. Formalis est ipse actus intellectus tendens in obiectum. Obiectiva est, ipsum obiectum, in quod tendit. Tam obiectiva, quam formalis potest esse prima, vel secunda. Prima intentio formalis est actus intellectus tendens in obiectum, secundum esse, quod habet a parte rei, seu independenter a consideratione intellectus. Prima intentio obiectiva est res sic concepta: ut quando cognoscimus lapidem, v. g. hæc cognitio est prima intentio formalis, lapis cognitus est prima intentio obiectiva. Secunda intentio formalis est cognitio, qua cognoscuntur denominationes extrinsecæ remanentes in obiectis cognitis per primam intentionem formalem, ut sunt denominationes subiecti, prædicati, propositionis, &c. Secunda intentio obiectiva est quælibet ex prædictis denominationibus ut sic cognita. Hoc notato.

2 Dicimus: Prima, & secunda intentio formalis sunt entia realia; quod patet, quia sunt actus intellectus, & omnes actus intellectus sunt entia realia. Prima intentio obiectiva non est ens rationis, quando cognoscitur res ut est in se; ut quando cognoscimus lapidem secundum suũ esse, lapis cognitus non est ens rationis; & quando cognoscimus per judicium divisivum, negationem non esse aliquid positivum, negatio ut sic cognita non est ens rationis; si vero res cognosca-

gnoſcatur aliter ac eſt in ſe, tunc prima intentio obiectiva eſt ens rationis, ut quando cognoſcimus negationem ut quid poſitivum. Secunda intentio obiectiva eſt ens rationis, ſi concipiatur denominatio extrinſeca ſubiecti, prædicati, &c. ut quid intrinſecum in re denominata, quando vero per iudicium diviſivum cognoſcitur, non eſse quid intrinſecum in re denominata, non eſt ens rationis. Hęc concluſio patet ex ipſius terminis, niſi fortè aliter explicentur primę & ſecundæ intentiones, quod reducitur ad quęſtionem de nomine, & in tali caſu melius erit convenire cum aliis, quàm in re parvi momenti contendere vocibus.

3 Advertendum tamen eſt, quòd aliquando contingit, ſecundas intentiones obiectivas, materialiter ſumptas denominari ab aliis ſecundis intentionibus, & tunc tales ſecundæ intentiones denominatæ, ſecundum quid dicuntur primæ, ſcilicet, comparatione illarum, à quibus denominantur, & ſic non eſt neceſſarium multiplicare in nomine numerum intentionum; quod contingit in hac denominatione, v. gr. *Species eſt univerſalis*, ubi ſecunda intentio ſpeciei ſe habet tanquam prima, reſpectu ſecundæ intentionis univerſalis.

D I S P. II.

Proœmialis de Natura Logica.

POſtquam entis rationis naturam, & alia ad ipſum pertinentia declaravimus, facilius erit naturam Logicæ declarare, & alia pertinentia ad ipſam, quod præſtare intendimus in hac diſputatione. Sit ergo

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An, Quid, & Quotuplex sit Logica?

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est, juxta Aristot. 1. Rhetoric. cap. 1. logicam, vel esse naturalem, vel artificialem. Logica naturalis est, naturale lumen intellectus, quo quisque, etiam rusticus rudior, potest ratiocinare, seu aliquos discursus elicere. Logica artificialis est, multitudo præceptorum, & regularum, quibus instruitur Logica naturalis ad rectè, & sine errore procedendum in ratiocinatione, seu quibus regulatur ad benè, & ordinatè discurrendum.

2 Dicimus primò: datur in rerum natura utraque Logica. Hæc conclusio est tam communis, ut ferè à nullo negetur. Probatur prima pars: (licet ex se constet, & qui eam negaret, se intellectum habere negaret:) Logica naturalis est ipsemet intellectus potens propria virtute, & sine regulis aliquomodo discurrere, seu disserere: sed nullus negare potest, dari intellectum in rerum natura, qui sic valeat discurrere, nam nemo est, qui nesciat colligere sine aliqua regula, quòd Petrus moveatur ex eo quòd ambulet, & alia similia: ergo datur Logica naturalis in rerum natura.

3 Probatur secunda pars: quia habitus requiruntur ad facilitandum intellectum in cognitione rerum: sed disputare, seu disserere est difficilis modus cognoscendi res: ergo debet dari in intellectu habitus ad auferendam hanc difficultatem: sed hic habitus est Logica artificialis. ergo datur in rerum natura talis Logica. Confirmatur; nam experientia videmus, multos, qui difficile, & cum errore discurrebant, postquam instructi sunt præceptis, facile, & sine errore discurrere: sed hæc præcepta sunt Logicæ arti-

artificialis: ergo ad rectè, & sine errore discurrendum datur Logica artificialis.

4 Argues contra: operationes, seu potentię sensitivæ nullis regulis, seu præceptis indigent ad percipienda sua objecta: ergo neque intellectus; & consequenter non datur Logica artificialis. Respondetur negando paritatem; quia sensus, seu potentiæ sensitivæ facilè in suorum obiectorum cognitionē perveniunt; quia eorum modus cognoscendi est facilis, certus, & determinatus; at verò intellectus, cum magna difficultate naturas rerum speculatur, nam in hoc procedit modo difficili, scilicet, ex notis ignota indagando, quod sine magno labore, magnaque disciplina nequit facilè præstari.

5 Dicimus secundò pro secundo, quòd inquirit quæstio: Logica naturalis est naturalis facultas intellectiva, seu naturalis habilitas discurrendi. Logica artificialis est, quæ tradit præcepta, seu regulas ad rectè, & sine errore disputandum. Hæ descriptiones Logicæ, tam naturalis, quàm artificialis ab omnibus philosophis admittuntur; licet aliis verbis illis æquivalentibus ab antiquis tradantur, & sic in re tam clara ex ipsis terminis, nullatenus convenit amplius immorari.

6 Dicimus tertiò pro tertio, quod inquirit quæstio: Logica artificialis dividitur in docentem, & utentem: quæ divisio ab omnibus admittitur, & traditur à subtili Doctore quæst. 1. Universalium, §. *Dicendum*; & Præceptore Angelico 4. metaphysic. lect. 4. & sub aliis terminis traditur à Græcis; nam Logicam docentem vocant à rebus avulsam, & Logicam utentem in rebus concretam. Logica docens est, quæ tradit regulas ad conficiendos modos sciendi. Logica verò utens est exercitium conficiendi modos sciendi, juxta regulas traditas à Logica docente.

7 Tam Logica docens, quàm utens potest dici

dici actualis, vel habitualis. Logica docens actualis est actualiter tradere regulas & modos sciendi conficiendos; ut quando dicimus, v. gr. *Syllogismus debet constare tribus propositionibus, taliter dispositis*. Logica utens actualis est actualiter uti in exercitio prædictis regulis; ut quando, v. gr. actualiter conficimus hunc syllogismum; *Omnis homo est animal: Petrus est homo: ergo Petrus est animal*. Logica docens habitualis, est quædam facultas, quæ inest intellectui in actu primo, ipsum facilitans ad tradendas, seu contemplandas prædictas regulas. Logica utens habitualis, est quędam facultas, quæ inest intellectui in actu primo, ipsum facilitans ad usum ipsarum regularum. Desumpta est hæc divisio Logicæ ex similitudine artium; nam in artibus, v gr. in musica, duo possunt considerari, scilicet, doctrina, & regulæ, quibus instruitur artifex, & dicitur musica docens; & exercitium talis doctrinæ, seu regularum, ut quando actualiter pulsat citharam, & dicitur musica utens.

8 Hic solet dubitari, an hæc divisio Logicę docentis, & utentis sit secundum omnes partes Logicæ? Hoc est, an logica sit docens, & utens, tam in parte demonstrativa, quam in parte topica, & sophistica? Respondetur primò, quod logica, secundum omnes suas partes, est docens: quod patet, quia non solum docet conficere demonstrationem, sed etiam syllogismum probabilem, & sophisticum: ergo secundum omnes suas partes logica est docens. Hoc communiter admittitur ab omnibus, & solum est difficultas, an sicut logica est docens secundum omnes suas partes, ita secundum omnes suas partes sit utens? Communior sententia tenet, Logicam esse utentem secundum omnes suas partes, quam tenet Scotus quæst. 1. & 2. Elenc. contra aliquos (citatos à Mastrio, & Merinero hìc) asserentes, logicam non esse utentem in par-

parte demonstrativa, sed solum in parte topica, & sophistica.

9 Respondetur: ergo secundò ad dubium, juxta sententiam communem; Logica non solum secundum partem topicam, & sophisticam, sed etiam secundum partem demonstrativam, dicitur utens. Probatur: nam ex eo Logica dicitur docens secundum omnes suas partes, quia non solum docet, quomodo conficiendi sint syllogismi topici, & sophistici, sed etiam docet, quomodo construendi sunt syllogismi demonstrativi: sed omnibus regulis Logicæ docentis utimur ad conficiendos syllogismos, tam topicos, & sophisticos, quàm demonstrativos, tam in materia ipsius Logicæ, quàm in materia aliarum scientiarum; nam tam Logica, quàm alia scientia habet conclusiones probabiles, & scientificas, & in Logica, & qualibet alia scientia possunt confici syllogismi sophistici, seu apparentes, ut passim evenit: ergo Logica dicitur utens, tam in parte topica, & sophistica, quàm in parte demonstrativa.

10 Arguunt contra Authores oppositæ sententiæ: Si Logica haberet usum partis demonstrativæ, vel esset in materia necessaria aliarum scientiarum, vel in materia necessaria propria: sed nequit talem usum habere in aliqua ex prædictis materiis: ergo in nulla materia datur usus Logicæ, respectu partis demonstrativæ. Probatur prima pars minoris: quia in materia necessaria Physicæ, v. gr. ipsa Physica utitur Logica ad suas demonstrationes eliciendas: ergo tunc non datur Logica utens. Probatur secunda pars minoris: quia usus Logicæ debet esse distinctus ab ipsa doctrina, ita ut Logica per ipsum usum non doceat formaliter: sed demonstrationes, quæ fiunt in ipsa materia necessaria Logicæ, non distinguuntur ab ipsa doctrina Logicali: ergo non datur Logica utens in parte demonstrativa in ipsa materia necessaria Logicæ.

11 Respondetur negando minorem, & ad primam probationem dicimus, quòd in materia necessaria aliarum scientiarum, quando conficitur aliqua demonstratio, concurrit habitus scientificus talis materiæ elicitivè, & habitus Logicæ directivè. Sic respondet Merinerus disp.procœmial.Logicæ quæst.2.sect.1. Aliter respondet Mastrius quæst. procem. Logicæ. Art. 2. quod in materia necessaria aliarum scientiarum, quando conficitur aliqua demonstratio, concurrit elicitivè habitus scientificus cujuscumque scientiæ, in qua fit demonstratio, quoad substantiam actus pro materiali sumpti; habitus verò Logicę concurrit etiam elicitivè quoad modum ipsius actus, id est, quoad dispositionem, & formam syllogisticam, quæ in tali materia exercetur. De hoc alibi.

12 Ad secundam probationem minoris, respondetur, verum esse, usum Logicæ debere esse distinctum à doctrina Logicali; falsum autem; usum in materia necessaria Logicę non distingui ab ipsa doctrina Logicali; nam doctrina Logicalis, per quam formaliter docemur, nec consistit in constructione demonstrationis, seu in actuali usu, & exercitio; sed in assensu causato per ipsam demonstrationem. Sic respondet Merinerus ubi supra. Aliter respondet Mastrius citatus, negando, quod quando fit aliqua demonstratio in materia necessaria Logicæ, usus non distinguatur à doctrina Logicali; quia Logica ut utens est habitus operativus conficiens demonstrationem, per quem non docemur formaliter, sed præcisè operamur. Sed ex dicendis quæstionibus sequentibus potest deduci, quæ solutiones ex prædictis tenendę sint, & fortè alia solutio poterit deduci.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Utrùm Logica docens, & utens distinguantur?

1 PRo intelligentia quęstionis notandum est, quod habitus logicæ utentis diversimodè solet explicari; nam aliqui dicunt, quod Logica debet sumi in ablativo, ita ut quilibet habitus cuiuslibet scientiæ, & etiam ipsius Logicæ docentis, quando ad suas conclusiones demonstrandas utitur propriis regulis, dicatur Logica utens, seu habitus utens Logica. Alii autem dicunt, & est communior modus dicendi, quod habitus Logicæ utentis dicitur Logica utens, sumpta Logica in nominativo, ita ut sit habitus Logicæ utens regulis ipsius Logicæ, tam in materia propria, quàm in materia aliarum scientiarum.

2 Notandum est etiam, quod si Logica utens sumatur in primo sensu, certum est; quod Logica utens, quando usus est in aliis materiis, seu scientiis, distinguitur realiter à Logica docente; quod patet, quia quælibet alia scientia realiter distinguitur à Logica docente, sed in prędicto sensu quęlibet alia scientia dicitur Logica utens; ergo in tali sensu Logica utens distinguitur à Logica docente. Quando autem usus Logicæ est in ipsa materia Logicæ, in prædicto sensu Logica utens non distinguitur realiter à Logica docente, quod patet, quia tunc ipsa Logica docens utitur propriis regulis ad eliciendas suas conclusiones, & consequenter dicitur Logica utens, sumpta Logica in ablativo. Unde difficultas solum est, an, præter habitum Logicæ docentis, qui tradit regulas ad conficiendos modos sciendi in qualibet materia, detur alius habitus Logicæ, qui prædictas regulas applicet in quacumque materia, & realiter ab habi-

tu Logicæ docentis distinguatur? Quæ difficultas etiam solet examinari circa actus Logicæ docentis, & utentis.

3 Circa actus Logicæ docentis, & utentis communiter tenent omnes Philosophi contra Martinium, prædictos actus realiter distingui, quod sic probant; quia actus Logicæ docentis est actualis consideratio, & traditio regularum in ordine ad conficiendum modum sciendi; actus verò Logicæ utentis est actualis constructio ipsius modi sciendi, juxta prædictas regulas; sed certum est, hos actus realiter distingui, siquidem unus potest esse sine alio, quod est maximum signum distinctionis realis; ergo actus Logicæ docentis, & utentis realiter distinguuntur.

4 Fundamentum autem Martinii, consistit in hoc, quòd Logicus eodem dictamine, quo cognoscit, quomodo sit conficiendus syllogismus generaliter, ipsum particulariter conficit; ergo non indiget alio dictamine particulari, quo hoc in particulari cognoscat: ergo idem est actus Logicæ docentis, & utentis. Ad quod communiter respondetur negando ultimam consequentiam: nam ex argumento solum sequitur, non requiri duplicem actum Logicę docentis, unum, quo in generali cognoscat Logicus, quomodo sit fabricandus modus sciendi in generali; & alium, quo cognoscat, quomodo sit fabricandus modus sciendi in particulari, quod verum est; nullatenus tamen sequitur, non dari alium actum, qui sit Logicæ utentis, quo actualiter fabricetur modus sciendi, distinctum ab illo dictamine generali; quia, ut patet, potest dari tale dictamen, absque eo quòd actualiter construatur modus sciendi, quod evidenter denotat distinctionem realem inter prędictum dictamen quod est actus Logicæ docentis, & confectionem modi sciendi quæ est actus Logicæ utentis.

5 Circa habitus Logicæ docentis, & utentis ali-

aliqui tenent, esse habitus realiter distinctos Sic Mastrius quæst. procem. Logicæ articul. 1. ubi citat alios authores pro hac sententia. Alii autem affirmant, prædictos habitus nullatenus diversis muneribus tantum nomina docentis, & realiter distingui, sed esse unicum habitum; ex utentis participantem; nam dicitur Logica docens; quatenus tradit regulas ad modos sciendi conficiendos, & facilitat intellectum ad prædictas regulas tradendas, & considerandas, & dicitur Logica utens, quatenus utitur prædictis regulis in aliqua materia, & facilitat intellectum ad conficiendos prædictos modos sciendi. Sic Merinerus disput. procem. Logicæ quæst. 2. sect. 2. Pontius disp. 2. quæst. 6. Ubi citat plures Authores pro hac sententia, quam tenent etiam quamplures Scotistæ in manuscriptis, & videtur esse Scoti quæst. 1. universalium, ubi distinguit Logicam docentem, & utentem ex diversa tantum consideratione, estque communis inter Thomistas, & Jesuitas.

6 Pro hac secunda sententia dicimus: habitus Logicæ docentis, & utentis non distinguuntur realiter. Probatur; quia ubi nulla urget necessitas, non sunt multiplicandæ entitates; sed nulla urget necessitas multiplicandi habitus logicæ docentis; & utentis; ergo non sunt ponendi duo habitus realiter distincti. Probatur minor: quia si esset aliqua necessitas, maximè ut per habitum logicæ utentis, distinctum ab habitu logicæ docentis, vinceretur aliqua difficultas; habitus enim acquisiti ad vincendas difficultates ponuntur: sed posito habitu logicæ docentis in intellectu, nulla remanet difficultas vincenda per habitum logicæ utentis: ergo nulla est necessitas multiplicandi prædictos habitus.

7 Minor, in qua potest esse difficultas, sic ostenditur; omnis difficultas vincenda per habitum, & ex triplici capite potest provenire, scilicet, vel ex ignorantia præceptorum, vel ex

in dispositione potentiæ exequentis præcepta, vel ex defectu materiæ: sed qui habet habitum Logicæ docentis, nullam habet ex prædictis difficultatibus; nam in primis, non habet ignorantiam præceptorum, supponitur enim ea cognoscere per habitum Logicæ docentis: deinde, non habet indispositionem potentiæ, nam in Logica eadem est potentia exequens; ac dirigens, & sic intellectus, qui non est indispositus ad dirigendum, non erit indispositus ad exequendum; denique, neque habet defectum materiæ, siquidem materia Logicæ docentis, & utentis, non est diversa; quia Logica docens versatur circa instrumenta Logicalia, tradendo regulas ad ipsa conficienda, & Logica utens respicit eadem instrumenta, ut exequenda: ergo qui habet habitum Logicæ docentis, nullam habet difficultatem vincendam per habitum Logicæ utentis, & consequenter nulla est necessitas ponendi habitum Logicæ utentis, distinctum ab habitu Logicæ docentis.

8 Confirmatur; quia habitus Logicæ utentis est, qui inclinat ad conficiendum modum sciendi; sed habitus Logicæ docentis eodem modo inclinat ad conficiendum modum sciendi; ergo habitus Logicæ docentis, & utentis nullatenus realiter distinguuntur. Probatur minor: quia impossibile videtur eum, quia cognoscit, quomodo modus sciendi sit conficiendus, non facilitari ad ipsum conficiendum; ergo habitus Logicæ docentis, per quem hoc cognoscitur, facilitat, seu inclinat ad conficiendum modum sciendi, & consequenter non distinguitur realiter ab habitu Logicæ utentis.

9 Arguunt 1. in aliis artibus, v.gr. in arte pingendi dantur duo habitus, alter docens præcepta illius artis, & alter utens, seu juvans potentiam ad illa præcepta exequenda; ergo similiter dicendum est in Logica. Respondetur negando consequentiam; & paritatem. Ratio est,

quia in arte pictoria, v. gr. datur duplex potentia, altera, quæ cognoscit regulas requisitas ad pingendum, & altera, quæ prædictas regulas ponit in exercitio, & sic in hac duplici potentia duplex habitus est ponendus; quia in qualibet est diversa difficultas, at verò in Logica hoc non contingit, quia eadem est potentia, quæ cognoscit, quomodo construendus sit modus sciendi, & quæ ipsum in exercitio construit, nec habet aliquam difficultatem in confectione modi sciendi, quando cognoscit, quomodo debeat fieri, & si quando aliqua remanet difficultas, hæc provenit ex defectu materiæ, si modus sciendi construatur in materia distincta ab ipsa Logica, quæ difficultas non ab habitu Logicæ, sed ab habitu correspondente prędictę materiæ, auferri debet. Ubi generaliter observandum est, quod non ex eo præcisè, quod doctrina, & executio alicuius artis sit in diversa potentia, ponuntur duo habitus, alter docens, & alter utens sed ex eo, quod in qualibet potentia est diversa difficultas; si autem posito habitu docente artis in potentia, non remaneret difficultas in executione, non poneretur habitus utens in potentia executivè distinctus ab habitu docente; similiter, non ex eo, quod potentia, in qua ponitur Logica, sit unica, scilicet intellectu, ponitur unicus habitus, qui sit, docens, & utens, sed ex eo, quod posito habitu docente, nulla remanet difficultas in executione, præter illam, quæ potest provenire ratione materiæ extraneæ, ad quam difficultatem vincendam ponatur alius habitus Logicæ, qui dicatur utens, si autem talis difficultas remaneret, poneretur habitus distinctus, licet esset unica potentia.

10 Arguunt 2. & hoc argumentum est Achilles oppositæ sententiæ; habitus Logicæ docentis potest intendi realiter, non intenso habitu Logicæ utentis; ergo sunt habitus realiter distincti. Consequentia tenet, quia, quod in-

tenditur est ipsa entitas Physica habitus; ergo si prædicti habitus essent idem realiter, non posset unus intendi, quin alius intenderetur. Antecedens probatur; quia habitus intenditur per suos actus; sed possunt dari actus Logicæ docentis sine actibus Logicæ utentis; ergo per repetitionem illorum actuum, intenditur habitus Logicæ docentis, non intenso habitu Logicæ utentis. Respondetur negando antecedēs, & consequentiam probationis, verum enim est, quod quilibet habitus intenditur per suos actus, & quod potest dari actus Logicæ docentis sine actu Logicæ utentis, ex quo tantum probatur, quod tales actus realiter distinguuntur, non tamen quòd non intendatur habitus Logicæ, tam ut docentis, quam ut utentis, per repetitionem prædictorum actuum Logicæ ut docentis, quia, cùm intensio habitus nihil aliud sit, quam intensio facilitatis; per repetitionem prędictorum actuum, sicut facilitatur intellectus ad cognoscendos modos sciendi, facilitatur etiam ad illos conficiendos, ut supra dictum est, & ita actus Logicæ ut docentis, etiam sunt actus Logicæ ut utentis, in quantum ad intendendum habitum, tam ut docentem, quam ut utentem, licet producantur ab habitu Logicę ut docente.

11 Arg. contra: Potest aliquis cognoscere, quomodo syllogismus, v.g. in aliquo modo sit conficiendus, & simul habere difficultatem ad illum conficiendum: ergo neque per actus Logicæ docentis, neque per habitum ipsius Logicæ docentis facilitatur intellectus ad conficiendum syllogismum; & consequenter ponendus est habitus Logicæ utentis realiter distinctus ab illo, per quem ponatur facilitas ad conficiendum syllogismum. Antecedens non aliunde probant, quam experientia tyronum, qui optimè regulas Logicæ docentis sciunt, & habent maximam difficultatem in conficiendo syllogismum. Resp. neg. antec. & illius probationem; nulla enim expe-

experientia hoc demonstrat in tyronibus; si autem illi aliquando, postquam cognoscunt, quomodo sit conficiendus syllogismus, sentiunt difficultatem in eo conficiendo, hoc provenit, vel ex defectu cognitionis materiæ, in qua volunt syllogismum conficere, vel ex eo quòd non perfectè cognoscant, quomodo syllogismus sit conficiendus: quamvis enim benè sciant regulas memoriter, secundum quas confici debet syllogismus; sæpè tamen contingit, ut non benè illas intelligant, & sic sentiunt difficultatem in ipso syllogismo conficiendo, quæ difficultas non aufertur per habitum Logicæ utentis distinctum ab habitu Logicæ docentis, sed per habitum, qui generatur ex cognitione materiæ, in qua intendunt conficere syllogismum, vel ex majori cognitione regularum, quòd pertinet ad Logicam docentem.

12 Arg. 3. per oppositum ad argumentum præcedens: per actus Logicæ utentis non augetur habitus Logicæ docentis: ergo non sunt idem habitus. Probatur antecedens: quia ex eo quòd aliquis frequēter conficiat syllogismum in *Barbara*, non magis facilitatur ad cognoscendum, quomodo debeat fieri, quàm si non tam frequenter ipsum conficeret: ergo per actus Logicę utentis non augetur habitus Logicæ docentis. Deinde per repetitionem talis actus acquiritur facilitas conficiendi syllogismum in *Barbara*: ergo intenditur habitus Logicæ utentis, non intenso habitu Logicæ docentis; & consequenter ex omni capite realiter distinguuntur prędicti habitus. Respondent aliqui negando consequentiam, quia licet verum sit, quòd per actus Logicæ utentis circa materias extraneas, non augeatur habitus Logicæ docentis; non ex hoc sequitur, quòd habitus Logicæ docentis, & utentis realiter distinguantur; sed solum sequitur, quòd habitus non augeatur per actus elicitos ab illo in externa materia, quod verum est; nam habitus

solum intenditur ex frequenti exercitio actus in propria materia.

13 Alii autem respondent negando etiam consequentiam, quia habitus solum intenditur per actus elicitos ab ipso, non vero per actus regulatos ab illo, & elicitos ab alio habitu; unde non intenditur habitus Logicæ docentis per actus Logicæ utentis, qui fiunt in aliena materia, quia licet tales actus dirigantur a Logica, non tamen ab ipsa eliciuntur: sed ab illa scientia, in cuius materia fiunt. Sic communiter respondent Scotistæ; quæ autem ex his responsionibus sit tenenda, constabit ex quæstione sequenti.

14 Quando autem dicunt, quod ex repetitione prædictorum actuum intenditur habitus Logicæ utentis, nam acquiritur facilitas conficiendi syllogismum; respondetur, hoc esse verum materialiter, non vero formaliter in linea Logicæ, unde negatur, quod ex hoc inferatur distinctio inter habitus Logicæ docentis, & utentis. Etenim, verum est, quod ex repetitione confectionis syllogismi in aliqua materia, v. g. in Physica, acquirit intellectus facilitatem conficiendi syllogismum in prædicta materia, quam falicitatem antea non habebat, solum propter defectum cognitionis materiæ; non autem propter defectum alicuius habitus Logicalis; unde facultas, quæ acquiritur non est habitus Logicalis, sed habitus illius scientiæ, in cuius materia syllogismus exercetur, defectu cuius habitus, experiebatur intellectus difficultatem in conficiendo syllogismo in illius materia; quod ex eo patet, quia si aliquis sine confectione alicuius syllogismi in materia Physicæ, haberet sufficientem notitiam ipsius materiæ physicæ, & similiter notitiam regularum Logicæ, sine aliqua difficultate conficeret syllogismos in Physica.

15 Arguunt contra: potest contingere, quod ali-

aliquis conficiat unum syllogismum in *Barbara* in una materia,& alios syllogismos in aliis materiis,& sic facilitetur ad conficiendum syllogismum in *Barbara*; sed hæc facilitas non proveniret ab aliquo habitu materiali, quia per prædictos syllogismos, cum fiant in diversiis materiis, non acquiritur habitus alicuius materiæ: ergo per aliquem habitum Logicæ, qui dicatur Logica utens, distinctus ab habitu Logicæ docentis, quia jam præsupponitur. Respondetur (quidquid alii dicant) distinguendo maiorem; acquireret facilitatem eandem, quam acquireret si conficeret omnes prædictos syllogismos iu unica materia, nego; acquireret aliquam facilitatem in qualibet materia, eo modo, quo potest acquiri per unicum actum, concedo. Similiter distinguo minorem; hæc facilitas non proveniret ab aliquo habitu, qui acquireretur ex omnibus prædictis materiis, concedo; non acquireretur ab aliquo habitu, qui aliquo modo acquireretur in qualibet materia per unicum actum illi correspondentem, nego; & nego consequentiam. Ubi observa, quod si aliquando experiatur, aliquem habere aliquam facilitatem in conficiendi syllogismis in aliqua materia, cuius habitum non habet, ex eo quod illos confecit in alia materia, cuius habitum habet, hæc non est formaliter facilitas, quæ proveniat illi ab aliquo habitu Logicæ, vel alterius materiæ; sed quædam expeditio, seu agilitas ad intelligendam aliquam materiam ex eo quod alias materias intellexit; quam expeditionem nō habet, qui adhuc nullā intellexit materiam; certum enim est, quod exercitium intellectus circa unam materiam, reddit ipsum expeditum ad intelligentiam alterius materiæ.

16 Arguunt 4. Actus Logicæ docentis, & utentis sunt diversæ rationis; ergo debent provenire a diversis habitibus, patet consequentia, nam habitus specificantur ab actibus; ergo ex actibus diversæ rationis benè inferuntur ha-

bitus diversæ rationis. Respondetur distinguendo antecedens, actus Logicæ docentis, & utentis sunt diversæ rationis, & alias non sunt subordinati, nego; & alias sunt subordinati, concedo, & nego consequentiam; cuius probationis distinguo antecedens: habitus specificantur ab actibus, non subordinatis, concedo; ab actibus subordinatis, nego. Etenim actus specie distincti possunt provenire ab unico habitu, quando sunt subordinati, & respiciunt idem obiectum formale, ut contingit in actibus *Logicæ* docentis, & utentis, nam actus Logicæ utentis semper supponit actum Logicæ docentis, & respiciunt idem obiectum formale. Vel secundo respondetur, quod actus diversæ rationis, quorum unus provenit ab habitu elicitivè, & alter regulativè, possunt ab eodemmet habitu provenire, quod contingit in præsenti, nam actus Logicæ docentis elicitivè, actus vero Logicæ utentis, directivè, seu regulativè provenit ab habitu Logicali.

17 Arguunt 5. Logica docens, & utens se habent, respectu operationum intellectus, sicut Philosophia moralis, & Prudentia, respectu operationum voluntatis; nam sicut Logica docens dat præcepta in communi ad dirigendas operationes intellectus, & Logica utens applicat tales regulas cuilibet materiæ in particulari, conficiendo in illa syllogismum; ita Philosophia moralis dat regulas in communi ad dirigendas operationes voluntatis, & Prudentia applicat tales regulas cuilibet materiæ in particulari, ut hic, & nunc voluntas rectè operetur: sed habitus Philosophiæ moralis, & Prudentiæ realiter distinguuntur; ergo similiter habitus Logicæ docentis, & utentis.

18 Resp. neg. conf. & paritat. quia licet Philosophia moralis, & Prudentia conveniant cum Logica docente, & utente, ut dicitur in argum. differunt tamen in hoc, quod posito habitu

Lo-

Logicæ docentis, & notitia materiæ, in qua conficiendus eſt ſyllogiſmus, nulla remanet difficultas ad illum in tali materia conficiendum, unde nullus alius habitus requiritur; at verò poſito habitu Philoſophiæ moralis inclinante, & tradente regulas ab bene operandum, & cognita materia, circa quam exercenda eſt operatio, adhuc remanet difficultas ad hic, & nunc benè operandum, ad quam vincendam ponitur habitus Prudentiæ diſtinctus ab habitu Philoſophiæ moralis; quod patet hoc exemplo; virtus moralis liberalitatis, v.g. facilitat voluntatem ad dandam eleemoſynam, & tamen remanet difficultas, cui & quomodo elargienda ſit; nam poteſt conferri non idigenti, & cum diſpendio bonorum, & cum præjudicio familiæ, & in tali caſu eleemoſynam tribuens non diceretur liberalis, ſed prodigus; ad quas difficultates vincendas, propter habitum liberalitatis, requiritur habitus Prudentiæ, qui dictat, quomodo hic, & nunc, & cui ſit eleemoſyna elargienda.

QUÆSTIO III.

Quomodo concurrat Logica ad actus aliarum ſcientiarum?

1 HÆc quæſtio ſolum habet locum in ſententia tenente, habitus acquiſitos efficienter concurrere ad ſuos actus; non autem in ſententia negante talem concurſum; utramq; ſẽtentiam, ut probabilem proponit Scotus in 1. diſt. 17. q. 2. per totam. Quæ difficultas examinatur in materia de habitibus in Theologia: ex ſuppoſitione autem ſententiæ concedentis, concurſum activum habitibus, reſpectu ſuorum actuum inquirimus, an habitus logicæ concurrat activè, ſeu elicitivè ad actus aliarum ſcientiarum, qui fiunt juxta regulas ipſius logicæ: an vero ſolum concurrat regulativè, ſeu directivè?

Cir-

2 Circa quam difficultatem communior sententia, tam inter Thomistas, & Jesuitas, quam inter Scotistas, præcipuè inter illos, qui tenent, habitus Logicæ docentis, & utentis non distingui realiter, tenet, Logicam solum directivè, seu regulativè concurrere ad actus aliarum scientiarum, licet aliqui, præcipuè, qui asserunt, habitum Logicæ docentis distingui ab habitu Logicæ utentis, teneant, Logicam, etiam efficienter concurrere ad actus aliarum scientiarum. Aliqui autem Scotistæ, qui tenent, habitus Logicæ docentis, & utentis non distingui realiter, tenent etiam, Logicam concurrere elicitivè ad actus aliarum scientiarum, & tamen ad argumentum tertium quæstionis antecedentis, ut respondeat, recurrunt ad distinctionem actus eliciti, & regulati, & ut hoc cum sua sententia conferant, dicunt, activitatem, seu efficientiam Logicæ circa actus aliarum scientiarum nihil aliud esse, quam dirigere, seu regulare tales actus, quod ut ex se patet, est impropria acceptio terminorum, nam ut sic, nullus est, qui neget, Logicam concurrere efficienter ad prædictos actus, & sic penitus cessarent controversiæ. In legitimo autem sensu.

3 Dicimus; Logica solum directivè, seu regulativè concurrit ad actus aliarum scientiarum, non verò elicitivè, seu effectivè. Probatur, quia nullus habitus concurrit efficienter, nisi ad actus proprios similes illis, a quibus generatus fuit, vel potuit generari; sed actus aliarum scientiarum non sunt actus proprii Logicæ, neque ab illis fuit generata Logica, nec potuit generari; ergo Logica non concurrit efficienter ad illos. Probatur minor, quia proprius actus Logicæ est actualis consideratio suarum regularum; sed actus aliarum scientiarum facti juxta regulas Logicæ, non sunt consideratio actualis regularum, licet illam præsup-

supponant; ergo non sunt proprii actus Logicæ.

4 Respondent, hoc solum probare, prædictos actus non esse logicæ, ut docentis, non tamen probare, non esse Logicæ, ut utentis, & sic, licet logica, ut docens, non concurrat ad prædictos actus effectivè, concurrit tamen, ut utens. Sed contra est: quia non negamus, prædictos actus esse logicæ ut utentis; affirmamus tamen, ad actus Logicæ ut utentis non concurrere elicitivè Logicam, & in hoc est tota controversia, quod ex eo probatur, quia actus Logicæ, ut utentis nihil aliud est, quam exercitium regularum Logicæ docentis: sed potest dari tale exercitium, absque eo quod Logica concurrat elicitivè ad illud; ergo non est ponendus talis concursus Logicæ. Probatur minor a simili de aliis artibus; quia ars solum directivè concurrit ad opus artefactum; ergo similiter Logica solum directivè concurrit ad syllogismum, quod est artefactum. Probatur antecedens, quia ars domifactoria, v. g. non producit, seu non concurrit efficienter ad fabricandam domum ad extra physicè, sed solum dirigit artificem, ut domum ædificet; ergo ars solum directivè concurrit ad artefactum, & consequenter Logica solum directivè, & non elicitivè concurrit ad syllogismum, seu ad exercitium suarum regularum.

5 Respondent negando paritatem; nam aliæ artes non concurrunt efficienter, sed tantum regulativè, quia sunt in diversa potentia, Logica autem est in eadem potentia executiva, scilicet in intellectu. Sed contra est; quia, ex eo quod Logica sit in eadem potentia, quæ est executiva suarum regularum in quacumque materia, nullatenus sequitur, quod concurrat elicitivè ad actus aliarum scientiarum; ergo non tenet solutio. Probatur antecedens; nam intellectus directus a Logica, majorem facilitatem ha-

habet ad exequendum syllogismum, quam potentiæ externæ artificis directæ ab arte ad exequenda artefacta: ergo si tales potentiæ efficiunt suos actus sine concursu activo artis, etiam intellectus sine concursu activo logicæ, efficiet syllogismos in materia aliarum scientiarum.

6 Quòd potest confirmari à simili de Prudentia, quia sicut se habet Prudentia in acquisitione virtutum, ita se habet Logica in acquisitione aliarum scientiarum: sed Prudentia se habet purè regulativè in actibus elicitis aliarum virtutum: ergo Logica se habet purè regulativè in actibus elicitis aliarum scientiarum. Consequentia videtur tenere à paritate, minor est communior consensus; major autem ex eo patet, quia sicut Prudentia docet debitè operari in materia virtutum moralium, ita Logica docet debitè operari in materia aliarum scientiarum.

7 Arguunt 1. habitus concurrit ad suos actus efficienter; nam tribuitur potentiæ, ut illam adjuvet, & facilitet: sed in actibus aliarum scientiarum reperitur artificium logicum, quod est actus logicæ: ergo logica concurrit efficienter ad prædictos actus. Respondetur distinguendo majorem; habitus concurrit efficienter ad suos actus in propria materia, concedo; in aliena materia, nego. Et concessa minori, nego consequentiam. Quando autem dicitur, quòd habitus adjuvat, & facilitat potentiam, est verum, sed de habitu Logicæ hoc modo debet intelligi, quod circa propriam materiam facilitat, & adiuvat potentiam in genere causæ efficientis; quia simul cum potentia elicit suos actus; at vero circa alias materias facilitat, & adjuvat potentiam purè directivè, seu regulativè; efficienter autem potentia, & habitus illius materiæ eliciunt actum: quia cùm forma syllogistica sit modus talis actus, efficientia talis modi pertinet ad potentiam, & habitum

quæ

quæ producunt actum quoad substantiam.

8 Arguunt 2. habitus supernaturales concurrunt cum potentia in genere causæ efficientis ad actus supernaturales: ergo Logica concurrit efficienter simul cum potentia ad actus logicè dispositos. Respondetur distinguendo consequens: est enim verum in propria materia, & in hoc tenet paritas; nam habitus supernaturales solum concurrunt efficienter ad actus supernaturales in materia propria, habitus enim supernaturalis fidei, ver. gr. solum concurrit ad actus supernaturales fidei, & non ad actus aliarum virtutum; falsum autem est consequens in extranea materia, & illud constat disparitas inter habitus supernaturales, & habitum logicæ, quod illi tantum concurrunt ad actus propriæ materiæ, habitus verò logicæ etiam ad actus aliarum scientiarum, licèt tantum regulativè.

9 Arguunt 3. Logica dicitur scientia communis. sed hoc non haberet, nisi efficienter concurreret ad actus aliarum scientiarum: ergo concurrit efficienter ad illos. Respondetur negando minorem; nam ad hoc, ut logica dicatur scientia communis, sufficit, quod concurrat directivè, seu regulativè ad actus aliarum scientiarum; sicut sufficit, quod Prudentia regulativè tantum concurrat ad actus aliarum virtutum moralium, ut dicatur virtus communis.

10 Ex dictis colligitur primò, quod responsio tradita à Merinero ad argumentum positum 1. quæst. hujus disp. num. 10. contra illud, quod diximus, scilicet, quod Logica etiam dicitur utens in parte demonstrativa, tenenda est. Igitur in materia necessaria aliarum scientiarum concurrit Logica directivè, seu regulativa, & aliæ scientiæ elicitivè; at verò in materia necessaria propria concurrit elicitivè, & regulativè; ex quo non sequitur, qu d usus actualis non distinguatur ab actuali doctrina,

nam

nam, ut benè advertit Merinerus, non docemur formaliter per usum regularum, sed per assensum conclusionis, qui quidem valde diversus est ab usu.

11 Exemplo res fiet manifesta, nam quando conficimus hanc demonstrationem, v. gr. in materia necessaria Logicæ; *Syllogismus constans propositionibus evidentibus; generat scientiam: sed demonstratio est syllogismus constans propositionibus evidentibus; ergo demonstratio generat scientiam*, non docemur formaliter per ipsam demonstrationem, quæ est usus regularum Logicæ, sed per assensum conclusionis; demonstratio autem tantum est medium, ut scientificè conclusioni assentiamur; quod autem propositiones talis demonstrationis, etiam sint actus docentes, sed doctrina logicalis, per accidens se habet, & non est de ratione formali usus, quod patet, & quia quęlibet propositio seorsim, absque eo quod disponeretur in forma talis usus, esset docens, & sic ratio docendi non est ipsa ratio usus, & quia usus formaliter potest dari, absque eò quod constet propositionibus docentibus logicalibus, ut patet in hac demonstratione; *Omnis homo esse animal rationale; Petrus est homo; ergo Petrus est animal rationale*. Unde resolvitur, quod in quacumque materia usus Logicæ semper habet diversam rationem ab ipsa doctrina Logicali.

12 Colligitur secundò, quod etiam tenenda est secunda responsio ad 3. argum. quæst. antecedentis, adducta num. 13. in qua dicitur, quod habitus Logicalis solum intenditur per actus ab ipso elicitos; non verò per actus ab ipso tantum directos, seu regulatos.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Utrùm Logica sit Scientia?

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est primo, cum Scoto in 3. dist. 24. §. Ad quæstionem igitur, litt. D. quod scientia dupliciter potest sumi. Primò, pro quacunique cognitione vera, seu notitia cum firma adhæsione; in quo sensu videtur sumpsisse Aristot. scientiam 6. Et hic. dum dixit, quod habitibus intellectualibus dicit aliquis determinatè verum, & assentit uni parti, sicut aliquis assentiret conclusioni demonstratæ, licet hoc non fiat ex causis eiusdem, seu cum evidentia necessaria, ut advertit ipse Scotus. Secundò, potest sumi scientia pro cognitione habente quatuor sequentes conditiones. Prima, quòd sit certa, & absque ulla dubitatione. Secunda, quod sit de objecto necessario. Tertia, quod sit causata per præmissas evidentes, quod ut advertit Scotus citatus, sub litt. H. ita debet intelligi, quod præmissæ sint evidentes illi intellectui, qui habet scientiam. Quarta, quod tales præmissæ applicentur per demonstrationem, in quo sensu sumpsit scientiam Arist. dum 1. Post. dixit; *Tunc scire opinamur unumquodque simpliciter, & non sophistico modo; qui est secundum accidens, cum causam arbitramur cognoscere, & quia illius est causa*. Et in hoc sensu sumitur scientia in præsenti, quando inquirimus; utrùm Logica sit scientia?

2 Secundò notandum est, quod scientia, vel est actualis, vel habitualis, & utraque, distributione accommoda sic definitur; *Scientia est actus, vel habitus certus, & evidens, rei necessaria, per demonstrationem acquisitus*. Quæ definitio includit quatuor supradictas conditiones, & deducitur ex Arist. citato, & ab omnibus

bus Philosophis admittitur, & sic explicatur. Dicitur *actus, vel habitus*, quod ponitur loco generis, in quo convenit scientia cum aliis cognitionibus. Cæteræ particulæ ponuntur loco differentiæ: nam dicitur, *certus*, in quo differt scientia ab opinione, quæ non est certa, sed formidolosa. Dicitur *evidens*, in quo differt à fide, quæ licèt sit certa, non est evidens, sed obscura. Dicitur, *rei necessariæ*, in quo differt à Prudentia, & arte, quæ non circa necessaria, sed circa contingentia versantur. Dicitur, *per demonstrationem acquisitus*, in quo differt ab habitu, & actu primorum principiorum, qui non habentur per demonstrationem. Unde patet bonitas prædictæ definitionis. His notatis.

3 Circa præsentem difficultatem plures sunt sententiæ. Prima asserit, logicam, neque ut docentem, neque ut utentem esse scientiam, Secunda per oppositum tenet, logicam esse scientiam, tam ut docentem, quam ut utentem. Tertia asserit, logicam ut docentem esse scientiam; non verò ut utentem. Hæc est communior sententia inter recentiores; pro qua communiter citatur subtilis Doctor qu. 1. Universalium, & Angelicus Præceptor 4. Metaph. lect. 4. Pro his sententiis possunt videri plures Authores citati à recentioribus, & ex nostris, à Merinero disp. procem. logicæ quæst. 3. Præter has sententias, quamplures Scotistæ tenent, logicam esse scientiam; non tamen duplicativè, ut docentem. Quod potius est explicatio tertiæ sententiæ, quam nova sententia. Quid autem sit tenendum in hac varietate, per sequentes conclusiones proponemus.

4 Dicimus primò: Logica docens est scientia secundum omnes suas partes, si non sumitur reduplicativè ut docens. Probatur: quia scientia propriè sumpta, est cognitio certa, & evidens rei necessariæ, per demonstrationem causata: sed in logica dantur plures cognitiones

cer-

certæ, & evidentes rei necessariæ, per demonstrationem causatæ; ergo logica est scientia: Probatur minor, quoad omnes partes logicæ; nam in parte analytica habetur hæc notitia certa, & evidens, acquisita per demonstrationem; *Omnis syllogismus factus in Barbara: concludit necessariò*, conficiendo hanc demonstrationem; *Omnis syllogismus constans tribus propositionibus, taliter inter se dispositis, concludit necessariò; sed omnis syllogismus factus in Barbara constat tribus propositionibus taliter dispositis*; ergo *omnis syllogismus factus in barbara concludit necessariò* Deinde in parte topica habetur hæc cognitio certa, & evidens, rei necessariæ: *Syllogismus topicus generat opinionem*, per hanc demonstrationem, *Omnis syllogismus procedens ex probabilibus generat opinionem; sed syllogismus topicus procedit ex probabilibus*: ergo *generat opinionem*. Denique in parte sophistica habetur hæc notitia certa, & evidens, rei necessariæ: *Syllogismus sophisticus non concludit necessariò ex vi formæ*, per hanc demonstrationem, *Nullus syllogismus in quo sunt quatuor termini, vel mala dispositio præmissarum, concludit ex vi formæ. Sed hujusmodi est syllogismus sophisticus*; ergo *syllogismus sophisticus non concludit ex vi formæ*; ergo in omnibus partibus logicæ dantur veritates per demonstrationem acquisitæ; & consequenter logica secundum omnes suas partes est scientia.

5 Arguunt 1. Modus sciendi non est scientia; Sed Logica est modus sciendi; ergo logica non est scientia. Minor probatur ex Arist. 2. Metaphis. text. 15. Ubi dicit; *Absurdum est quærere scientiam, & modum sciendi*, ubi per modum sciendi intelligit logicam. Respondetur distinguendo majorem; modus sciendi objectivus non est scientia, concedo; modus sciendi directivus, nego. Distinguo etiam minorem; logica est modus sciendi directivus, concedo; & in hoc sensu appellat Arist. logicam, modum sciendi;

Logi-

Logica est modus sciendi obiectivus, nego, qui modus sciendi obiectivus potius est obiectum Logicæ, & nego consequentiam; quando autem Aristot. dicit, quod absurdum est quærere scientiam, & modum sciendi, sic debet intelligi, quòd absurdum est quærere Logicam, quæ est modus sciendi directivus, & simul alias scientias; quia Logica semper debet præsupponi ad alias scientias, tanquam ianua ad illas acquirendas.

6 Arguunt 2. Scientia debet versari circa materiam determinatam; sed Logica non versatur circa materiam determinatam, quippè divagatur per materias omnium scientiarum; ergo Logica non est scientia. Respondetur distinguendo minorem; Logica non versatur circa materiam determinatam, remotam, concedo; proximam nego, & nego consequentiam. Sufficit ad scientiam, quod versetur circa materiam determinatam proximam, quod habet logica; nam agit de obiecto determinato, scilicet, syllogismo, vel modo sciendi, ut suo loco dicemus; licèt alias se extendat ad plures alias materias remotas, ut sunt materiæ scientiarum, ad quas se extendit Logica, quod est peculiare illius, eo quod sit modus sciendi directivus.

7 Arguunt 3. Logicæ non conveniunt conditiones scientiæ; ergo non est scientia. Probatur antecedens, quia Logica non est de obiecto necessariò; nam syllogismus non est necessarius, sed contingens. Deinde, Logica non acquiritur per demonstrationem; quod probatur; quia Logica docet conficere demonstrationem; ergo ante Logicam non præsupponitur demonstratio per quam acquiratur; ergo non acquiritur per demonstrationem; ergo Logicæ non conveniunt conditiones requisitæ ad scientiam.

8 Respondetur negando antecedens, & ad pri-

primam probationem respondetur illam distinguendo; Logica non agit de objecto necessario, quoad existentiam, concedo; quoad essentiam, seu quoad veritatem, & connexionem praedicatorum, nego; syllogismus enim, seu modus sciendi, qui ponitur pro objecto Logicae, est contingens quoad existentiam, quod etiam contingit in omnibus obiectis creatis cuiuscumque scientiae; at verò quoad essentiam, seu connexionem praedicatorum, & illorum veritatem, tam necessarius est, quàm quodlibet aliud obiectum cuiuscumque scientiae; nam tam necessaria est haec propositio, *Syllogismus demonstrativus generat scientiam*, quam haec, *Animal rationale est risibile*, quod etiam in aliis ad syllogismum pertinentibus, exemplificari potest; quod sufficit ad rationem obiecti scientiae, aliàs nulla daretur scientia, praeter illam, quae haberet Deum pro objecto; nam omnia, praeter Deum, sunt quoad existentiam contingentia.

9 Ad secundam probationem antecedentis respondetur illam distinguendo; Logica non acquiritur per demonstrationem, perfectè artificialem, concedo; non acquiritur per demonstrationem naturalem; vel per demonstrationem imperfectè artificialem, nego. Ad probationem distinguo antecedens; Logica docet conficere demonstrationem, perfectè artificialem, concedo; demonstrationem naturalem, seu demonstrationem imperfectè artificialem, nego. Similiter distinguo primum consequens; ante Logicam non praesupponitur demonstratio, perfectè artificialis, concedo; naturalis, seu imperfectè artificialis, nego. Eodem modo potest distingui secundum consequens; unde neganda est ultima consequentia.

10 Ut autem haec solutio benè percipiatur, observandum est, quod demonstratio perfectè artificialis est illa, quae non solum est iuxta re-

gu-

gulas Logicæ docentis, sed etiam necessariò præsupponit claram notitiam prædictarum regularum, ita ut illam conficiens, non solùm cognoscat id, quod deducitur per illam demonstrationem, aliter se habere non posse; sed etiam illud possit reducere ad suas causas, & ostendere rationes, quibus aliter se habere non potest, quod quidem certum est, non posse fieri sine Logica artificiali; nam ipsa Logica docet, quomodo, & quibus regulis fiat demonstratio & tribuit rationes, seu causas, quibus id quod per demonstrationem deducitur, aliter se habere non potest, & sic talis demonstratio nequit præsupponi ad Logicam, imò potiùs necessariò præsupponit Logicam.

11 Demonstratio autem naturalis est illa, quæ licet, sit conformis regulis Logicæ docentis (aliàs non concluderet necessariò) tamen non præsupponit in conficiente illam, prædictas regulas, sed tantum præsupponit lumen naturale, quod *Logica naturalis* appellatur, & licet per illam cognoscatur, rem aliter se habere non posse; tamen non cognoscitur hoc evenire per causas demonstrationis, scilicet, eo quod demonstratio, taliter, vel taliter, iuxta tales, vel tales regulas, est disposita; unde hæc demonstratio non necessariò præsupponit Logicam artificialem, sed potiùs potest ad illam præsupponi. Demonstratio non perfectè artificialis solum addit supra demonstrationem naturalem, aliquam cognitionem alicujus regulæ Logicæ docentis, & sic præsupponit aliquam partem Logicæ artificialis, & ad alias partes præsupponitur.

12 Igitur, ut aliquid sit, & dicatur scientia propriè, & rigorosè, non necessariò requiritur, quod acquiratur per demonstrationem perfectè artificialem, sed sufficit, quod acquiratur per demonstrationem quomodocumque sumatur; nam quælibet demonstratio, ostendit, id quod

per

per illam deducitur, aliter se habere non posse propter causam adductam in ipsa demonstratione, quod sufficit ad rationem scientiæ: nam propriè scire, est rem per causam cognoscere; ad quod non requiritur, quod demonstrationem conficiens, perfectè cognoscat causas, seu regulas, quibus perfectè demonstratio confici debet; hoc enim ostendere ad perfectam logicam artificialem spectat; ex quibus facilè ostenditur, quomodo logica sit scientia; nam primæ veritates illius acquisitæ fuerunt per demonstrationem purè naturalem, & postea aliæ veritates per demonstrationem imperfectè artificialem, eo quod veritates prius cognitæ, aliquomodo conducebant, & juvabant artificialiter ad cognitionem aliarum; unde logica secundum omnes suas partes est propriè scientia; nam semper logica artificialis perfecta præsupponebat demonstrationem, vel purè naturalem, vel aliquomodo artificialem.

13 Dicimus secundo: Logica docens reduplicativè ut logica docens est scientia. Hæc conclusio, licet in terminis non proponatur ab omnibus, tamen in re coincidit cum præcedenti, & probatur eadem ratione; nam omnes conclusiones, quæ deducuntur in logica per demonstrationem sunt actus logicæ docentis, ut logica docens est; nam omnes sunt regulæ in ordine ad rectè conficiendos modos sciendi, ut patet in illis, quæ proponuntur in antecedenti conclusione, & potest per similitudinem exemplificari in omnibus aliis: ergo logica, reduplicativè ut logica docens, est scientia. Hoc amplius patebit ex dicendis.

14 Argues contra: habitus, cuius actus non sunt scientifici, non est scientia: sed actus logicæ docentis, ut logica docens est, non sunt scientifici: ergo logica docens, ut logica docens est, non est scientia. Probatur minor: quia hic actus, v.g. *Syllogismus debet constare tribus propo-*

sitionibus, est logicæ docentis, ut logica docens est: sed non est actus scientificus, quippè non est deductus per demonstrationem: ergo actus logicæ docentis, ut logica docens est, non sunt scientifici. Respondetur negando minorem. Ad probationem dicimus, quod prædictus actus (& omnes alii logicæ docentis similiter sumpti) est actus logicæ docentis, ut logica docens est, tantum materialiter, non vero formaliter, & similiter dicimus, quod est actus scientificus materialiter, non vero formaliter; ex quo nullatenus sequitur, quod logica docens, ut logica docens est, non sit scientia.

15 Ut autem hoc benè intelligatur, ex quo conclusionis intelligentia dependet, observandum est, quod actus logicæ docentis propriè, & formaliter non sunt tales quoadusque per demonstrationem illorum doctrina cognoscatur; quia non propriè, & formaliter docemur, nisi præbendo assensum actui, itaut firmiter teneamus aliter se habere non posse ex principiis, ex quibus hoc ita cognosci potest, quod necessariò debet fieri per demonstrationem ostendentem per suas causas, & principia, rem ita se habere; quando autem talis actus nobis proponitur absolutè, & secundum se, & non deductus per demonstrationem, ut ponitur in argumento, dicitur actus docens materialiter, eo quod est materia actus, qui potest per demonstrationem deduci, & esse formaliter docens, quod facit ipsa logica docens, ut logica docens est; nam non solum nobis proponit prędictum actum, sed etiam causas, & principia, quibus per demonstrationem deducitur, & nos illi assentimur indubitanter, ut quando conficitur hæc demonstratio: *Syllogismus est oratio in qua quibusdam positis, alterum quid a positis necessario sequitur: sed ad hoc necessario supponuntur duæ præmissæ ad conclusionem; ergo syllogismus necessario debet constare tribus propositionibus.*

Di-

16 Dicimus tertiò: Logica docens, reduplicativè ut docens, non est scientia. Hæc conclusio est ferè cummunis inter recentiores Scotistas, & ut supra diximus, est quasi explicatio tertiæ sententiæ. Probatur breviter, quia ex Arist. 1. Priorum, omnis reduplicatio arguit universalitatem; hæc enim est bona consequentia; *Homo in quantum albus est disgregativus visus*; ergo *omne album est disgregativum visus*; cujus ratio est, quia cùm reduplicatio donotet caussam inhærentiæ prædicati in subiecto, ubicumque reperiatur talis ratio, quæ reduplicatur, erit causa talis inhærentiæ; ergo si Logica reduplicativè ut docens est scientia, erit bona hæc consequentia: *Logica, reduplicativè ut docens, est scientia*; ergo *omne docens est scientia*; sed hæc consequentia est falsa, qua datur aliquid docens, quod non sit scientia, ut sunt plures artes; ergo Logica, reduplicativè ut docens, non est scientia.

17 Argues contra; Hæc conclusio opponitur conclusioni præcedenti; ergo non est admittenda. Probatur antecedens; quia similiter ponitur reduplicatio in una, ac in alia. Resp. neg. ant. & ad probationem dicimus, quòd diversa est reduplicatio; nam in conclusione antecedentis reduplicatur totum hoc *Logica docens*, ex qua reduplicatione sequitur hæc tantum consequentia; *Logica, docens, reduplicativè ut Logica docens, est scientia*; ergo *omnis Logica docens est scientia*; quæ vera est; in hac verò conclusione tantum reduplicatur *docens*, ex qua reduplicatione sequitur consequentia falsa apposita in conclusione, & sic, licet concedatur, Logicam docentem, reduplicativè ut Logicam docentem, esse scientiam; nullatenus tamen est concedendum, logicum docentem, reduplicativè ut docentem, scientiam esse.

18 Dicimus quartò; Logica docens, reduplicativè ut Logica docens, est ars liberalis. Hęc conclusio in re admittitur à pluribus Scotistis,

& eam tenet Franc. Alph. disp. proœm. Logicæ sect. 5. Probatur, quia secundum Arist. 6. Ethic. cap. 4. *Ars est habitus cum vera ratione operativus*, seu est habitum cum vera ratione dirigens ad operatione in artificiosam, medio aliquo dictamine vero & determinato; sed Logica docens, in quantum Logica docens, dirigit intellectum cum vera ratione ad conficiendos artificiosè modos sciendi; ergo Logica docens, in quantum Logica docens, est ars. Deinde Philosophus videtur tenere hanc conclusionem, dum 1. Rhetoricę innuit, quòd nec rhetorica, nec dialectica quatenus tradunt præcepta, sunt scientiæ, sed artes.

19 Arg. 1. Ars, & scientia distinguuntur; sed Logica docens, in quantum Logica docens, est scientia; ergo non est ars. Resp. dist. mai. ars, & scientia, quæ non est scientia docens, distinguuntur, concedo; ars, & scientia docens, seu operis directiva, distinguuntur, subdistinguo; distinguuntur tanquam superius, & inferius, concedo; aliter, nego. Similiter distinguo minorem; Logica docens, in quantum Logica docens, est scientia operis directiva, concedo; aliter nego, & nego consequentiam. Etenim ratio artis præcisè consistit in hoc, quod sit habitus determinatus ad eliciendum judicium verum in ordine ad operationem artificiosam, quòd autem hoc iudicium verum deducatur per demonstrationem, vel alio modo, per accidens se habet ad rationem artis; itaque ars formaliter solum dictat modum conficiendi rem determinatè, & cùm habitus docens sit ex se determinatus ad eliciendum iudicium regulativum alicuius operis, hinc est, quòd scientia docens, quæcumque illa sit, includit in suo conceptu formali rationem artis, tanquam quid superius.

20 Argues 2. Quando aliquod divisum dividitur per membra dividentia, tanquam per rationes oppositas, implicat, dari aliquod mem-

membrum dividens, quod simul contineat prædictas rationes oppositas; sed habitus intellectualis, secundum Philosophum, dividitur in scientiam, & artem; tanquam per rationes oppositas: ergo implicat, quod idem habitus sit simul scientia, & ars. Respondetur primò distinguendo minorem, habitus intellectualis dividitur in scientiam, & artem mechanicam, quæ est propriè ars, & est habitus cum ratione factivus ad extra, concedo, in scientiam, & artem liberalem, quæ solum per similitudinem ad artem mechanicam dicitur ars, & est habitus cum ratione operativus, sive ad extra, sive ad intra, nego. Similiter distinguo consequens; implicat, quod idem habitus sit simul scientia, & ars mechanica, concedo; simul scientia, & ars liberalis, nego.

21 Respondetur secundò distinguendo etiam minorem; habitus intellectualis dividitur in scientiam purè contemplativam, & artem, concedò; in scientiam non purè contemplativam, sed simul docentem, & directivam, & artem, nego; distinguo etiam consequens; idem habitus nequit esse simul scientia purè contemplativa, & ars, concedo, nequit esse simul scientia non purè contemplativa, sed simul docens, & directiva, subdistinguo, secundum eandem rationem formalem, concedo, secundum diversas rationes formales, nego. Etenim, idem habitus, ut dicit ordinem ad iudicium verum, & determinatum, in ordine ad operationem artificiosam, dicitur ars, ut autem ordinatur ad hoc, ut tale iudicium acquiratur per demonstrationem, dicitur scientia, quæ rationes se habent tanquam superius, & inferius, nam valet: *Est scientia docens, & regulativa*: ergo *est ars*. Non tamen valet è contra: *Est ars*: ergo *est scientia docens, & regulativa*. Vnde scientia purè contemplativa nullatenus potest dici ars, quia secundum nullam

rationem formalem ejus dirigit ad operationem.

22 Dicimus quintò: Logica docens, reduplicativè ut docens, non est ars. Hæc conclusio deducitur à simili ex tertia conclusione. Probatur eadem ratione: quia, ut ibi dictum est, omnis reduplicatio arguit universalitatem: sed datur aliquid docens, quod non sit ars: ergo Logica, secundum rationem præcisam docentis, non est ars. Prob. min. quia ars debet esse vera, certa, & determinata: sed dantur plures actus docentes, qui non sunt determinatè veri, & certi, sed tantum probabiliter, seu opinativè: ergo datur aliquid docens, quod non sit ars. Minor patet ex Aristot. 6. Ethic. Ubi exclusit à ratione artis opinionem, seu conjecturam. Hæc conclusio non opponitur antecedenti; quia est diversa reduplicatio, ut dictum est de conclusione tertia, respectu secundæ.

23 Dicimus sextò: Logica utens, in quantum Logica utens, non est scientia. Probatur de Logica actuali: quia actus scientificus est assensus conclusionis demonstratæ per causas: sed actus Logicæ utentis, ut Logicæ utentis, non est assensus conclusionis demonstratæ: sed potius est actualis constructio demonstrationis: ergo actus Logicæ utentis, ut Logicæ utentis, non est scientificus. Unde probatur etiam conclusio de Logica habituali ut utente; quia nullus habitus dicitur scientificus, nisi quatenus inclinat ad actum scientificum: sed Logica habitualis, ut Logica utens est, solum inclinat ad confectionem demonstrationis, seu alterius modi sciendi, quæ non sunt actus scientifici, ut dictum est: ergo Logica habitualis, ut Logica utens est, non est scientia. Hoc intelligitur formaliter, quia efficienter Logica utens potest dici scientia eo quod ipsa demonstratio est causativa, seu generativa scientiæ.

24 Dicimus septimò: Logica utens, reduplicativè

pli-

plicativè ut Logica utens, potest dici ars, quod patet; quia Logica utens, ut Logica utens, determinatè inclinat ad confectionem modi sciendi, qui dicitur, & est opus artefactum; ergo Logica utens, ut Logica utens, dicitur ars. Ubi adverte, quod si reduplicatio fiat solum secundum rationem utentis, non potest Logica utens dici ars, quod patet ex conclusione quinta.

26 Pro complemento quæstionis, & ut aliqua solvas argumenta, adverte, quod habitus Logicæ, absolutè loquendo, est habitus scientificus; quandò autem dicimus, quòd secundum aliquam rationem non est scientificus, non ita intelligendum est, quod aliquomodo negetur illi ratio scientiæ; sed ita quòd ratio scientiæ, quam in se habet, non conveniat illi propter illam rationem, quod hoc exemplo facilè percipies; de homine, v. gr. affirmamus absolutè, quod est risibilis, possumus tamen dicere, *Homo, quatenus animal, non est risibilis*; per quod non negamus de homine risibilitatem; sed tantum affirmamus, risibilitatem, quam habet homo, non convenire illi ratione animalitatis, quod verum est, quia illi convenit ratione rationalitatis.

QUÆSTIO V.

Utrùm Logica sit scientia practica, vel speculativa?

1 Quia resolutio hujus quæstionis dependet ex cognitione scientiæ practicæ, & speculativæ, & harum cognitio ex cognitione praxis, & speculationis, ideò in illa erunt duæ sectiones, in quarum prima, prædictarum notitiam adducemus, & in secunda, quid sit tenendum investigabimus.

SECTIO I.

Quid sint praxis, & speculatio declaratur.

2 SUpponitur tanquam certum apud omnes, quod speculatio sumit denominationem à verbo græco *Scopeo*, quòd idem est, ac Latinè *considero*, seu *contemplor*; dicitur etiam speculatio, cognitio Theorica; sumpta denominatione à verbo græco *Thoreo*, quod idem est, ac Latinè *Speculor*; ex quo omnes conveniunt, quod speculatio est cognitio, seu contemplatio essentiæ, causæ, vel proprietatis alicujus rei, similis illi contemplationi, seu cognitioni, quam habet, qui ex aliquo eminenti loco inferiora respicit. Praxis verò sumit denominationem à verb. græc. *Pratto*, quod idem est, ac Latinè *facio*, *ago*, seu *operor*: unde praxis idem est, ac *factio*, *actio*, seu *operatio*, quæ licet idem videantur significare, si tamen in rigorosa significatione sumantur, diversimodè se habent; nam operatio latiùs patet, quam actio, & factio; nam illa comprehendit, non modo operationes externas cujuscumque potentiæ, sed etiam internas voluntis, & intellectus; actio autem significat operationes externas, & internas, circa quas versatur electio Prudentiæ; factio denique significat tantùm operationes externas transeuntes in externam materiam, circa quas versatur ars mechanica. Hinc oritur difficultas in assignanda operatione, cui propriè conveniant ratio praxis.

3 Dicimus ergo; Scotus quæst. 4. Prologi, §. *Dico igitur*, litt. A. sic praxim definit; *Est actus alterius potentiæ, quam intellectus, naturaliter posterior intellectione natus elici conformiter rationi rectæ, ad hos ut sit actus rectus*; quæ definitio, ut optima, admittitur ab omnibus

Sco-

Scotistis, & ferè ab omnibus Thomistis contra Jesuitas communiter. Probatur tamen ejus bonitas, & in primis, quod sit actus alterius potentiæ, quam intellectus ex Scoto citato; nam juxta commune axioma, intellectus extensione fit practicus: sed hoc esset falsum, si praxis non esset actus alterius potentiæ, quam intellectus; nam stando præcisè in actibus intellectus, nulla est extensio intellectus; quia non tendit extra se, nisi ut actus ejus respicit actum alterius potentiæ; ergo praxis est actus alterius potentiæ, quam intellectus. Confirmatur, quia ideo voluntas dicitur practica sine extensione ad opera aliarum potentiarum, quia actus ejus verè, & propriè sunt praxis: ergo ex eo dicitur, quod intellectus extensione fit practicus: quia actus ejus non sunt praxis, & consequenter praxis est actus alterius potentiæ, quam intellectus.

4 Communiter Jesuitæ, & præcipuè Hurt. disp. 2. quæst. 2. & alii, ab ipso citati, dicunt, nulla auctoritate probari, praxim debere esse actum alterius potentiæ, quam intellectus seu quod idem est, intellectum extensione fieri practicum. Sed cùm id expresè teneat Scotus, citatus, & etiam D. Thom. q. 14. de Veritate, dicens. *Intellectus practicus idem est, quod operativus; unde sola extensio ad opus facit aliquem intellectum esse practicum.* Deinde, idem videtur tenere Arist. lib. 3. de Anima cap. 10. ubi docet, intellectum practicum esse principium agendi, quod non debet intelligi, ita ut sit principium agēdi actione intellectiva; nam hoc etiam habet intellectus speculativus: ergo ita ut sit principiū agendi actione, quæ intellectiva nō est; sed actio, quę non est intellectiva, est actus alterius potentiæ, quàm intellectus; ergo secundum Arist. praxis est actus alterius potentiæ, quam intellectus. Non ergo debet dici, quod nulla auctoritate probatur, quod tenent Arist. D. Thomas, &

Scotus, quorum auctoritate nulla major in rebus Scholasticis invenitur.

5 Quod praxis sit naturaliter posterior intellectione probat Scotus, ex eo quod actus non habentes ordinem ad intellectum, ut sunt negativi, aut actus sensitivi, qui naturaliter praecedunt intellectionem, & similiter actus appetitus potentiae sensitivae, quatenus praecedunt actus intellectus, non sunt praxis; quia hoc modo sunt communes nobis, & brutis; ergo ideò est, quia praxis debet esse posterior intellectione.

6 Ex his duabus conditionibus praxis, scilicet, quod sit actus alterius potentiae, quam intellectus, & quod sit posterior intellectione, infert Scotus, quod praxis, ad quam extenditur habitus practicus, non est, nisi actus elicitus; vel imperatus à voluntate; quod patet; nam nullus alius actus ab actu voluntatis elicito, vel imperato, est actus alterius potentiae, quam intellectus, & posterior intellectione: nam quicumque alius actus potest esse prior, sicut patet discurrendo per omnes actus aliarum potentiarum: ergo solum est praxis actus elicitus, vel imperatus à voluntate.

7 Contra hoc arguit ipse Scotus, quia videtur sequi, quod aliqua intellectio sit praxis, quod est contra primam conditionem. Probatur, quia aliqua intellectio potest esse actus imperatus à voluntate: ergo aliqua intellectio potest esse praxis, Respondet ipse Scotus negando sequelam, & ad probationem negando consequentiam; quia, licet verum sit, quod praxis debet esse actus elicitus, vel imperatus à voluntate; non tamen ex hoc sequitur; quod omnis actus imperatus à voluntate sit praxis; sed solum sequitur, quod sit praxis, vel practicus; unde intellectio imperata à voluntate potest denominari, quasi accidentaliter, à praxi, ad quam extensibilis est, non ta-

tamen est terminus talis extensionis, quod requiritur ad rationem praxis: certum enim est, quòd intellectus nullatenus, extenditur ad suos actus, licet à voluntate imperentur; nam extensio solum est ad materiam alienam, sive extraneam, nulla tamen intellectio est extranea ipsi intellectui.

8 Dubitabis tamen, quare actus aliarum potentiarum; quando imperantur à voluntate, sunt praxis, non vero actus intellectus? Respondetur, quòd ex eo est, quòd actus aliarum potentiarum ex se habent esse actus alterius potentiæ, quam intellectus, & quando imperantur à voluntate, sunt posteriores intellectione, & conformes rationi rectæ; actus autem intellectus numquam possunt esse actus alterius potentiæ, quam intellectus, quod ut dictum est, necessariò requiritur ad rationem praxis. Quod amplius potest confirmari, quia praxis, & speculatio sunt oppositæ: sed quilibet actus intellectus per se est speculatio: ergo nullo modo potest esse praxis. Probatur consequentia; quia, quando aliquid alicui convenit per se, ejus oppositum, neque per se, neque per accidens, potest illi convenire: sed cuilibet actui intellectus convenit per se speculatio; ergo praxis, neque per se, neque per accidens, potest illi convenire.

9 Arguunt contra; omnis actus, ad quem inclinat Prudentia, est praxis; sed Prudentia inclinat ad studendum tali tempore, vel tali modo: ergo actus intellectus taliter studendi est praxis. Confirmatur, quia cognitio imperata à voluntate potest esse bona, & meritoria: sed omnis actus meritorius est praxis: ergo aliqua cognitio potest esse praxis. Ad argumentum respondetur distinguendo majorem; omnis actus, ad quem inclinat Prudentia, est praxis, si ad illum inclinat immediatè, concedo; si inclinat mediatè, subdistinguo, si alias talis actus

non est speculatio, concedo; si est speculatio, nego. Etenim, Prudentia immediatè inclinat ad actum voluntatis, qui potest aliosactus imperare, & cum actus voluntatis si praxis, sufficit ad hoc, ut Prudentia dicatur habitus practicus, sive actus imperatus à tali actu voluntatis sit praxis, ut sunt omnes actusaliarum potentiarum ab intellectu, quando à voluntate imperantur, sive sit speculatio, ut est actus intellectus, quomodocumque sumatur. Similiter respondetur ad confirmationem, quod tunc solum actus meritorius est praxis, quando ex alio capite non speculatio; sufficit autem, ad hoc, ut actus intellectus dicatur meritorius, quod cadat sub imperio voluntatis, in qua propriè, & primariò est meritum; non autem sufficit ad hoc, ut dicatur praxis, nisi extendendo nomen praxis ad quamlibet operationem, ut advertit Scotus supra citatus.

10. Adhuc arguunt contra: actus intellectus potest dirigi per alium actum ipsius intellectus, ut fiat rectus, ergo actus intellectus potest esse praxis: Probatur consequentia: quia actus intellectus dirigens actum voluntatis, est practicus; ergo similiter actus intellectus dirigens alium actum intellectus, erit practicus, & consequenter actus directus erit praxis. Respondetur distinguendo antecedens; actus intellectus potest dirigi per alium actum intellectus, ut fiat rectus rectitudine, quæ sit opus, nego; rectitudine, quæ sit veritas, concedo. Etenim, licet intellectus, seu cognitio dirigat aliam cognitionem, cùm tamen illa cognitio semper sit veritas, numquam potest esse praxis, nam Philosophus 2. Metaph. tex. 2. distinxit rationem veritatis, quæ est propria speculationis, à ratione operis, quæ est propria praxis; dum dixit; *Speculativa etenim finis veritas; practica autem opus*. Unde nego consequentiam, & consequentiam probationis; quia solùm actus intel-

le-

lectus dicitur practicus, quando dirigit praxim; non tamen quando dirigit speculationem, qualis est quilibet actus intellectus.

11 Arg. contra; Actus intellectus, qui dirigit alium actum intellectus, ut rectè fiat, non sistit in mera contemplatione sui obiecti, sed ulterius procedit ad illum rectè conficiendum; ergo talis actus, qui alium dirigit, est practicus, & consequenter actus directus est praxis. Respondetur distinguendo antecedens: procedit ad illum actum rectè conficiendum, ut rectè sciamus, concedo; ut rectè operemur, nego. Etenim, licèt unus actus intellectus alium dirigat, semper dirigitur rectè sciamus, & rectè veritatem demonstremus; non autem ut rectè operemur, prout operatio dicit aliquid distinctum à ratione veritatis, quæ est propria speculationis: quòd clarè innuit commentator Arist. explicans supradictum textum his verbis; *Per speculativam scimus, ut sciamus; per practicam verò sumus scientes, ut operemur; quia practicæ finis opus*. Unde, nego utramque consequentiam.

12 Quòd praxis sit actus natus elici conformiter rationi rectæ, probatur ab ipso Scoto; ex Philosopho 6. Ethic. ubi dicit, quòd electio recta necessariò requirit rationem rectam, quod, inquit Scotus, non tantum verum est de electione strictè sumpta; sed pari ratione, de qualibet volitione recta; quia ipsa etiam requirit rationem rectam, cui conformiter eliciatur; sed quælibet volitio recta est praxis: ergo praxis debet esse conformis rationi rectæ.

12 Dices; actus pravus voluntatis est per se praxis; sed non est natus conformari rationi rectæ; ergo male ponitur prædicta particula in definitione praxis. Respondetur, quòd hic solùm definivit Scotus praxim rectam, ut clarè denotant ipsius verba; nam dicit, *Ad hoc ut sit actus rectus*. Neque ex hoc sequitur, quòd Scotus processerit diminutè, praxim rectam definiens,

finiendo; nam, ut benè notavit Merinerus, cùm rectum sit index sui obliqui, ex definitione praxis rectæ, facilè colligitur definitio praxis obliquæ, quæ non est conformis, sed difformis rationi rectæ. Unde negatur consequentia.

14 Alii respondent, quòd per illa verba. *Natus elici conformiter rationi rectæ*, non debet intelligi ratio recta moralis, sed ratio recta artificialis, ut patet in artibus mechanicis, quarum operationes dicuntur praxes rectæ:eo quòd sint conformes regulis ipsius artis; licet non sunt rectæ moraliter. Unde praxis bona potest dividi in bonam moraliter, & bonam artificialiter, & in malam moraliter, & malam artificialiter, & contingere potest, quod praxis mala moraliter sit bona artificialiter, & è contra, quod praxis mala artificialiter sit bona moraliter. Ex hoc autem non sequitur, quòd supradicta definitio conveniat praxi in communi, nam ut ex se patet, tantum convenit praxi rectæ in quocumque sensu sumatur rectitudo, licet in alio sensu sit praxis obliqua. Unde praxis in communi sic potest definiri; *Est actus alterius potentia, quam Intellectus, naturaliter posterior intellectione, & ab ipsa intellectione regulatus*; & hoc, sive conformetur, sive non rationi regulanti.

15 Ex duabus ultimis conditionibus praxis infert Scotus, quòd actus imperatus à voluntate non est primo praxis, sed quasi per accidens; quia, nec primo est posterior intellectione, nec primo natus elici conformiter rationi rectæ, sed hoc habet ab actu imperante voluntatis cui primo, & per se convenit ratio praxis. Quod sic ostenditur, quia quandocumque aliquid est primo tale conjunctum cum alio posteriori, si potest separari ab illo, adhuc esset tale; si igitur actus voluntatis potest separari ab actu alterius potentiæ, separatus ab illo posteriori, ille est praxis; separatur autem circa quodcumque

obje-

objectum, circa quod potest esse actus voluntatis, & circa quod non potest esse actus inferioris potentiæ, cujusmodi sunt omnia immaterialia: ergo circa omne tale est actus voluntatis, & iste solus est praxis; hæc Scotus: sed actus aliarum potentiarum non sunt huiusmodi, nam non sunt naturaliter posteriores intellectione, nec nati elici conformiter rationi rectæ, nisi prout imperantur à voluntate, quando enim à voluntate non imperantur, jam sunt priores; jam posteriores intellectione: ergo solus actus voluntatis est primo, & per se praxis, actus verò aliarum potentiarum solum secundariò, & quasi per accidens.

16 Infert etiam Scotus, quod scientia practica consistit in duplici relatione prioritatis, & conformitatis ad praxim: quæ duplex relatio non est actualis, sed aptitudinalis, quod probat; quia si talis duplex relatio deberet esse actualis, nulla scientia esset necessariò practica, sed aliquando esset practica, scilicet, quando actualiter extenderetur ad praxim, & aliquando speculativa, scilicet, quando actualiter non extenderetur: sed hoc non est dicendum; quia scientia practica semper est practica: ergo talis duplex relatio non debet esse actualis, sed sufficit aptitudinalis. Unde sequitur, quod scientia speculativa consistit in negatione prædictæ duplicis relationis ad praxim; sed advertit Scotus, quòd divisio scientiæ in practicam, & speculativam per prædictas relationes, & negationes earum, non est divisio per differentias essentiales sed per proprias passiones consequẽtes differentias nobis ignotas, quod patet, quia scientia est quid absolutum: sed neque relatio, neque negatio potest esse de essentia absoluti: ergo prædicta divisio per prædictas relationes, & negationes illarum, non datur per differentias essentiales.

17 Hic potest dubitari, à quo principio scientia dicatur practica? Respondetur, quod lo-

quen-

quendo de principio intrinseco, constituitur per duplicem relationem supradictam, seu per differentiam nobis ignotam, ad quam sequitur. Loquendo autem de principio extrinseco, à quo habet talem duplicem relationem, respondetur cum Scoto quæst. 4. citata, litt. G. quod scientia non dicitur practica ex fine, in quantum finis est, sed in quantum est objectum. Probatur, quia finis non movet potentiam, nisi ut amatus: sed scientia est practica, sive finis ametur, sive non: ergo scientia non dicitur practica à fine, ut finis. Probatur minor; quia multi possunt habere notitiam practicam harum propositionum: *Vivendum est rectè*; *proximus est diligendus*, & simul, neque rectè vivere, neque proximum diligere: ergo sive finis ametur, sive non, scientia est practica, & consequenter ratio practici, non sumitur à fine, ut finis est. Quod autem sumatur ab obiecto, ex eo probat Scotus, quod ab objecto, & potentia paritur notitia: sed notitia non habet esse practicam à potentia; aliàs omnes scientiæ essent practicæ, cùm proveniant ab eadem potentia: ergo hoc habet ab objecto.

18 Advertit tamen Scotus, Vers. Ad tertium dico, sub litt. O, quod non requiritur ad rationem practici, quod expressè, & formaliter dictet de rectitudine praxis; sed tantum virtualiter, seu, quod idem est, sufficit, quod versetur circa objectum, quod etiam, si non sit formaliter rectitudo praxis; contineat tamen virtualiter talem rectitudinem, v. gr. ut scientia dicatur practica, sufficit, quod versetur circa Deum, qui est summum bonum; licet hæc veritas formaliter non sit directiva praxis, per hoc præcisè, quod contineat virtualiter hanc veritatem: *Deus est summè diligendus*, cujus notitia est formaliter directiva praxis.

19 Adverte tamen pro complemento sectionis, & ad auferendam æquivocationem, quod quan-

quando communiter dicitur, quod objectum scientiæ practicæ est quid operabile, non ita est intelligendum, ut necessariò fieri debeat actionibus practicè cognoscentis; sed sufficit; quod tale objectum sit res, circa quam possit elici praxis; nam hoc est sufficiens, ut sit objectum virtualiter continens dictamen practicum, quod patet in medicina, cujus obiectum est corpus humanum sanabile, quod non fabricatur à medico, sed tantum circa illud potest exercere aliquas operationes, quæ sint praxis, & tamen medicina est scientia practica. His prælibatis de praxi, & speculatione, de scientia practica, & speculativa in communi, sit

SECTIO II.

In qua resolvitur quæstio:

20 Circa præsentem difficultatem sunt plures sententię Prima asserit Logicam, neque esse practicam, neque speculativam, sed tantum instrumentum indifferens, & commune, tam scientiis practicis, quàm speculativis. Secunda tenet, Logicam esse simpliciter scientiam practicam. Tertia affirmat, esse partim practicam, & partim speculativam. Quarta denique asserit, esse absolutè scientiam speculativam. Pro hac quarta sententia, quam tenent omnes Scotistæ, & communiter Thomistæ, stat Scotus quæst. 4. Prologi cit. §. *Dico igitur*, lit. A. & D. Thomas 1.2. quæst. 27 artic. 3. ad 3. & 2.2. q. 51. art. 2. in solutione ad 3. Pro aliis sententiis citantur plures Authores à recentioribus. Nos autem per sequentes conclusiones, quid videtur tenendum proponemus.

21 Dicimus primò: Logica debet esse practica; vel speculativa. Hæc conclusio est contra primam sententiam. Probatur; quia Logica debet esse directiva, vel non directiva praxis: sed

si est

si est directiva praxis, est practica, & si non est directiva, est speculativa: ergo Logica debet esse practica, vel speculativa.

22 Arguunt contra: scientia, cujus finis abstrahit à practico, & speculativo, non est practica, neque speculativa: sed finis Logicæ est dirigere intellectum, ne erret circa cognitionem entis in aliis scientiis, prout abstrahunt à practico, & speculativo; ergo Logica, neque est practica, neque speculativa. Respondetur distinguendo majorem; si loquatur de fine intrinseco, admitto; si loquatur de fine extrinseco, nego. Similiter distinguo minorem: finis Logicæ est, qui assignatur in illa, si loquatur de fine extrinseco, concedo; si loquatur de fine intrinseco, nego, & nego consequentiam. Etenim finis intrinsecus Logicæ est ipsum suum objectum, seu dirigere operationes intellectus, ne errent circa illud, quod facit Logica modo speculabili, quod sufficit, ut dicatur scientia speculativa; finis autem extrinsecus Logicæ, est dirigere operationes intellectus, ut errent circa objecta aliarum scientiarum, quod facit abstrahendo ab his, quod scientiæ respiciant sua objecta practicè, vel speculativè, quod non obstat, ad hoc, ut Logica sit scientia speculativa; nam scientia dicitur talis, vel talis à suo intrinseco fine, vel objecto.

23 Dicimus secundò; Logica non est simul practica, & speculativa. Hæc conclusio est contra tertiam sententiam. Probatur, quia quando aliquod commune dividitur per differentias essentiales, vel per proprias passiones ipsas differentias consequentes, implicat, quod utraque differentia, vel utraque propria passio in aliquo inferiori reperiatur; sed scientia in communi dividitur in practicam, & speculativam per proprias passiones, modo supra dicto; ergo implicat, quod detur aliqua scientia, quæ simul sit practica, & speculativa. Probatur major à simili,

quia

quia ex eo quod animal dividatur in hominem, & brutum per differentias essentiales, implicat, quod aliquod inferius sit simul homo, & brutum: ergo propter eandem rationem implicat, quod aliqua scientia sit simul practica, & speculativa.

24 Respondent, hoc tantum probare, quod nulla scientia potest esse simul practica, & speculativa formaliter; non tamen, quod non potest esse speculativa formaliter, & practica virtualiter. Sed contra est; quia, quidquid probat, scientiam aliquam esse practicam virtualiter, probat etiam, esse practicam formaliter: sed nequit esse simul practica, & speculativa formaliter: ergo nequit esse speculativa formaliter, & practica virtualiter. Probatur major; quia, ad hoc, ut aliqua scientia sit virtualiter practica; necessarium est, quod habeat virtutem, seu aptitudinem regulandi praxim: sed per talem virtutem, seu aptitudinem constituitur scientia practica formaliter, ut dictum est cum Scoto sect. antecedenti num. 16. & 18. ergo quidquid probat scientiam esse practicam virtualiter, probat etiam esse practicam formaliter. Deinde ex eo quod animal dividatur in rationale, & irrationale, nullum inferius potest esse simul rationale formaliter, & irrationale virtualiter: ergo ex eo quod scientia dividatur in practicam, & speculativam, nulla scientia inferior potest simul esse speculativa formaliter, & practica virtualiter.

25 Arguunt 1. Logica est janua ad omnes scientias acquirendas: sed scientiæ, aliæ sunt practicæ, aliæ speculativæ: ergo Logica est simul practica, & speculativa. Respondetur negando consequentiam: quia, ut dictum est n. 22. quod Logica sit janua ad alias scientias acquirendas, est finis extrinsecus illius, à quo non sumit rationem practici; vel speculativi; sed à suo fine, seu objecto intrinseco; Logica autem semper esset janua ad omnes scientias acquiren-

das

das eodem modo, quo nunc est, scilicet, regulando intellectum: licet omnes scientiæ essent practicæ, vel omnes speculativæ.

26 Arguunt 2. Eadem potentia, scilicet, intellectus, est simul practica, & speculativa: ergo idem habitus Logicæ potest simul esse practicus, & speculativus. Respondetur negando consequentiam; quia ratio practici, & speculativi accidentaliter conveniunt intellectui, quippè conveniunt illi ab actibus, vel habitibus in ipso accidentaliter existentibus; at verò ipsa ratio practici, & ratio speculativi conveniunt actibus, & habitibus essentialiter; unde, licet unus, & idem intellectus possit simul utramque rationem habere; non tamen unus, & idem actus, vel habitus scientificus: sicut idem intellectus potest simul habere plures habitus, tam scientificos, quàm opinativos; & tamen unicus habitus, vel actus nequit simul esse plures scientiæ: nec scientia, & opinio simul. Cujus ratio est; quia objectum Logicæ, sicut cujuslibet alterius habitus, & actus, est aliquod ens determinatum secundùm aliquam determinatam rationem; objectum verò intellectus est omne ens secundum omnes suas rationes, tam practicas, quàm speculativas.

27 Dicimus tertiò: Logica est purè speculativa secundùm omnes suas partes; non autem practica. Hæc conclusio est juxta quartam sententiam, & contra secundam. Probatur, quia scientia speculativa est, quæ non dirigit praxim: sed Logica secundum omnes suas partes non dirigit praxim: ergo Logica secundum omnes suas partes est speculativa, & consequenter non est practica. Probatur minor; quia Logica secundum omnes suas partes dirigit operationes intellectus: sed operationes intellectus non sunt praxis, ut dictum est: ergo Logica secundum omnes suas partes non dirigit praxim. Confirmatur primò, quia Logica procedit ex prin-

cipiis

cipiis speculativis, ut sunt: *Dici de omni*: *dici de nullo*, *&c.* sed habitus procedens ex principiis speculativis est speculativus: ergo Logica est scientia speculativa. Secundo, quia scientia, in qua quæritur scire proptet scire, est speculativa, ut patet ex illo Arist. *Speculativa etenim finis veritas*, *&c.* sed Logica quærit scire propter scire, nam est habitus ex se ordinatus, ut intellectus rectè, & sine errore procedat: ergo Logica est speculativa.

28 Arguunt 1. ex Arist. 6. Metaph. cap. 1. ubi divisit scientiam speculativam in Physicam, Metaphysicam, & Mathematicam, & nullam facit mentionem de Logica: ergo Logica non est scientia speculativa. Respondetur negando consequentiam, quia ibi Arist. solum divisit scientiam speculativam realem, prout distinguitur a sermocinali, & rationali, ideoque non fecit mentionem de Logica, quæ est scientia rationalis, & sermocinalis. Tamen 3. Metaph. text. 2. appellat Logicam scientiam speculativam, his verbis: *Dialectici solum per scrutationem ex probabilibus faciunt, quorum Theorica est de omnibus*.

29 Arguunt 2. Scientia, quæ dirigit ad opus, seu procedit modo operabili, est practica: sed Logica dirigit ad opus, & procedit modo operabili, nam dirigit operationes intellectus, tradendo modos, & præcepta ad conficiendos syllogismos: ergo Logica est scientia practica. Respondetur distinguendo majorem; si tale opus est praxis, concedo; si non est praxis, ut non sunt operationes intellectus, nego. Solum enim sequitur, quod Logica, propter modum procedendi, similitudinariè sit practica, seu extendendo nomen praxis ad quamlibet operationem non autem quod propriè sit practica, cum solum dirigat operationes intellectus, quę tantum sunt praxes extendendo nomen, quod expresse tenet Scotus 6. Metaph. quæst. 1. his verbis

Logi-

Logica potest dici practica extendendo nomen; quia autem actus, quem dirigit, non est nisi speculatio, ideo Logica non est practica.

30 Arguunt 3. Scientia speculativa debet sistere in contemplatione sui objecti, seu debet esse propter se: sed Logica non est propter se, sed propter alias scientias: ergo Logica non est speculativa. Respondetur distinguendo majorem; scientia speculativa principalis, seu purè contemplativa, est propter se, concedo; scientia speculativa ministralis, non purè contemplativa, sed etiam regulativa, est propter se, nego; & concessa minori, distinguo consequens; Logica non est scientia speculativa, principalis, & purè contemplativa, concedo; ministralis, non purè contemplativa, sed etiam regulativa, nego. Deinde habitus speculativus dicitur esse propter se, quia est propter operationem intellectus, & practicus dicitur esse propter aliud; quia est propter operationem alterius potentiæ ab intellectu; & sic etiam Logica potest dici propter se.

31 Arguunt 4. Scientia speculativa est nobilior scientiis practicis; sed Logica non est nobilior scientiis practicis; cùm nobilitas scientiæ desumatur ex nobilitate objecti, & Logica habeat pro objecto secundam intentionem, quæ est imperfectissimum objectum; ergo Logica non est scientia speculativa. Respondetur primò, sicut ad præcedens argumentum, quòd major est vera de scientia speculativa principali; non autem de ministrali, ut est Logica. Secundò respondetur, quòd scientia speculativa est nobilior scientiis practicis ex modo attingendi objectum; & in hoc sensu etiam Logica potest dici nobilior scientiis practicis, at verò ex ratione objecti non potest scientia speculativa dici nobilior scientiis practicis; nam potest scientia practica habere nobilius objectum, quam speculativa.

32 Ar-

32 Arguunt 5. Circa praxim poteſt dari ſcientia ſpeculativa: ergo circa ſpeculationem poteſt dari ſcientia practicata, & conſequenter logica poteſt eſſe practica, licet reſpiciat ſpeculationem. Antecedens patet, quia ſcientia de anima eſt ſpeculativa, & reſpicit operationes voluntatis, quæ ſunt praxis. Reſpondetur diſtinguendo antecedens; circa praxim, ut praxis eſt formaliter, poteſt dari ſcientia ſpeculativa, nego; circa praxim, quatenus poſſunt cognoſci ſpeculativæ veritates illius, concedo; quod contingit in ſcientia de anima reſpectu operationum voluntatis. Similiter diſtinguo conſequens circa ſpeculationem poteſt dari ſcientia practica, ut ſpeculatio formaliter eſt, nego; quatenus aliqua ſcientia dirigit praxim exercendam circa ſpeculationem, concedo. Ubi advertendum eſt, quod in tali caſu, ſcientia non reſpiceret per ſe, & immediatè ſpeculationem, ſed tantum mediatè; immediatè autem reſpiceret praxim exercendam circa ſpeculationem, v. g. quando habitus Prudentiæ dirigit actum voluntatis imperantem ſpeculationem, tunc actus voluntatis, qui eſt praxis, immediatè reſpicitur a Prudentia, ſpeculatio autem mediatè, & quaſi per accidens. Unde negatur ultima conſequentia, quia logica ſemper reſpicit ſpeculationem, ut ſpeculatio eſt.

QUÆSTIO VI.

Quodnam ſit obiectum Logicæ.

1 UT commodius hæc quæſtio reſolvatur, neceſſarium eſt aliqua de objecto in communi præmittere, & omiſſis pluribus (quæ ſatis confusè ab aliquibus ſolent adduci) quæ clariora, & communiora ſunt, in præſenti proponemus, & ſic præſentem quæſtionem in duas ſectiones dividemus, in quarum prima, rationem

nem obiecti in communi declaravimus, & in secunda quæstione resolvemus. Sit ergo

SECTIO I.

In qua agitur de obiecto in communi.

2 PRo intelligentia huius sectionis notandum est, quod hæc nomina, *obiectum*, *subiectum*, & *materia* pro eodem usurpantur, pro illo, scilicet, quod proponitur cognoscendum in aliqua scientia. & dicitur obiectum, quatenus obiicitur scientiæ cognoscendum; dicitur subiectum; quia de illo demonstrantur passiones in scientia, quarum est subiectum, & causa; & dicitur materia, quatenus demonstrationes, quæ fiunt a scientia, circa ipsum versantur, vel in materia illius conficiuntur. Hoc notato.

3 Dicimus primò: obiectum cuiuscumque scientiæ est duplex, materiale, scilicet, & formale. Obiectum formale est illud, quod per se primò respicitur a scientia, & omnia alia quæ in scientia tractantur, ratione illius respiciuntur: quod etiam dicitur obiectum attributionis; quia omnia, quæ in scientia tractantur, ad ipsum ordinantur, & reducuntur. Obiectum materiale est illud, quod attingitur a scientia ratione obiecti formalis. Quorum exempla adducit Scotus in 2. dist. 24. *Vers. Ad Aliud*, lit. E. in colore, qui est obiectum formale visus, eo quod primo, & per se respicitur a potentia visiva, & in albedine, quæ est obiectum materiale visus, eo quod non primo, & per se attingitur a potentia visiva, sed secundariò, & ratione coloris. Ubi etiam obiectum formale dicitur ab Scoto, quod est adæquatum potentiæ, ut ipse color, respectu potentiæ visivæ, obiectum vero materiale, quod non est adæquatum potentiæ, ut ipsa albedo, respectu ipsius potentiæ visivæ.

4 Di-

4 Dicimus secundò: obiectum materiale aliud est per se, & aliud per accidens. Obiectum materiale per se est illud, quod verè, & propriè secundum suam rationem attingitur à scientia, licet non gratia sui, sed gratia obiecti formalis, ut albedo, quæ per se attingitur à potentia visiva, non gratia sui, sed gratia coloris, ut benè notavit Lichetus super Scotum citatum. Vbi adverte, ad auferendam æquivocationem, quod obiectum materiale, per se etiam potest dici obiectum formale partiale, seu inadæquatum. Obiectum materiale per accidens est illud, quod non attingitur à scientia secundum suam rationem; sed quia habet aliquam connexionem accidentalem cum eo, quod attingitur secundum suam rationem; ut paries qui nòn attingitur à potentia visiva secundum suam rationem, sed quia habet connexionem accidentalem cum albedine, quæ ut dictum est, secundum suam rationem attingitur à prædicta potentia. Adhuc obiectum materiale per se, seu formale partiale, & inadæquatum aliud est principalius, & aliud minus principale. Principalius est, quod inter materialia, seu formalia inadæquata, cætera excedit, ut albedo, respectu potentiæ visivæ; quia excedit alios colores. Minus principale est quodlibet aliud ex cæteris obiectis materialibus, seu formalibus inadæquatis, ut sunt cæteri colores, respectu prædictæ potentiæ visivæ.

5 Dicimus tertiò: obiectum formale, aliud est *ut quo*, aliud *ut quod*. Objectum formale *ut quo*; quod etiam dicitur, *ratio formalis sub qua*, est illa ratio, propter quam aliqua materia pertinet ad aliquam determinatam scientiam. Obiectum formale *quod*, est totum aggregatum ex prædicta ratione formali, & tali materia, quod patet in obiecto potentiæ visivæ; nam ratio formalis *sub qua*, seu obiectum formale *quo* est color, obiectum verò

formale *quod* est totum aggregatum ex colore, & pariete v. g. quod dicitur coloratum.

6 Vbi advertendum est, pro maiori claritate, quod de eadem materia possunt dari plures scientiæ, v. gr. de homine potest sciri per Metaphysicam, quod sit unum, verum, bonum, &c. per Physicam, quod sit quid mobile, per Medicinam, quod sit quid curabile, unde cùm scientiæ distinguantur per obiecta, ad illarum distinctionem non est attendenda materia obiecti, cùm sit una in illis; sed ratio formalis *sub qua*, à qualibet scientia respicitur talis materia, ut patet in supradictis; nam Metaphysica respicit hominem sub ratione entis; Physica sub ratione corporis naturalis, & Medicina sub ratione curabilitatis, quæ sunt rationes diversæ diversificantes prædictas scientias.

7 Dicimus quarto; obiectum formale adæquatum, seu attributionis, sic definitur ab Scoto quæst. 3. Prologi, & 2. Laterali, §. *De secundo dico*, litt. B. *Ratio primi subiecti est continere in se primo virtualiter omnes veritates illius habitus, cujus est subiectum*. Ex qua definitione orta est inter Scotistas non levis difficultas in explicando, quid intelligatur per illa verba; *Continere in se primo virtualiter, &c.* an scilicet obiectum, seu subiectum debeat continere omnes veritates sui habitus in genere causæ efficientis; an verò in genere causæ finalis.

8 Circa quam difficultatem, aliqui Scotistæ in manuscriptis tenent, hoc debere intelligi de continentia in genere causæ finalis, sed maior pars Scotistarum, cum Mastrio in Logica, disp. 12. artic. 4. & Poncio disp. 2. quæst. 2. & Merinero disp. procem. quæst. 4. tenet, hoc debere intelligi de continentia in genere causę efficientis; cum quibus.

9 Dicimus quinto in ordine: prædicta verba Scoti debent intelligi de continentia in genere causæ efficientis, quod videtur magis confor-

me

me ipsius verbis Scoti, nam inquit: *Obiectum continet propositiones immediatas; quia subiectum istarum continet prædicatum, & ita evidentiam totius propositionis, propositiones autem immediata continent conclusiones*; sed hæc continentia est in genere causæ efficientis, nam præmissę continent conclusiones in genere causæ efficientis: ergo continentia virtualis objecti est in genere causæ efficientis.

10 Noster Lichetus, super prædictum locum Scoti, plura satis lucida ad huius definitionis, & hujusmodi continentiæ intelligentiam adducit, & ponit exemplum in homine, v. gr. qui immediatè continet hanc propositionem immediatam; *Homo est animal rationale*, & hoc formaliter, & essentialiter, & quia talis immediata propositio, eo quod sit hominis definitio, est medium ad demonstrandas passiones de ipso homine, tanquam causa, & radix, ratione cuius homini propriæ passiones conveniunt, hinc dicitur hominem virtualiter cōtinere veritates, quæ de ipso possunt demonstrari, ut sunt v. g. istæ; *Homo est risibilis, homo est admirativus*; quia includit in se formaliter illam immediatam, quæ in demonstratione se habet, ut causa efficiens illarum, & causa efficiens virtualiter continet suum effectum, & sic continentia illius propositionis immediatæ respectu prædictarum veritatum, est immediata; quia immediatè, & per se in demonstratione illas causat; at verò continentia subiecti, scilicet hominis, est mediata, quia non immediatè, & per se, sed mediatè, & per suam definitionem, quam essentialiter includit, illas causat; sic similiter dicendum est de quolibet obiecto, seu subiecto alicujus scientiæ, scilicet, quod continet in genere causæ efficientis omnes veritates, quæ de ipso in scientia demonstrantur, quia definitio illius est medium in demonstratione ad prædictas veritates causandas.

11 Advertit tamen ipse Lichetus, quod, ut objectum sit adæquatum, non requiritur, quod contineat virtualiter omnes veritates omnium rerum, quæ tractantur in illa scientia, sed solum omnes passiones, & proprietates convertibiles cum illo, ut quando ponitur aliquod subiectum commune genericum in aliqua scientia, non requiritur, ut sit subiectum illius, quod contineat proprietates inferiorum, sed sufficit, quod contineat proprietates convertibiles cum illo, & quod similiter quodlibet inferiùs contineat etiam proprietates convertibiles cum illo, & in tali casu, quot species continentur sub illo subjecto communi, tot specificæ scientiæ possunt hiberi, & sicut à prædictis inferioribus potest abstrahi unum obiectum commune communitate generica, ita ab illis scientiis partialibus, & specificis potest abstrahi una scientia communis, etiam communitate generica.

12 Quod, ut benè advertit Mastrius citatus, intelligitur de propria, & rigorosa continentia verum enim est, quod propriè, & rigorosè subjectum commune genericè solum continet virtualiter omnes veritates, seu proprietates cum illo convertibiles, at verò extendendo nomen *continentia*, ita ut non solum significet continentiam propriam, & proximam, sed etiam continentiam impropriam, & remotam, quæ inquit, consistit in hoc, quod subiectum commune sub se contineat sua inferiora, ut totum potentiale, benè potest dici, quod obiectum commune genericè etiam continet virtualiter omnes veritates suorum inferiorum, quia potentialiter continet inferiora, quæ virtualiter propriè, & proximè suas veritates continent, quod videtur colligi ex Scoto in 3. dist. 36. *Vers. Qualiter autem*, sub litt. L. Aliter autem explicat Pontius citatus prædictam virtualem continentiam obiecti communis in genere causæ efficientis; scilicet, quod tunc dicitur objectum continere omnes verita-

tes

tes illius habitus, cujus est objectum, quando omnes prædictæ veritates in genere causæ efficientis continentur, & causantur ab omnibus illis, quæ in scientia tractantur, & ad objectum commune reducuntur. Hæc explicatio, licet in verbis differat, in re tamen eadem videtur, ac explicatio Mastrii supra adducta de continentia remota, & impropria. Aliter etiam explicant alii prædictam continentiam, scilicet, quod obiectum commune continet omnes prædictas veritates, tanquam causa partialis obiectiva, eo quod omne commune includitur ut pars in suis inferioribus; ut animal, v. g. quod est commune homini, & bruto, includitur in iilis ut pars essentialis, & sic continet virtualiter partialiter obiectivè omnes proprietates hominis, & bruti, quia totus homo, & totum brutum continent virtualiter suas proprietates; licet ratio illas continendi sint suæ specificæ differentiæ; non tamen ratio continens Hæc explicatio deducitur ex Scoto in 3. dist. 25. q. 2. *vers. ad secundum quæsitum*, litt. C.

13 Tenentes, hanc continentiam non esse in genere causæ efficientis: arguunt ex Scoto pro nostra conclusione citato, nam litt. D. dicit: *Ad primum respondeo, quod proportio objecti ad potentiam est proportio motivi ad mobile, vel activi ad passivum: proportio subjecti ad habitum est sicut proportio causæ ad effectum*; ergo in diverso genere causæ proportionatur subiectum ad habitum, ac proportionatur obiectum ad potentiam: sed objectum motivum respicit potentiam in genere causæ efficientis, quia in hoc genere causæ movet illam: ergo habitus, & subiectum non proportionantur in genere causæ efficientis. Respondetur distinguendo minorem subsumtam; est enim vera loquendo de causa efficienti impropriè sumpta; falsa autem loquendo de causa efficienti propriè sumpta. Unde negatur consequentia. Etenim obiectum, ut benè nota

Lichetus, non dicitur movere potentiam in genere causæ efficientis, quia aliquo modo sit causa efficiens ipsius potentiæ; nullatenus enim obiectum potentiam causat; sed tantum dicitur causa efficiens, eo quod aliquid producit in potentia, scilicet, speciem sui, quod impropriè dicitur causare respectu potentiæ; licet propriè respectu speciei, subiectum autem propriè respicit scientiam in genere causæ efficientis; nam simul cum potentia producit actus, seu veritates scientiæ, qui quidem actus in eodem genere causæ efficientis propriè causant habitum scientificum, Ex quo clarè apparet differentia. Ubi advertendum est, ut alia argumenta solvantur, quod obiectum alicuius scientiæ potest etiam dici finis illius (quod intelligitur de fine operis, non de fine operantis.) non tamen exercet rationem obiecti in genere causæ finalis; sed in genere causæ efficientis, ut dictum est cum Scoto quæst. antec. num. 17.

14 Ex quibus colligitur, quod ad rationem obiecti formalis adæquati alicuius scientiæ, tres conditiones necessario requiruntur. Prima, quod in scientia præsupponatur; non solum, quod sit obiectum, sed etiam quid sit, id est, quod præsupponatur eius essentialis definitio; quia in scientia demonstrantur passiones de obiecto per illius essentialem definitionem. Secunda, quod obiectum habeat passiones, quæ in scientia demonstrentur. Tertia, quod scientia, & obiectum adæquentur, itaut nihil sit in obiecto, quod non consideretur a scientia, & nihil consideretur a scientia, quod non pertineat ad obiectum; quia scientia sumit suam unitatem ab obiecto formali, quam nullatenus ab illo sumeret, si scientia, & obiectum non adæquarentur.

SE-

SECTIO II.

In qua resolvitur quæstio.

15 Circa præsentem difficultatem tot sunt sententiæ, quod valdè molestum, & prolixum esset illas sigillatim recensere;nam teste Mastrio quæst. proœm. de Natura Logicæ art. 3. viginti, & amplius numerantur;& licet non omnes ipse proponat, plures adducit,quæ apud ipsum possunt videri, & nos omittimus, tam brevitatis causa, quam quia ex dicendis in hac, & sequentibus quæstionibus, aliqua illarum notitia deducetur.

16 Notandum tamen est, ut clarè procedamus, primo, quod obiectum adæquatum Logicæ non sunt voces, quia licet Logica, sicut quælibet alia scientia, utatur vocibus ad significandas res, de quibus agit; tamen negari non potest, primariò agere de rebus significatis per voces, quod non solum docuit Arist. 4.Metaph. cap. 5. sed etiam patet experientia; nam semper experimur, quod etiam si Logici vocibus disputent,non tamen disputant de vocibus,non enim inquirunt, v.g. quid significet hæc vox; *Syllogismus*? Sed quo modo debeat confici, vel quas proprietates habeat res, quæ vocatur syllogismus ?

17 Secundo notandum est, quod Logica dupliciter potest considerari. Primo, prout tantum comprehendit libros Logicales Arist. qui nunc extant, ut sunt libri categoriarum, Periermeniarum, Analyticorum, Topicorum, & Elenchorum, quibus jungitur liber Porphyrii de prædicabilibus. Secundo, prout non solum comprehendit prædictos libros, sed etiam duos tractatus de definitione, & divisione, qui ab aliquibus tribuuntur Socrati,& Platoni, & ab aliis ipsi Aristoteli; qui tractatus, ut aliqui tenent, injuria temporum perierunt. His notatis.

18 Dicimus primò: obiectum adæquatum Logicæ, in primo sensu, est syllogismus in tota sua latitudine. Hæc conclusio est communis inter Scotistas, & tenet eam Scotus. quæst. 3. universalium Probatur; quia illud debet poni pro obiecto adæquato Logicæ, in quo tres supradictæ conditiones reperiuntur: sed hujusmodi est syllogismus: ergo syllogismus est obiectum adæquatum Logicæ in prædicto sensu. Minor, in qua potest esse difficultas, sic ostenditur; quia definitio syllogismi traditur ab Arist. 1. Priorum; deinde in eodem libro demonstrat passiones de syllogismo; denique nihil agitur in Logica, quod non reducatur ad syllogimum; nam in libr. Categ. agitur de rebus simplicibus, scilicèt, substantia, quantitate, qualitate, &c. quatenus sunt materia remota syllogismi; in lib. Perierm. de propositione, ut est materia proxima syllogismi in libr. de prior. de forma syllogismi, & proprietatibus illam consequentibus, in lib. Posterior. Topicor. & Elenchor. de syllogismo demonstrativo, topico, & sophistico, qui sunt partes subiectivæ syllogismi: ergo syllogismus in tota sua latitudine habet prædictas tres conditiones; quippè præsupponitur; quid sit, id est, eius essentialis definitio, habet proprietates, quæ de illo in Logica demonstrantur, & adæquatur cum ipsa Logica in sensu conclusionis: ergo est obiectum formale, & adæquatum illius.

19 Arguunt 1. Nihil est obiectum adæquatum totius, & partis: sed syllogismus est obiectum in libris Priorum: ergo non est obiectum totius Logicæ. Respondetur ex Scoto citato distinguendo majorem; nihil est obiectum adæquatum totius, & partis, secundum eandem rationem, concedo, secundum diversam rationem, nego, distinguo etiam minorem, syllogismus est obiectum in libris Priorum, quantum ad formam syllogisticam præcisè, concedo; & secun-

secundum hanc rationem, non est obiectum totius Logicæ; est obiectum in libris Priorum, tam secundum formam syllogisticam, quàm secundum partes integrantes, & subiectivas, nego, nam secundum istam rationem est obiectum totius Logicæ; unde similiter distinguitur consequens.

20 Arguunt 2. Scientia acquiritur per syllogismum; sed Logica est scientia: ergo si syllogismus est obiectum Logicæ, notitia de syllogismo acquiritur per syllogismum; sed hoc videtur impossibile, quia vel sequeretur, quòd daretur processus in infinitum; nam de illo syllogismo, per quem acquiritur scientia de syllogismo in communi daretur scientia; nunc inquiro, an illa scientia detur per alium syllogismum, an per ipsum, de quo est scientia? Si per alium, idem inquiram de illo, & sic in infinitum, si per ipsum, iam sequeretur aliud inconveniens, scilicet, quòd idem syllogismus erit notus, in quantum per illum habetur scientia, & erit ignotus, in quntum daretur scientia de illo: ergo nullatenus est concedendum, syllogismum esse obiectum Logicæ; ne aliquod ex prædictis inconvenientibus concedatur.

21 Respondetur negando minorem subsumptam, & ad probationem in illa inclusam, negamus; quòd sequatur aliquod ex prædictis inconvenientibus, nam quando inquiritur, an detur scientia de illo syllogismo per se ipsum, vel per alium? Resp. quòd datur per se ipsum, & sic cessat primum inconveniens, quia iam non datur processus in infinitum. Ad aliud verò dicimus, quòd talis syllogismus esset notus, & ignotus secundum diversas rationes, quod nullum est inconveniens; esset quidem notus quoad veritatem præmissarum, & quoad illationem conclusionis ex illis, nam, ut benè notavit Arist. 1. Prior. syllogismus perfectus nulla re indiget, ut appareat necessarius, esset autem

ignotus secundum illas proprietates, quæ per ipsum demonstrantur de syllogismo in communi, secundum quas ipse syllogismus in communi est ignotus; & consequenter ille syllogismus in particulari, qui sub illo continetur. Videantur, quæ diximus quæst. 4. hujus disp. à num. 7. usque ad 12. & hic applicentur, quia ex illis alia fortè deducitur solutio ad præsens argumentum.

22 Dicimus secundò: Si Logica sumatur in secundo sensu, non syllogismus, sed modus sciendi in communi, prout sub se comprehendit syllogismum, definitionem, & divisionem, est objectum totale, & adæquatum illius. Hæc conclusio videtur esse Scoti 1. Prior. quæst. 2. dum dixit: *Syllogismus non esse obiectum totius Logicæ; modus sciendi est obiectum in tota Logica*, ex quibus verbis cognoscitur, Scotum in diverso sensu locutum fuisse hic, ac in quæst. 3. universalium; nam ibi loquitur de Logica Arist. quam vocat veterem, & cui assignat pro objecto adæquato syllogismum; hic autem loquitur de Logica in majori amplitudine, ut denotant illa verba: *Totius, in tota*, cui assignat pro objecto modum sciendi.

23 Probatur conclusio ratione: quia modus sciendi in communi habet tres supradictas conditiones, quæ ad rationem obiecti requiruntur: ergo est objectum adæquatum Logicæ. Probatur antecedens: nam supponitur de illo, an sit, & quid sit, quia licet Philosophus non tradiderit definitionem illius, ideò fuit quia in sua Logica præcisè egit de syllogismo, ut dictum est, tamen iam communiter à philosophis agentibus de Logica in tota sua latitudine, traditur hæc definitio: *Modus sciendi est oratio ignoti manifestativa*. Deinde habet passiones, tam ratione sui, quàm ratione inferiorum, quæ sub illo continentur, nam passio potissima modi sciendi in communi est esse directivum operationũ intelle-

tellectus, & deinde in Logica demonstrantur passiones definitionis, divisionis, & argumentationis, seu syllogismi, quæ sunt partes subjectivæ, seu inferiora modi sciendi. Denique adæquatur cum Logica, ergo habet prædictas tres conditiones, & consequenter modus sciendi in communi est obiectum totius Logicæ.

24 Circa tertiam conditionem de adæquatione est difficultas, sic tamen ostenditur: quia scopus Logicæ in tota sua latitudine est tradere nobis notitiam omnium instrumentorum sciendi; quibus de qualibet re ignota scientiam, aut veram cognitionem habere possimus; sed hoc adæquatè fit per notitiam definitionis, divisionis, & argumentationis, seu syllogismi, quæ sunt species modi sciendi in communi: ergo modus sciendi in communi, & prout sub se comprehendit tria prædicta instrumenta sciendi, adæquatur cum Logica in tota sua latitudine. Probatur minor; nam ad tria reducuntur omnia, quæ de qualibet re possumus ignorare, scilicet, ad essentiam, ad partes, & ad proprietates; sed hæc omnia adæquatè nobis manifestantur per tria prædicta instrumenta sciendi, modo explicato in summulis, agendo de modo sciendi; ergo per tria prædicta instrumenta sciendi habemus quidquid requiritur ad cognitionem cujuscumque rei, & consequenter modus sciendi in communi est objectum adæquatum in tota Logica.

25 Quòd autem hæc ultima conditio non conveniat syllogismo probatur: quia Logica in tota sua latitudine non solùm agit de syllogismo, & de pertinentibus ad ipsum sed etiam de definitione, & divisione, quæ neque sunt syllogismus, neque ad syllogismũ pertinent; ergo syllogismus non adæquatur cum Logica in tota sua latitudine. Quòd definitio, & divisio non pertineant, neque reducantur ad syllogismum (quod negant tenentes, syllogismum esse objectum

adæquatum in tota Logica) dupliciter ostenditur. Primo, quia sine tractatu de definitione, & divisione traditur Arist. in sua Logica perfectam notitiam syllogismi, tam secundum se formaliter, quàm secundum suas partes subjectivas, & integrantes materialiter, tam proximè, quam remotè, ut patet ex dictis in prima conclusione; ergo notitia de definitione, & divisione nullatenus ordinatur ad syllogismum. Secundò, quia etiam si repugnaret syllogismus, posset dari scientia de definitione, & divisione, quæ scientia vocaretur Logica, quia esset in ordine ad scientias comparandas: sed in tali casu non consideraret Logica definitionem, & divisionem in ordine ad syllogismum: ergo neque nunc considerat illas in ordine ad syllogismum. Patet consequentia; quia in tali casu eadem ratio formalis, & eędem proprietates definitionis, & divisionis considerarentur à Logica: ergo si tunc per se considerarentur à Logica independenter à syllogismo, etiam nunc eodem modo considerantur, & consequenter nullatenus considerantur in ordine ad syllogismum.

29 Arguunt contra aliqui Scotistæ, tenentes, syllogismum in communi esse obiectum adæquatum totius Logicæ, non verò modum sciendi in communi; modus sciendi non est univocus syllogismo definitioni, & divisioni, sed analogus, quia ratio formalis modi sciendi propriè convenit syllogismo; impropriè verò, & in ordine ad illum definitioni, & divisioni: ergo modus sciendi non est objectum Logicæ, sed syllogismus. Probatur antecedens; quia modus sciendi est oratio ignoti manifestativa in ordine ad scientias comparandas; sed hoc solum convenit propriè syllogismo, impropriè verò definitioni, & divisioni, & in ordine ad syllogismum quatenus scilicet possunt deservire ad conficiendum illum: ergo solum syllogismus est propriè modus sciendi; definitio autem, & divi-

divisio impropriè, & in ordine ad illum: ergo modus sciendi in communi non est univocus illis, sed analogus, & consequenter non modus sciendi, sed syllogismus est obiectum totius Logicæ.

37 Respondetur negando antecedens, ad cujus probationem negamus, quod esse ignoti manifestativum in ordine ad scientias comparandas, non conveniat propriè definitioni, & divisioni, verum tamen est, quod ratio modi sciendi in communi contrahitur ad syllogismum per differentiam perfectiorem, quam ad definitionem, & divisionem, nam ad syllogismum contrahitur in ordine ad scientias comparādas stricto modo, scientia enim strictè sumpta, per syllogismum acquiritur; ad definitionem verò, & divisionem contrahitur in ordine ad scientias comparandas lato modo, quod nullatenus opponitur univocationi, ut patet in animali, quod est univocum homini, & bruto, licet per differentiam perfectiorem contrahatur ad hominem, quàm ad brutum.

27 Deinde potest retorqueri argumentum in contrarios: nam sola demonstratio est ignoti manifestativa in ordine ad scientias strictè comparandas, nam scientia strictè sumpta est actus, vel habitus per demonstrationem causatus; ergo sola demonstratio, & non syllogismus in communi debet poni pro objecto adæquatè Logicæ, quod est contra ipsos; sed ipsi asserunt, hoc non obstante, quòd syllogismus in communi, prout comprehendit etiam syllogismum topicum, v. gr. est objectum adæquatum Logicæ: ergo ad rationem formalem objecti Logicæ non requiritur, quod sit aliquid manifestativum ignotis in ordine ad scientias strictè comparandas. Quidquid nobis respondeant, nos ipsis possumus respondere. Si enim dicant, quòd in scientiis non solum dantur veritates determinatæ certæ, quæ per demonstrationem causentur;

sed

sed etiam veritates, probabiliter certæ; quæ causentur per syllogismum topicum, ideoque in Logica, quæ tradit modum cognoscendi omnia, quæ sunt cognoscibilia in scientia, non poni demonstrationem pro obiecto adæquato, sed syllogismum, prout etiam comprehendit topicum, etiam nos respondemus, quòd in scientiis non solum sunt veritates, quæ cognoscantur de obiecto per syllogismum, sed etiam veritates, quæ necessariò debent præcognosci de eodem objecto scientiæ, scilicet, ejus essentia, & partes, & tales veritates cognoscuntur per definitionem, & divisionem independenter à syllogismo. Videantur, quæ diximus in summulis, loquendo de modo sciendi, nam ibi hoc sufficienter manet explicatum, ideòque non est opus hic illud repetere.

19 Alia via arguit contra nostram conclusionem quidam Eminentissimus Thomista; Modus sciendi in communi non comprehendit sub se omnia, de quibus per se agit Logica; ergo non est objectum adæquatum Logicæ. Probatur antecedens, quia non continet sub se propositionem, neque prædicabilia; sed de his agit Logica per se, ergo modus sciendi non comprehendit omnia, de quibus per se agit logica. Respondetur negando antecedens, & maiorem probationis, nam propositio attingitur à Logica prout est pars syllogismi, neque enim Aristot. egit de illa, nisi quatenus ad syllogismum, quem in sua Logica intendebat explicare, pertinet de universalibus etiam agit Logica, prout pertinent ad claram notitiam prædicamentorum, quæ sunt materia remota syllogismi, & hoc fuit intentum Porphyrii illorum Authoris qui de illis egit instantia Chrysaori, qui cum Arist. categorias perlegisset, ibique quasdam sibi ignotas voces invenisset, rogavit Porphirium, ut in ea re alicuius sibi foret auxilii, unde non pertinent similiter ad Logicam, sed tan-

tum secundum quid, nam si simpliciter pertinerent, neque Arist. neque ipse Porphyrius, absque illis Dialecticam, seu Logicam adipisci potuissent, sicut de facto adepti sunt, non tamen potest negari, quòd tractatus universalium est valdè utilis ad Logicam, & quantum ad intelligentiam prædicamentorum (quorum series ex generibus, speciebus, & differentiis, & aliquando ex accidentibus propriis, quæ loco differentiarum ponuntur) constituitur, & quantum ad definitiones, quarum definitum est species, & dantur per genus, & differentiam, & quantum ad divisiones, quæ vel sunt generis in species, vel subjecti in accidentia, &c. ex quibus facilè respondetur ad aliquas replicas, quæ possunt fieri.

30 Specialiter tamen sic potest replicari per simile nostræ rationi num. 25. positæ: etiam si repugnaret syllogismus, sed modus sciendi, posset dari scientia de propositione, illam per se, & secundum suas proprietates considerando, sicut nunc consideratur: sed talis scientia esset Logica: ergo independenter à syllogismo, seu modo sciendi, consideraret Logica propositionem: ergo eodem modo nunc illam considerat: ergo modus sciendi in communi non comprehendit sub se propositionem, ut tractatur à Logica, & consequenter modus sciendi in communi non est objectum adæquatum Logicæ. Respondetur primo, negando suppositum majoris, in illa enim supponitur esse possibilem scientiam, repugnantem modo sciendi, quod in ipsis terminis implicat. Secundò respondetur, admisso hoc impossibili, negando minorem; nam si daretur prædicta scientia de propositione, quæ per se illam consideraret, nullatenus esset Logica; quia deficeret ratio formalis objecti Logicæ, quæ est modus sciendi, nam propositio non includit in se formaliter rationem modi sciendi; propter quod dicimus, quòd neque

que nunc attingitur per se à Logica, nam Logica tantum per se agit de illis, quę in se includunt rationem formalem modi sciendi, ut sunt syllogismus, definitio, & divisio, de propositione autem, & de aliis tantum agit per accidens, & in quantum sunt materia syllogismi, seu modi sciendi, ad quem reducuntur.

31 Aliter arguit quidam Scotista, si modus sciendi esset objectum adæquatum Logicæ, eo esset, quia est commune univocum instrumentis sciendi, & quod latius patet in aliqua scientia, debet poni pro objecto adæquato illius: sed hæc ratio non est sufficiens: ergo modus sciendi in communi non est objectum adæquatum Logicæ. Probatur minor, quia oratio est communis univocè instrumentis sciendi, & latius patet, quam modus sciendi in communi: sed oratio in communi non ponitur pro objecto adæquato Logicæ. ergo neque modus sciendi in communi. Respondetur negando minorem, ad probationem dicimus, quòd est maxima diferentia inter orationem in communi, & modum sciendi, nam oratio in communi se extendit ad plura, quæ per se non tractantur in Logica, & sic non debet poni pro obiecto adæquato Logicæ, quia excedit ipsam Logicam; modus autem sciendi non se extendit ad aliqua, quæ per se non attinguntur à Logica; & sic debet poni pro obiecto adæquato Logicæ, quia neque Logicam excedit, neque exceditur ab illa; nam solum debet poni pro obiecto adæquato alicuius scientiæ, quod est commune, & latius patet inter illa, quæ per se attinguntur ab illa scientia, aliàs, ratio entis in communi deberet poni pro obiecto adæquato cuiuscumque scientiæ; nam est ratio communis univoca, respectu omnium, quæ in scientia tractantur, & latius patet, quam quodcumque aliud, de quo agitur in scientia, quod quàm absurdum sit, quisque videat.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

Utrùm Logica versetur circa modum sciendi formale, vel obiectivum.

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est, quod modus sciendi formalis est actus intellectus taliter tendens circa aliqua obiecta disposita juxta regulas logicæ docentis, & objecta taliter disposita, sunt modus sciendi obiectivus, v. g. quando conficitur syllogismus; tres actus intellectus in tali forma dispositi, sunt syllogismus formalis, id autem, quod affirmatur, vel negatur, vel deducitur, ut tali ordine, & dispositione, terminat prędictos actus intellectus est syllogismus obiectivus, qui etiam dicitur ab aliquibus actus passivus, & syllogismus formalis actus activus. Hoc notato.

2 Est triplex sententia circa hanc difficultatem. Prima asserit, Logicam solum agere per se de syllogismo formali, quam communiter tenent Jesuitæ, & quidam subtilis Scotista in manuscriptis, licet alia via procedat, ac Jesuitæ. Secunda tenet, logicam solum per se agere de syllogismo obiectivo. Tertia affirmat, logicam per se agere de syllogismo in communi, prout sub se comprehendit, tam syllogismum formalem, quam obiectivum. Circa has duas sententias sunt divisi Scotistæ. Adverte, quod quidquid dicitur de syllogismo, intelligendum est de quolibet modo sciendi, quia eadem est ratio.

3 Dicimus: Logica agit per se, tam de syllogismo formali, quam obiectivo: Hæc conclusio stat pro tertia sententia. Probatur primò: quia de illo per se agit Logica, quod habet rationem, & dispositionem syllogisticam: sed tam syllogismus formalis, quam obiectivus, habet rationem, & dispositionem syllogisticam: ergo de utro-

utroque syllogismo per se agit Logica. Probatur minor; quia sicut operationes intellectus habent formam syllogisticam, quia conformantur cum regulis Logicæ docentis, ita obiecta talium operationum habent dispositionem syllogisticam, quia conformantur cum ipsis regulis; ergo tam syllogismus formalis, quam obiectivus habent dispositionem syllogisticam; & consequenter de utroque per se agit Logica.

4 Respondent pro prima sententia, syllogismum obiectivum solum esse obiectum materiale Logicæ; non vero formale, quia non ratione sui attingitur a Logica, sed ratione dispositionis syllogisticæ, quæ est extrinseca quædam denominatio proveniens ab actibus intellectus in forma syllogistica dispositis: & sic solus syllogismus formalis est obiectum formale Logicæ, quia attingitur a Logica ratione sui. Sed contra; quia ex hoc sequeretur, etiam syllogismum formalem esse obiectum materiale Logicę. Probatur sequela; quia ex eo, juxta prædictam responsionem, syllogismus obiectivus est obiectum materiale Logicæ, quia attingitur a logica ratione dispositionis syllogisticæ, quæ est denominatio extrinseca proveniens a syllogismo formali; sed etiam conceptus formales attinguntur a logica ratione dispositionis syllogisticæ, quæ etiam est denominatio extrinseca proveniens illis a directione logicæ docentis; ergo si propter hanc rationem syllogismus obiectivus esse obiectum materiale logicæ, idem dicendum esset de syllogismo formali; sed hoc non obstante, in prædicta sententia, syllogismus formalis est obiectum formale logicæ; ergo idem dicendum est de syllogismo obiectivo.

5 Probatur secundo conclusio; quia plura sunt in logica, quæ non possunt reduci ad syllogismum formalem, & plura, quæ non possunt reduci ad syllogismum obiectivum, & omnia reducuntur ad syllogismum, ut est quid commu-

mune, sub se comprehendens obiectivum, & formalem: ergo logica agit per se de syllogismo, prout utrumque comprehendit. Probatur antecedens, quoad primam partem; nam logica agit per se de syllogismo, qui constat triplici propositione, quarum quælibet componitur ex subiecto, & prædicato, & omnes ex majori, a ut minori extremitate, & medio taliter, vel taliter dispositis: sed hæc omnia non possunt reduci ad syllogismum formalem, quia actus intellectus non ponuntur tamquam subiectum, vel prædicatum, neque tamquam medium, major, aut minor extremitas; cum nullus actus intellectus de alio prædicetur; ergo de pluribus agit logica, quæ non possunt reduci ad syllogismum formalem. Probatur antecedens quoad secundam partem; quia logica per se agit de syllogismo, prout componitur ex propositionibus affirmativis, vel negativis, sed hæc non conveniunt syllogismo obiectivo, quia affirmare, vel negare solum convenit actibus intellectus, non vero eorum obiectis; ergo de pluribus agit Logica, quæ non possunt reduci ad syllogismum obiectivm; sed hæc omnia reducuntur ad syllogismum in communi, prout comprehendit obiectivum, & formalem; ergo de syllogismo in hoc sensu agit per se Logica.

6 Arguunt contra pro prima sententia; si Logica ageret per se de syllogismo obiectivo, ageret de omni ente, tam reali, quam rationis; sed hoc est proprium Metaphysicæ; ergo Logica non agit per se de syllogismo obiectivo. Probatur maior; quia syllogismus obiectivus nihil allud est, quam obiectum syllogismi formalis; sed tam ens reale, quam rationis potest esse obiectum syllogismi formalis; ergo si Logica ageret per se de syllogismo obiectivo, ageret de omni ente, tam reali, quam rationis. Respondetur, quod Logica agit de omni ente sub diversa ratione, hac metaphysica, nam metaphysica agit

agit de illo secundum se, logica verò quatenus est dispositum in forma syllogistica, ex quo patet differentia, & facilè potest responderi ad argumentum in forma. Deinde potest retorqueri argumentum in contrarios; nam si logica agit de syllogismo formali: ergo agit de actibus intellectus: sed hoc pertinet ad libros de anima: ergo Logica non agit per se de syllogismo formali. Ad quod solum respondent, sicut nos ad suum argumentum, quod logica agit de actibus intellectus ut dispositis in forma syllogistica in libris verò de anima agitur de illis secundum se. Unde sufficienter tenet contra illos nostra responsio.

7 Arguunt contra: syllogismus objectivus non habet formam syllogisticam ratione sui, sed ratione syllogismi formalis, & per denominationem extrinsecam provenientem ab illo: ergo licet Logica agat de syllogismo objectivo, prout habet talem dispositionem, non agit de illo ratione sui, sed ratione syllogismi formalis. Patet consequentia, quia ratione syllogismi formalis habet rationem, sub qua attingitur à Logica; Ergo non ratione sui, sed ratione syllogismi formalis attingitur à Logica. Respondetur negando consequentiam; & ad probationem dicimus, verum esse, quod syllogismus objectivus ratione formalis habet illam dispositionem syllogisticam, sub qua attingitur à Logica; falsum tamen, ex hoc sequi, quod attingatur à logica ratione syllogismi formalis, nam solum sequitur, quòd à Logica attingatur ratione illius dispositionis, quam habet à syllogismo formali, non quatenus illam habet ab illo, sed quatenus talis dispositio est conformis regulis Logicæ docentis.

8 Ut aliqua argumenta solvantur, advertere opportet, quod quando Logica per se agit de syllogismo formali, agit etiam per accidens de syllogismo objectivo, quatenus propter conne-

xio-

xionem, quam habent inter se, potest aliquomodo dicit de obiectivo, quod dicitur de formati, v. gr quando Logica docet, quod syllogismus debet constare propositionibus affirmativis, quod est proprium syllogismi formalis, potest etiam per accidens dici de syllogismo obiectivo, quod constat propositionibus affirmativis. Similiter, quando Logica agit de syllogismo obiectivo per se, & ut *quod*, egit etiam de syllogismo formali per accidens, & ut *quo*, propter eandem connexionem, v. gr. quando logica docet, quod syllogismus debet constare maiori, & minori extremitate, & medio taliter dispositis, quod per se, & ut *quod* convenit syllogismo obiectivo; potest etiam dici de syllogismo formali, quod constat maiori, & minori extremitate, & medio taliter dispositis per accidens, & ut *quo*.

9 Arguunt 1. pro secunda sententia: Nulla potentia, nullusque habitus, nec naturalis, nec supernaturalis, nec artificialis, habet per obiecto, nisi id, ad quod tendit mediis actibus: ergo idem dicendum est de Logica: sed Logica non comparatur ad actus directos mediante actu, sed immediatè; quoniam actus directi non sunt reflexè cogniti per alios actus, sed directè, & immediatè eliciti à Logica, sicut qui eliciuntur directè à potentiis, & habitibus, tam naturalibus, quam supernaturalibus, & artificialibus: ergo sicut nullus eorũ habet pro obiecto partiali actus, ita neque logica. Respondetur negando paritatem, quia actus, tam potentiarum, quam prædictorum habituum, non habent rationem formalem objecti, neque de illis demonstrantur passiones à potentia, vel habitibus, sed tantum de illis obiectis, quę per actus directos attinguntur, at verò actus directi Logicæ habent in se rationem formalem obiecti Logicæ, & de illis demonstrat Logica aliquas passiones, ut dictum est in nostra ratione; unde, licet in aliis habitibus nõ ponatur pro obiecto, nisi quod attingitur mediis

acti-

actibus directis ; in Logica tamen, non solum debet poni pro objecto, quod attingitur mediis actibus directis, ut est syllogismus obiectivus ; sed etiam quod attingitur mediis actibus reflexis, ut est syllogismus formalis. Vel aliter potest dici, quod semper Logica tendit in suum objectum, licet sit syllogismus obiectivus, mediis actibus reflexis intellectus; quia ut dictum est, syllogismus obiectivus habet formam syllogisticam per denominationem extrinsecam provenientem ab actibus directis intellectus, qui sunt syllogismus formalis, & postea per actus reflexos considerat Logica talem formam syllogisticam in objectis, & de illa demonstrat passiones, quod est peculiare Logicæ, ut distinctæ ab aliis habitibus.

10 Arguunt 2. syllogismus formalis dicit ordinem ad objectivum, ut ad eius objectum; ergo Logica considerat syllogismum formalem per ordinem ad objectivum, & consequenter syllogismus obiectivus attenditur per se à Logiva, non verò syllogismus formalis. Respondetur distinguendo antecedens, syllogismus formalis dicit ordinem ad obiectum, ut ad objectum attributionis Logicæ, nego: ut ad proprium objectum, & mensuram extrinsecam operationum intellectus, quibus constat, concedo, & nego consequentiam. Similiter potest fieri argumentum contra syllogismum obiectivum, quia etiam habet connexionem cum formali; sed eodem modo respondetur, scilicet, quòd habet connexionem cum formali, tanquam cum suo actu; non tamen tanquam cum suo obiecto attributionis.

QUÆ-

QUÆSTIO VIII.

Utrùm obiectum Logicæ pro formali sit quid reale, vel rationis?

1 NOn inquirimus in præsenti, an obiectum Logicæ, sit omne ens reale, seu omne ens rationis, nam supponitur tanquam certum, obiectum formale Logicæ esse aliquod inferius entis realis, vel rationis; unde sequitur, quod ratio sub qua obiectum Logicæ attingitur à Logica non est ratio entis realis, vel rationis ut sic; alias omne, quod haberet rationem entis realis, vel entis rationis esset obiectum formale Logicæ; quod non est dicendum; ex quo ulterius sequitur, non rectè ab aliquibus controverti, an obiectum Logicæ attingatur à Logica sub ratione entis realis, vel rationis? Nisi hoc modo intelligatur, an ratio *sub qua* Logica attingit suum obiectum, sit in se aliquid reale, vel rationis? Sed in re utraque interrogatio idem valet, licet in nomine aliud, & alıud sonet.

2 Pro clariori autem intelligentia quæstionis supponendum est, rationem sub qua Logica attingit suum objectum, esse rationem formalem modi sciendi, vel syllogismi: ad quod non obstat, quod materia, de qua agit, seu circa quam versatur Logica, sit ipse modus sciendi, vel syllogismus, nam quando materia, circa quam versatur aliqua scientia, est talis natus; quod unica tantum scientia c rca illam versetur, non debet distingui ipsa materia à ratione formali sub qua attingitur à prædicta scientia, sed ipsa est materia, quæ attingitur, & ratione sui attingitur, cuius ratio est, quia ideo assignatur ratio formalis, sub qua aliqua materia attingitur à aliqua scientia, ut talis scientia distinguatur à qualibet alia, quæ etiam attingit prædi-

dictam materiam, sub alia ratione formali sub qua; sed quando unica tantum scientia versatur circa aliquam materiam, eo præcisè, quod circa illam versetur, distinguitur à qualibet alia scientia; ergo in tali casu nulla est necessitas assignandi rationem formalem sub qua attingatur à tali scientia distinctam ab ipsa materia: sed huiusmodi est modus sciendi, vel syllogismus, nam est materia, circa quam versatur Logica, & nulla alia scientia versatur circa illum: ergo nulla est necessitas assignandi in obiecto logicæ rationem formalem sub qua attingatur a logica, distinctam ab ipso modo sciendi vel syllogismo. Hoc supposito, quod inquirimus est, an ratio formalis modi sciendi, vel syllogismi sit quid reale, vel rationis?

3 Circa quod Merinerus quæst. 4. procem. tenet, rationem formalem modi sciendi, vel syllogismi, prout est obiectum logicæ, esse ens rationis. Poncius verò disp. 2. Logicæ q. 5. asserit, talem rationem non esse ens rationis. Pro quibus sententiis uterque adducit quam plures Authores; ideòque Scotistæ in manuscriptis ferè æqualiter sunt divisi.

4 Dicimus ergo: Obiectum Logicæ, scilicet, modus sciendi, seu syllogismus, non est pro formali quid rationis, imò est quid reale. Hæc conclusio stat pro secunda sententia. Probatur, omissis aliis, ac unica ratione: ratio formalis syllogismi, seu modi sciendi, est illa dispositio, quæ advenit entitatibus materialibus, iuxta regulas logicæ docentis; sed talis dispositio est aliquid reale: ergo modus sciendi, seu syllogismus pro formali, est aliquid reale. Probatur minor: quia prædicta dispositio causat verum effectum realem: sed effectus realis necessariò petit causam realem: ergo prædicta ordinatio est aliquid reale. Probatur minor: nam modus sciendi, seu syllogismus sic ordinatus generat scientiam: sed scientia est aliquid reale: ergo

cau-

causat effectum realem. Probatur maior; nam si ab entitatibus materialibus auferatur talis dispositio, non causant scientiam; ut patet in hoc syllogismo; *Omnis homo est animal, omne sensibile est animal*; ergo *omne sensibile est homo*; per quem non generatur scientia, quia non est dispositus juxta regulas logicæ docentis; si autem juxta prædictas regulas disponantur, hoc modo; *Omne animal est sensibile*; *omnis homo est animal*; ergo *omnis homo est sensibilis*, generat scientiam; ergo modus sciendi, seu syllogismus ordinatus juxta regulas logicæ docentis, generat scientiam, quæ est quid reale; & consequenter modus sciendi; seu syllogismus pro formali est quid reale.

5 Neque obstat, si dicant, talem dispositionem modi sciendi, non esse causam scientiæ; sed tantum conditionem, sine qua non causarent scientiam objecta materialia. Nam contra est; quia non minus requiritur, quòd sit realis conditio *sine qua non* ad causandum effectum realem, quam ipsa causa; ergo licet talis dispositio sit tantum conditio *sine qua non* ad causandam scientiam, necessariò erit quid reale. Probatur antecedens; quia licet approximatio ignis ad passum, v. gr. sit tantum conditio sine qua non combureret ignis passum, tamen tam realis debet esse approximatio, quam ipse ignis non autem sufficit, quòd sit ficta ab intellectu, ut ex se patet, nam aliàs ignis existens Matriti, posset comburere passum existens Romæ, per hoc præcisè, quòd intellectus fingeret approximationem, quod est absurdum; ergo ad causandum effectum realem, tam realis debet esse conditio sine qua non, quam ipsa causa, & consequenter licet dispositio modi sciendi sit tantum conditio *sine qua non* ad causandam scientiam realem, debet esse realis.

6 Respondent aliqui Scotistæ cum Merinero

citato, talem dispositionem, seu directionem passivam modi sciendi, seu syllogismi, esse denominationem extrinsecam provenientem à Logica docente, tam actibus intellectus, qui sunt modus sciendi formalis, quàm obiectis prædictorum actuum; quæ sunt modus sciendi objectivus, & cum talis extrinseca denominatio nihil intrinsecum ponat in actibus intellectus, neque in objectis, & à Logico consideretur ut quid intrinsecum in illis, necessariò erit, prout attingitur à Logica, ens rationis.

7 Sed contra est primò; quia syllogismus, vel modus sciendi consideratur à Logica, ut est causa, vel conditio ad acquirendam scientiam? sed hoc habet, quin consideretur ejus dispositio ut quid intrinsecum in rebus: ergo quod consideretur ut quid intrinsecum, non est quid pertinens ad Logicam. Probatur minor, quia syllogismus in tantum pertinet ad acquirendam scientiam, in quantum habet tres propositiones, v. gr. tali vel tali modo dispositas; sed hoc habet, quin ejus dispositio consideretur ut quid intrinsecum in rebus: ergo syllogismus pertinet ad acquirendam scientiam, quin consideretur ejus dispositio ut quid intrinsecum in rebus. Probatur minor; nam hic syllogismus, v. gr. *Omnis homo est animal; Petrus est homo;* ergo *Petrus est animal*, hoc ipso, quòd sic conficiatur, etiam si nullus intellectus consideret, imò etiam si repugnaret quod intellectus consideraret suam dispositionem ut quid intrinsecum in rebus, habet tres propositiones tali, vel tali modo dispositas; ergo syllogismus habet prædictam dispositionem; quin consideretur ut quid intrinsecum in rebus, & consequenter, ut pertinet ad Logicam, est quid reale, non verò quid rationis.

8 Contra secundo: Nam sicut Logica dirigit, & ordinat operationes intellectus; ita Philosophia moralis dirigit operationes voluntatis:

sed

sed Philosophia moralis non considerat illam directionem ut quid intrinsecum in actibus voluntatis, aut in illorum objectis; ergo neque logica considerat illam directionem ut quid intrinsecum in actibus intellectus, aut in illorum objectis. Consequentia tenet à paritate, quia sicut actus voluntatis diriguntur à Philosophia morali ad consecutionem ultimæ felicitatis, quæ est finis illius, ita operationes intellectus diriguntur à Logica ad consecutionem aliarum scientiarum, quæ est finis illius: sed actus voluntatis, eo præcisè, quod terminent directionem activam Philosophiæ moralis, absque eo quod directio passiva illorum consideretur, ut quid intrinsecum in illis, aut illorum objectis, sufficiunt ad consecutionem ultimæ felicitatis: ergo similiter actus intellectus eo præcisè, quod terminent directionem activam Logicæ docentis, absque eo quod directio passiva illorum consideretur ut quid intrinsecum in illis, aut in illorum objectis, sufficiunt ad consecutionem aliarum scientiarum: sed ut ordinantur ad talem consecutionem, sunt objectum Logicæ: ergo Logica non considerat suum objectum, seu dispositionem illius, ut quid intrinsecum in rebus & consequenter objectum Logicæ pro formali non dicit quid rationis, sed quid reale.

9 Arguunt 1. Modus sciendi consideratur à Logica ut ordinatus & dispositus: sed in tali consideratione efficit ens rationis: ergo modus sciendi, prout consideratur à Logica, est ens rationis. Probatur minor: nam à parte rei non est talis ordinatio: ergo quando consideratur à Logico, ut quid existens in rerum natura, fabricatur ens rationis. Probatur antecedens, nam in propositionibus alicujus syllogismi, v. g. nullus est ordo à parte rei, cùm quælibet habeat suum perfectum sensum independenter ab alia: ergo à parte rei non est ordinatio modi sciendi, & consequenter, si consideretur una propositio in or-

dine ad aliam, consideratur res aliter, ac est à parte rei, & sic fit ens rationis.

10 Plura æquivoca involuit hoc argumentum, ideòque ad auferendam æquivocationem, notandum est; aliud esse rationem formalem, sub qua attingitur objectum Logicæ, & aliud actualem considerationem illius; nam ratio formalis obiecti præsupponitur ad actualem considerationem, unde quidquid provenit objecto ab actuali consideratione, non pertinet ad rationem formalem illius, v.g. objectnm Physicæ est corpus sub ratione naturalitatis, quæ ratio præsupponitur in tali objecto ad actualem considerationem illius, & sic, quidquid provenit illi ab ipsa actuali consideratione, nullatenus pertinet ad rationem formalem objecti Physicæ. Hoc supposito.

11 Facilè respondetur ad argumentum, concedendo, quod Logicus considerat modum sciendi taliter ordinatum, & dispositum, sed talis ordinatio præsupponitur ad ipsam actualem considerationem: quæ ordinatio est ratio formalis objecti Logicæ, & tantum consistit in denominatione extrinseca proveniente a regulis Logicæ docentis immediatè actibus intellectus, qui sunt modus sciendi formalis, & his mediis, objectis eorum, quæ sunt modus sciendi objectivus; quæ denominatio est realis, & à forma reali proveniens, quando autem dicunt, quod talis ordinatio non est à parte rei, & sic quando propositiones ordinantur per intellectum, considerarur res aliter ac est, negamus hoc; quia quando tales propositiones ordinantur, non consideratur dispositio illarum, sed fit talis dispositio, & tunc verè est à parte rei, licet antea non esset, quod contingit in quolibet effectu, qui non est à parte rei, antequam producatur; solum autem potest concedi, quod Logicus in consideratione sui obiecti conficit ens rationis, quia propter imperfectionem intellectus, consi-

de.

derat prædictam dispositionem (quæ cùm sit, ut dictum est, denominatio extrinseca, nihil intrinsecum ponit in rebus) ut quid intrinsecum ipsis rebus inhærens; ex quo nullatenus sequitur, quod objectum logicæ sit ens rationis; quia solum est objectum in quantum dicit illam denominationem extrinsecam, aut dispositionem in forma modi sciendi, quæ ut dictum est, est quid reale proveniens à forma reali; sed tantum sequitur, quod Logicus conficiat ens rationis in consideratione sui objecti, quod per accidens se habet ad obiectum, cùm præsupponatur, secundum suam rationem formalem, ad talem considerationem. Et deinde, si intellectus perfectè conciperet talem dispositionem, seu denominationem extrinsecam, ut est in se, non conficeret ens rationis, & tamen talis dispositio esset obiectum logicæ. Ex quo facilè respondetur ad alia similia argumenta.

12 Arguunt 2. Ens rationis nihil aliud est, quam id, quod habet esse ab intellectu: sed modus sciendi habet esse ab intellectu: ergo modus sciendi est ens rationis. Respondetur negando maiorem; quia non omne, quod habet esse ab intellectu est ens rationis; nam actus intellectus habent esse ab intellectu, & non sunt ens rationis, sed ens reale; solum enim est ens rationis, quod tantum habet esse obiectivè in intellectu, cuiusmodi non est modus sciendi, nam dispositio, in qua consistit, est denominatio extrinseca, ut dictum est, proveniens à Logica docente, vel ab actibus intellectus, quæ habet esse antequam sit obiectivè in intellectu, quod contingit in qualibet denominatione extrinseca proveniente ab aliquo actu intellectus, quæ habet esse per actum directè aliquod obiectum cognoscentem, & non habet esse obiectivè in tali actu: sed postea cognoscitur talis denominatio per actum reflexum, & in illo habet esse obiectivè, sive cognoscatur ut est, sive aliter

ac est; ex quo non sequitur, quod sit ens rationis ex vi primi actus; per quem habet suum esse. Idem dicimus de denominatione extrinseca, in qua consistit ratio formalis modi sciendi, ut dictum est.

13 Arguunt 3. ex Aristot. 4. Metaph. text. 5. tam Logica, quàm Metaphysica versantur circa omne ens: sed Metaphysica versatur circa illud secundum esse, quod habet à parte rei sine fictione intellectus: ergo Logica, ut à Metaphysica distinguatur, debet versari circa illud, secundum esse, quod habet fictum ab intellectu, & consequenter, ut ens rationis est. Patet consequentia; quia duo tantum sunt genera prædicatorum enti convenientium, unum independenter ab intellectu, quod est reale, & pertinet ad Metaphysicam, & aliud dependenter ab intellectu, quod est rationis, & debet convenire Logicæ. Respondetur, verum esse, quod tam Logica, quam Metaphysica versantur circa omne ens, sed hoc sub diversis rationibus, nam Metaphysica versatur circa ens reale per se, & tanquam circa proprium suum objectum, & versatur circa ens rationis per accidens, tanquam circa oppositum enti reali, quod est suum objectum: at verò Logica versatur circa ens reale, & rationis, tanquam circa materiam extrinsecam, disponibilem in forma modi sciendi: circa quam formam primò, & per se versatur Logica, quod sufficit, ut Logica distinguatur à Metaphysica; unde non quodlibet genus prædicatorum pertinet ad quamlibet ex prædictis scientiis; sed utrumque genus ad utramque scientiam sub diversis rationibus assignatis.

14 Arguunt 4. Logica dicitur scientia rationalis: ergo idem est, quia habet pro objecto ens rationis. Respondetur negando consequentiam quia non ex eo dicitur Logica scientia rationalis, quia habet pro objecto ens rationis; sed quia docet ratiocinare artificialiter mediis suis regulis,

lis, in quo differt ab aliis ſcientiis, quæ etiam, ſi aliquomodo dirigant operationes intellectus circa ſua objecta, miniſtrando materiam; non tamen tradendo modum, ſeu regulas, quibus artificiosè diſponantur prædictę operationes intellectus ad acquirendas prædictas ſcientias; nam hoc eſt peculiare ſolius Logicæ.

15 Aliqui Scotiſtæ oppoſitum tenentes, arguunt ex Scoto quæſt. 3. Prologi 2. laterali, §. *Contra iſtas, Verſ. Contra viam*, ſub litt. H, dicente; *Reſpectus ad extra eſt reſpectus rationis: ſed ſcientia non conſiderans objectum ſuum ſub ratione reali, non eſt realis, ſicut nec Logica eſt realis, licet conſideret de rebus, ut eis attribuuntur intentiones ſecunda*: ergo ſecundum Scotum objectum Logicæ eſt ens rationis. Reſpondetur, quòd Scotus loco citato, ut poteſt videri in ipſa littera, arguit contra aliquos afferentes, reſpectu ad extra in Deo eſſe objectum Theologiæ, & propter hoc, tunc dixit, Logicam non eſſe ſcientiam realem, quia hæc erat recepta ſententia illis temporibus, & fortè ab illis Authoribus, contra quos arguit Scotus, admiſſa: in quo ſenſu habet vim argumentum Scoti contra illos; nam reſpectu ad extra in Deo ſunt entia rationis, ex quo infert Scotus: ergò ſi Logica non eſt ſcientia realis, ſed rationis, eo quod habeat pro objecto ens rationis, ut tunc tenebat communior ſententia, neque Theologia erit ſcientia realis, ſed rationis, ſi habet pro obiecto prædictos reſpectus ad extra, quod benè ſequitur: ſed non ſequitur ex hoc mens Scoti circa hanc difficultatem; nam loquitur, ut dictum eſt, ſupponendo prædictam ſententiam ex mente aliorum.

16 Advertetamen, quod ſi aliquando dixit Scotus, Logicam eſſe ſcientiam rationis, quod non debet intelligi formaliter (nam ut ſic eſt habitus realis; ſed tantum denominativè ab objecto) hoc intelligitur, non quia habet pro

objecto, ens rationis in rigorosa acceptione sumptum; sed quia habet pro objecto denominationes extrinsecas provenientes ab actibus intellectus, qui dicuntur actus rationis: quæ denominationes dicuntur secundæ intentiones, vel quia tales denominationes sunt fundamentaliter ens rationis, eò quod intellectus considerando illas ut quid intrinsecum in rebus, facit ens rationis; in quo sensu loquitur Scotus de ente rationis pluribus in locis, ut dictum est disp. de ipso ente rationis.

17 Ex dictis in hac, & duabus præcedentibus quæstionibus, habemus objectum adæquatum formale, & attributionis Logicæ esse modum sciendi in communi prout sub se comprehendit definitionem, divisionem, & argumentationem, seu syllogismum, tam objectivas, quam formales, & hoc loquendo de logica in tota sua latitudine, & similiter, syllogismum in communi, prout comprehendit objectivum, & formale, esse objectum adæquatum formale, & attributionis, loquendo de Logica Arist. habemus modum sciendi, & syllogismum esse materiam circa quam versatur Logica, secundum rationem formalem modi sciendi, & syllogismi, quæ ratio non est quid rationis, sed quid reale, licet intentionale. Ex quibus ulterius facilè deducitur, objectum materiale per se, seu formale inadæquatum Logicæ esse quamlibet speciem modi sciendi, vel syllogismi, & inter hæc objecta, principalius esse demonstrationem factam in *Barbara*; quia hic modus, eo quòd habeat omnes propositiones universales affirmativas, perfectiori modo participat illud principium: *Dici de omni*, in quo fundatur forma syllogistica; objectum verò materiale per accidens esse omne ens, cui potest applicari forma syllogismi, seu modi sciendi. Quod omne ex ipsis terminis patet.

QUÆ-

QUÆSTIO XI.

Vtrùm Logica sit una, & quomodo?

1 QUia Logica, sicut quælibet alia scientia, potest dupliciter considerari, scilicet, in esse rei, seu quatenus est quædam qualitas realis, & in esse scientiæ, & in utroque sensu est difficultas, an Logica sit una? Ideò, in duas sectiones, claritatis gratia hanc quæstionem dividemus, supponendo, quòd unum est indivisum in se, & divisum à quolibet alio, & unitas, à qua unum sumit denominationem, vel est numerica, vel specifica, vel generica, vel transcendentalis; unde etiam unum, vel est numericum, vel specificum, vel genericum, vel transcendentale, de quibus alibi commodius. Sit ergo

SECTIO I.

Exagitatur quæstio de Logica in esse rei?

2 NOn loquimur in præsenti de Logica actuali; nam certum est dari plures actus Logicæ, sed de Logica habituali, quæ consistit in quadam facilitate remanente in intellectu e ex frequenti cognitione conclusionum Logicalium, & de hac facilitate, seu habitu inquirimus, an sit indivisibilis, vel divisibilis secundum extensionem? Seu, an sit una simplex qualitas, vel multiplex? Et non loquimur de qualitate habituali acquisita per repetitionem cognitionis unius conclusionis; quia supponitur tanquam certum, juxta communem consensum, hanc esse simplicem, & indivisibilem; sicuti est simplex, & indivisibilis secundum extensionem veritas sui obiecti; sed loquimur de qualitate habituali acquisita per repetitionem cognitionū

omnium conclusionum, quæ ad Logicam pertinent.

3 Neque similiter loquimur de qualitate scientifica, quæ generatur ex repetitione actus scientifici, comparata ad qualitatem opinativam, quæ generatur ex petitione actus probabilis; nam certum est apud omnes, quamlibet scientiam habere conclusiones scientificas, & conclusiones probabiles, quæ generant diversos habitus, non solum specie, sed etiam genere, scilicet opinionem, & scientiam; unde solum controvertitur difficultas de habitu, seu qualitate acquisita per repetitionem actus scientifici, circa omnes scientificas conclusiones.

4 Circa quam difficultatem est triplex sententia. Prima asserit, Logicam habitualem, secundum extensionem esse simplicem, & indivisibilem qualitatem. Sic communiter Thomistæ cum suo Angelico Præceptore 1. 2. quæst. 54. art. 4. & in solutione ad 3. Secunda sententia tenet, Logicam esse unum habitum, seu qualitatem, licet non simplicem, & indivisibilem; sed compositam ex partibus homogeneis inter se physicè unitis. Pro hac sententia communiter citatur Lorca 1. 2. disp. 10. & Rubius quæst. 4. procem. Tertia denique sententia tenet, Logicam non esse unam simplicem, & indivisibilem qualitatem secundum extensionem, sed tot simplices qualitates includere, quot sunt veritates, seu conclusiones, quæ in Logica demonstrantur, quæ quidem simplices qualitates non sunt homogeneæ, & eiusdem rationis; sed eterogeneæ, & diversæ rationis, iuxta diversitatem veritatum, seu conclusionum, & nullatenus inter se physicè unitæ. Hæc sententia in re est omnium Scotistarum cum Scoto quæst. 3. Prologi 2. laterali, §. *Contra istud*, *vers. Ad secundum dico*, sub litt. D. & in 3. dist. 25. quæst. 2. §. *Ad secundum quæsitum*, litt. C. &

C. & aliis in locis ab Scotistis, communiter citatis.

5 Dicimus: Logica in esse rei, seu qualitatis non est una simplex, & indivisibilis qualitas, sed tot simplices qualitates diversæ rationis, quod sunt conclusiones diversæ rationis, quæ in Logica demonstrantur. Hæc conclusio est pro tertia sententia. Probatur primò: quia ubi sunt plures causæ sunt plures effectus: sed demonstratio est causa habitus scientifici in esse rei: ergo ubi sunt plures demonstrationes diversæ rationis, etiam debent esse plures qualitates, seu habitus scientifici diversæ rationis: sed in Logica, ut nullus non concedit, sunt plures demonstrationes diversæ rationis: ergo sunt plures qualitates, seu habitus scientifici diversæ rationis per prædictas demonstrationes acquisitæ.

6 Confirmatur, & simul explicatur prædicta ratio: nam habitus Logicalis acquisitus per repetitionem unius demonstrationis circa unum obiectum, augetur extensivè per repetitionem alterius demonstrationis circa aliud objectum: ergo aliquid additur de novo habitui acquisito per repetitionem primæ demonstrationis: sed id, per quod augetur, est aliqua nova entitas realis: ergo habitus logicalis non est una simplex, & indivisibilis qualitas. Probatur minor, quia secunda demonstratio est vera causa realis: ergo necessariò debet habere aliquem effectum realem: sed hic effectus nequit esse habitus, seu qualitas causata per primam demonstrationem, nam quod semel est productum, nequit iterum produci: ergo est alia qualitas distincta de novo superaddita, & consequenter habitus Logicalis includit tot qualitates simplices, quot sunt veritates, seu conclusiones, quæ in Logica demonstrantur.

7 Qui tenent secundam sententiam, respondent, verum esse, aliquid de novo acquiri per

repetitionem secundæ demonstrationis; hoc tamen non esse qualitatem diversæ rationis, sed eiusdem rationis cum præcedenti, & sic uniri cum qualitate præcedenti, & constituere unum per se, sicut contingit in aliis qualitatibus. Sed hæc responsio plura involvit difficilia; ideoque

8 Contra est primò: quia nulla est necessitas talis unionis physicæ inter prædictas qualitates: ergo non est admittenda. Probatur antecedens; nam, si aliquomodo esset necessaria prædicta unio, maximè, ut habitus logicalis diceretur una scientia: sed ad hoc non requiritur; ergo nullo modo requiritur. Probatur minor; quia ad hoc, ut plures habitus, seu qualitates constituant unam scientiam, sufficit, quod omnes respiciant idem obiectum attributionis; sicut ad hoc, ut Regnum dicatur unum sufficit, quod omnes Provinciæ, seu Populi respiciant unum Regem, & dominio illius subiiciantur, quin inter se aliquomodo physicæ uniantur; ergo ad hoc, ut scientia dicatur una, non requiritur talis physica unio inter prædictas qualitates. Neque ex hoc sequitur; quod scientia constituta ex prædictis qualitatibus, sit unum per accidens, ut intendunt contrarii; nam ad hoc, ut sit unum per se, sufficit unitas attributionis, seu quod omnes habitus, seu qualitates dicant ordinem ad unum obiectum attributionis.

9 Contra secundo: quia videtur impossibilis talis unio physica: ergo non datur. Probatur antecedens: quia tantum duplici modò possunt aliqua physicè uniri ad constituendum unum per se, vel immediatè, quia se habent ut actus, & potentia per se; vel mediatè, medio aliquo indivisibili continuativo; sed neutro modo potest uniri illa qualitas de novo adveniens qualitati præexistenti: ergo est impossibilis talis unio. Prima pars minoris patet: quia prædictæ qualitates non se habent tamquam actus, & po-

potentia per se, præcipuè cùm in sententia contraria sint eiusdem rationis, & actus, & potentia eiusdem rationis nequeant esse. Probatur secunda pars; quia unio, quæ fit medio indivisibili, solum datur inter partes divisibiles secundum extensionem in alias proportionales usque in infinitum, ut dicitur in Physica loquendo de continuo: sed quælibet illarum qualitatum supponitur indivisibilis secundum extensionem: ergo nullatenus possunt inter se uniri physicè ad constituendum unum per se in esse qualitatis, & consequenter prędictę qualitates sunt simpliciter plures. Per quod patet ad instantiam de aliis qualitatibus, quæ cum sint divisibiles in partes proportionales, benè possunt inter se physicè, medio indivisibili, uniri.

10 Contra tertiò: quia gradus qualitatis de novo adveniens, nequit esse eiusdem rationis cum præcedenti: ergo ex nullo capite tenet solutio. Probatur antecedens; primo, quia quæ producuntur a causis specie diversis, debent esse diversæ speciei: sed prædicti gradus qualitatis producuntur a demonstrationibus diversæ speciei, ut supra dictum est: ergo prædicti gradus, seu qualitates sunt diversæ rationis, seu speciei. Secundo, quia si prædicti gradus, seu qualitates essent eiusdem rationis, superfluè poneretur secundus; difficilè enim videtur assignare rationem, cur primus gradus non posset efficere, quidquid efficere posset secundus: sed non ponitur superfluè, sed necessario: ergo signum evidens est, quod prædicti gradus, seu qualitates sunt diversæ rationis, seu speciei.

11 Qui primam sententiam tenent, variè respondent; primo, quod non acquiritur per secundam demonstrationem aliquis gradus, seu qualitas de novo, sed ille primus habitus, seu qualitas magis, ac magis intenditur. Sed (omisso pro nunc, quomodo fiat intensio qualitatis, quia pro-

proprium habet locum in libris de generatione) contra est; quia maior, & minor intensio habitus seu qualitatis, versatur circa eamdem partem obiecti, quam antea respiciebat, & circa illam partem redditur potentia magis, aut minus facilis, per majorem, vel minorem repetitionem demonstrationis circa illam partem objecti; non tamen versatur talis intensio circa diversas partes obiecti: sed in nostro casu qualitas, seu habitus, primo acquisita per repetitionem primæ demonstrationis circa modum definiendi, v. g. antequam daretur aliqua demonstratio circa modum argumentandi, v. g. reddebat intellectum facilem ad definiendum: non vero ad argumentandum: ergo si postea intendatur talis qualitas, seu habitus, solum reddit intellectum magis facilem in ordine ad definiendum, seu circa eandem partem subiecti, non verò ad argumentandum, seu circa diversam partem objecti; sed experientia docet, quod per repetitionem demonstrationis circa argumentationem acquiritur facilitas circa eamdem argumentationem, quæ est diversa pars obiecti a definitione; ergo per repetitionem demonstrationis circa argumentationem, non intenditur habitus, seu qualitas præexistens circa definitionem, sed extenditur circa argumentationem; & consequenter est novus habitus, seu nova qualitas,

12 Secundò respondent alii, non esse necessariam multiplicationem qualitatum, seu habituum; nam licet in logica sint plures veritates specie diversæ; cum tamen inter se sint naturaliter subordinatæ, ab unico habitu possunt attingi. Sed contra est primò, quia licet aliquæ veritates Logicę sint subhordinatæ, ita quod notitia unius præsupponat notitiam alterius; nam ad perfectam notitiam syllogismi presupponitur notitia propositionis; tamen plures sunt veritates in ipsa Logica, quæ non ita sunt subordinatæ; nam benè potest quis scire, qui sit defi-

nitio,

nitio, quin sciat, quid sit divisio, & è contra, ita quòd notitia unius nullatenus dependeat à notitia alterius; ergo saltim, circa veritates non subordinatas, ponendę sunt in Logica plures habitus, seu qualitates realiter distinctæ, & consequenter saltim ex hac parte Logica non erit unus simplex habitus, seu qualitas. Contra secundò: quia etiam si tales veritates sint subordinatæ, sunt specie distinctæ, & cognitiones, quæ ad ipsas terminantur, sunt etiam distinctæ specie, & circa quamlibet veritatem est specialis difficultas: ergo habitus, seu qualitates, quæ generantur ex prędictis cognitionibus, & facilitant intellectum circa prædictas veritates, erunt specie distinctæ.

13 Tertiò respondent alii, id, quod de novo acquiritur per secundam demonstrationem, non esse qualitatem, seu habitum, sed quemdam modum habitus præexistentis; & sic remanet indivisibilis prædictus habitus, sicut antea, & solum de novo modificatus. Sed contra primò; nam per id, quod acquiritur per secundam demonstrationem, eodem modo respicitur obiectum eius, ac respiciebatur obiectum primæ demonstrationis per id, quod per illam fuit productum; ergo sicut id, quod fuit productum per primam, est vera qualitas realis, ita id, quod producitur per secundam; nulla enim apparet dispar ratio. Contra secundò; quia per secundam demonstrationem acquiritur facilitas respectu cognitionis obiecti per ipsam demonstrati; sed qualitas, seu habitus acquisitus nihil aliud est, quam quædam facilitas respectu cognitionis obiecti; ergo quod acquiritur per secundam demonstrationem, non est modus, sed vera qualitas, & habitus realis. Tertiò; quia experientia constant, aliquando deperdi habitum, seu facilitatem acquisitam per primam demonstrationem, remanente facilitate acquisita per secundam; ergo hæc facilitas non est modus, sed qualitas,

litas, & habitus realis; aliàs modus remaneret sine re, cujus est modus, quod videtur impossibile.

14 Ex quibus probatur secundò, seu roboratur nostra conclusio: quia habitus acquisiti ponuntur ad facilitandam potentiam: ergo ubi sunt diversæ difficultates vincendæ, ponendi sunt diversi habitus acquisiti: sed in Logica, ut dictum est, sunt diversæ difficultates vincendę, juxta diversitatem veritatum, quæ in illa demonstrantur; ergo sunt ponendi diversi habitus realiter distincti. Quod potest confirmari, ex separatione reali unius facilitatis ab alia: quo nullum majus signum distinctionis realis.

15 Arguunt 1. Logica est una scientia: ergo est una simplex qualitas. Probatur consequentia; quia implicat, quòd multiplicetur ratio superior, quin etiam multiplicetur ratio inferior: sed ratio qualitatis est superior ad scientiam: ergo implicat, quòd multiplicetur qualitas, quin multiplicetur scientia. Hoc argumentum, quod est Achilles oppositæ sententiæ, potest retorqueri in contrarios; quia ratio superior non potest multiplicari, quin multiplicetur inferior: ergo quotiescumque datur multiplicatio superioris, debet dari multiplicitas inferioris: sed hęc consequentia non tenet in sententia contraria: ergo falsum est antecedens. Probatur minor; quia contrarii ad tenendum, habitum Logicę esse indivisibilem, dicunt demonstrationes diversę speciei non arguere habitus diversę speciei, quia licet illæ demonstrationes sint specie distinctæ in esse rei; nen tamen in esse scibilis. Nunc sic: in prædictis demonstrationibus esse rei est quid superius ad esse scibilis; ergo ad multiplicationem demonstrationum in esse rei, necessariò presupponitur multiplicatio demonstrationum in esse scibilis: sed hoc non concedunt: ergo neque nos tenemur cocedere consequentiam sui argumenti, eo quòd sicut qualitas

tas est superior ad scientiam, ita esse rei est superius ad esse scibilis.

16 Respondetur ergo ad argumentum, sicut illi possunt respondere ad nostram instantiam; distinguendo antecedens; Logica est una scientia unitate attributionis, ut postea dicemus, concedo; unitate indivisibilitatis, nego, & nego consequentiam. Etenim ex eo quod Logica sit una unitate attributionis, non sequitur, quòd sit una simplex qualitas; nam ad hoc erat necessarium, quod esset una unitate indivisibilitatis, quod negamus, & amplius patebit sectione sequenti.

17 Arguunt 2. Unica potentia sufficit ad plures actus respicientes plura objecta specie diversa: ergo idem habitus Logicæ indivisibilis sufficiet etiam ad plures actus respicientes plura objecta specie diversa. Sed præterquamquod hoc argumentum magis probat, quam intendit probare; nam probat, quod sicut sufficit unus intellectus ad omnes actus scientiarum, ita etiam sufficeret unus simplex habitus, & consequenter, quòd omnes scientiæ simul essent una simplex qualitas, quod apertè est falsum; respondetur negando paritatem; quia potentia non acquiritur per actus, sicut habitus, & sic potentia est causa universalis, & potest concurrere ad omnes actus, licèt specie distinctos; habitus autem est causa particularis, & solum potest concurrere ad actus similes illis, à quibus fuit productus.

18 Arguunt 3. Vnus, & indivisibilis habitus infusus, v.gr. fidei, sufficit ad assentiendum pluribus objectis credibilibus specie differentibus: ergo unus, & indivisibilis habitus Logicæ sufficit ad plures veritates specie distinctas. Resp. neg. paritatem; nam cùm habitus infusus fidei non detur ad faciliter operandum, sed ad substantiam actus, posito uno indivisibili habitu, non est necessarium ponere alium, sicuti

ex

ex eo quod potentia non est ad faciliter operandum, sed ad substantiam actus, sufficit ad plures diversos actus unica potentia, & sicut in potentia ratio tendendi in omnia objecta est unica, scilicet, ratio entis, seu veri in intellectu, ita in habitu fidei, v.g. ratio tendendi in omnia objecta est unica, scilicet, veracitas Dei revelantis; at vero in habitibus acquisitis, cùm dentur ad faciliter operandum, & cum respiciant objecta sub diversis rationibus, seu diversis difficultatibus debent multiplicari ad multiplicationem objectorum.

19 Arguunt 4. Idem habitus Prudentiæ, v.gr. sufficit ad actus omnium virtutum, etiam si specie differant: ergo similiter idem habitus Logicæ sufficiet ad omnes actus Logicales, etiam si specie differant. Et confirmatur, quia idem habitus Logicæ sufficit ad actus docentes, & utentes: ergo similiter ad omnes actus Logicales. Ad argumentum potest responderi primo negando antecedens, quia aliqui dicunt, dari diversos habitus partiales Prudentiæ circa diversas virtutes. Respondetur secundò directè negando paritatem, quia Prudentia non concurrit elicitivè, sed tantum regulativè ad actus aliarum virtutum, & omnes possunt provenire regulativè ab eodem indivisibili habitu; at verò Logica concurrit elicitivè ad suos actus, & sic ad diversitatem specificam actuum, debet poni diversitas specifica habituum. Similiter ad confirmationem respondetur, quia Logica concurrit elicitivè ad suos actus docentes, & directivè tantum ad utentes. Deinde quia, ut suo loco diximus, posito habitu Logicæ docentis, nulla remanet difficultas vincenda circa actus utentes, & sic non est necessitas multiplicandi habitus, sicut est circa diversas veritates Logicę docentis, propter diversas difficultates, quas in se habent, ut dictum est.

SI.

SECTIO II.

Exagitatur quæstio de Logica in esse scibilis.

20 PRo sectionis intelligentia supponendum est, quod non loquimur de unitate intrinseca Logicæ; quia tam Logica, quàm quælibet alia scientia per sua intrinseca prædicata, nobis ignota, habet suam intrinsecam unitatem, sed loquimur de unitate extrinseca, quæ desumitur ab objecto; in quo sensu, eadem unitas objecti, scientiæ tribuenda est.

21 Supponendum est etiam, quod objectum potest dici habere unitatem specificam, seu genericam. Tunc dicitur habere unitatem specificam, quando immediatè continet omnes veritates illius habitus, cuius est obiectum, ita ut ratio sub qua attingitur à tali scientia possit assumi ut medium ad demonstrandas omnes passiones, quæ in scientia demonstrantur, licet in se objectum sit quid genericum, vel transcendens, quod contingit, quando ita attingitur objectum commune à scientia, ut attingantur sua inferiora, solum secundum illam rationem communem, & non secundum suas rationes particulares. Tunc verò dicitur obiectum habere unitatem genericam, quando licet omnia, quæ in scientia tractantur aliquomodo illi attribuantur, tamen ratio communis illius non potest assumi ad demonstrandas omnes passiones, quæ in scientia demonstrantur; sed præcisè illas, quæ cum illo convertuntur, & ad alias demonstrandas, assumuntur rationes inferiorum; quod contingit, quando scientia, ita attingit objectum commune secundum suam rationem ut etiam attingat inferiora, non solùm secundùm illam rationem communem, sed etiam secundum suas rationes particulares, quod expresè tenet

tenet Scotus citatus num. 4. his verbis: *Ad secundum dico, quòd multorum habituum specie differentium potest esse aliquod objectum commune, sicuti ab objectis eorum potest abstrahi objectum commune, à quo non est habitus unus secundum speciem, sed secundum genus.* His suppositis, facilè resolvitur difficultas.

22 Dicimus primò: ergo Logica considerata in esse scientiæ est unus habitus, non unitate indivisibilitatis, sed unitate attributionis. Patet conclusio quoad utramque partem, quia ut dictum est in tota quæstione, non est una unitate indivisibilitatis, & deinde omnia, quæ tractantur in Logica attribuuntur modo sciendi, seu syllogismo, secundum diversas rationes Logicæ: ergo quomodocumque sumatur Logica, est una scientia unitate attributionis.

23 Dicimus secundò: Logica est una scientia unitate generica. Patet etiam conclusio; quia modus sciendi, vel syllogismus, est quid genericum, respectu suorum inferiorum, & Logica, non solum agit de ratione communi modi sciendi, vel syllogismi, sed etiam de rationibus particularibus inferiorum, ita ut omnes prædictæ rationes assumantur ad demonstrandas passiones, quas Logica demonstrat: ergo modus sciendi, vel syllogismus, est obiectum genericum, respectu Logicæ, & consequenter Logica, quomodocumque sumatur, est una in esse scientiæ unitate generica; siquidem ab unitate obiecti sumit, in esse scientiæ, suam unitatem. Neque aliquid contra hoc potest obiici, quod non facilè solvatur ex dictis.

QUÆ-

QUÆSTIO X.

Utrùm Logica sit necessaria ad alias scientias acquirendas?

1 NOtandum est primò pro intelligentia quæstionis quod necessarium est, quod aliter se habere non potest, iuxta Arist. 5. Metaph. & est duplex, aliud simpliciter, & aliud secundum quid in ordine ad consecutionem alicuius finis. Necessarium simpliciter, est illud sine quo finis consequi non potest, ut respiratio in ordine ad vivendum. Necessarium secundum quid est illud sine quo finis consequi potest, licet non ita commodè, ac cum illo, ut equus ad iter faciendum. Deinde adhuc dupliciter sumitur necessarium simpliciter, physicè scilicet, & moraliter. Necessarium physicè dicitur illud, sine quo nullatenus potest finis assequi; hoc modo est necessaria virtus calefactiva ad producendum colorem, Necessarium moraliter est illud, sine quo finis physicè, & realiter potest acquiri, quia datur sufficiens virtus physica ad illius consecutionem; sed tamen est magna difficultas, ita ut videatur impossibile consequi, hoc modo est necessarium homini auxilium extrinsecum ad simul vincendum magnam multitudinem hominum, quia licet ad hoc habeat sufficientem virtutem physicam, tamen impossibile videtur, posse illos vincere sine extrinseco auxilio.

2 Secundo notandum est scientias posse considerari totaliter, quatenus comprehendunt omnes conclusiones ad ipsas spectantes, & partialiter, quatenus dicunt unam, vel alteram conclusionem. Deinde tam totaliter, quam partialiter consideratæ, possunt sumi in statu perfecto, quatenus habens prædictas scientias, potest reducere conclusiones ad sua prin-

principia, & cognoscere vim, & efficaciam earum, & in statu imperfecto, quatenus illas non potest reducere ad sua principia, neque earum vim, & efficaciam cognoscere. His notatis.

3 Circa hanc difficultatem, nullus negat, Logicam esse secundum quid necessariam ad alias scientias acquirendas; nam evidens est, eas melius acquiri cum Logica, quam sine illa. Omnes etiam concedunt, esse simpliciter necessariam ad facilè acquirendas alia scientias. Unde solum est difficultas de necessitate simpliciter absolutè loquendo, & tam pro parte affirmativa, quàm negativa, sunt aliqui Authores, qui apud Recentiores possunt videri: quid autem videatur tenendum, per sequentes conclusiones declarabimus.

4 Dicimus primò: Logica artificialis neque physicè, neque moraliter est simpliciter necessaria ad acquirendam aliquam, vel aliquas conclusiones, etiam perfecto modo, cuiuslibet scientiæ. Probatur; quia aliqua principia sunt in scientiis solo lumine naturali nota; sed ex prædictis principiis deducuntur immediatè aliquæ conclusiones, quæ ipso lumine naturali cognoscuntur inferri ex illis: ergo in quacumque scientia possunt deduci aliquæ conclusiones sine Logica artificiali. Patet minor hoc exemplo, hoc primum principium. *Totum est maius sua parte*, est notum lumine naturali, & deinde per se patet, cubiculum regium esse partem palatii regalis; unde cognito illo principio, potest quis solo lumine naturali inferre has consequentias: ergo *Palatium regale est maius cubiculo regio*: ergo *Cubiculum regium est minus palatio regali*. In hac conclusione nulla videtur esse difficultas.

5 Si autem dicas, hoc solum probare, posse sine Logica acquiri aliquam conclusionem cuiuslibet scientiæ, non tamen acquiri perfecto modo; quia ad hoc est necessarium, quod intellectus per actum reflexum cognoscat bonitatem illa-

illationis, & quod per demonstrationem bonitatem consequentiæ ostendat, illam ad sua principia reducendo; sed ad hoc est necessaria Logica artificialis: ergo nulla conclusio alicuius scientiæ potest deduci perfecto modo sine Logica artificiali. Respondetur primò negando, quòd sit necessaria talis cognitio reflexa: quia ut aliqua conclusio perfectè acquiratur, sufficit, quòd intellectus sit certus de bonitate consequentiæ, & connexione illius cum præmissis, ita ut cognoscat, rem aliter se habere non posse, quod totum solo naturali lumine potest cognosci sine aliqua reflexione.

6 Respondetur secundò negando minorem; sufficit enim ut reflexè possit cognosci bonitas illius consequentiæ, Logica seu demonstratio naturalis, per quam talis conclusio ad sua principia reducatur: non tamen requiritur advertentia ad principia, seu regulas Logicæ artificialis. Aliqua diximus quæst. 4. & quæst. 6. huius disp. quæ hic applicari possunt, & quibus ad alia similia augumenta potest responderi.

8 Dicimus secundò: Logica artificialis habitualis non est simpliciter necessaria, neque Physicè, neque moraliter ad acquirendas alias scientias totaliter, etiam in statu perfecto. Probatur primò, quia habitus acquisiti non requiruntur ad simpliciter, sed tantum ad faciliter operandum; sed Logica habitualis est habitus acquisitus; ergo Logica habitualis non requiritur ad simpliciter, sed tantum ad faciliter operandum; & consequenter nullatenus est simpliciter necessaria ad acquirendas alias scientias.

8 Probatur secundo; quia Logica artificialis solum concurrit ad perfectam acquisitionem scientiarum medio suo actu, quod dirigit intellectum, ut sine errore procedat; ergo Logica habitualis nequit esse necessaria maiori necessitate, respectu acquisitionis scientiarum, quam respectu sui actus, medio quo concurrit ad talem acqui-

quisitionem; sed actus Logicæ potest simpliciter haberi sine habitu; ergo etiam sine tali habitu possunt scientiæ acquiri etiam in statu perfecto. Minor subsumpta sic ostenditur; quia habitus acquisitus, ut dictum est, non requiritur ad simpliciter operandum, sed tantum ad faciliter; ergo idem actus, qui habetur cum habitu, potest haberi sine illo. Patet consequentia; nam aliàs habitus acquisitus daretur ad simpliciter operandum.

9 Et potest confirmari; quia potentia simul cum obiecto, & sine habitu est sufficiens principium, ut simpliciter ponatur actus; ergo habitus non est simpliciter necessarius ad actum. Probatur antecedens; quia primi actus Logicæ docentis, ex quibus generatur habitus, dantur simpliciter sine habitu, ab obiecto, & potentia; ergo similiter actus, qui posteà habentur possunt simpliciter haberi sine habitu. Patet consequentia, quia actus, qui dantur ante habitum, sunt eiusdem rationis cum illis, qui dantur post habitum; ergo sicut primi dantur simpliciter sine habitu, etiam secundi possunt dari simpliciter sine habitu, ergo Logica habitualis, non est simpliciter necessaria ad suum actum, & consequenter neque ad acquirendas alias scientias, etiam in statu perfecto, cum ad illarum acquisitionem solum concurrat medio suo actu.

10 Argues contra; Logica habitualis est simpliciter necessaria ad promptè, & faciliter acquirendas scientias; ergo est simpliciter necessaria ad acquirendas illas in statu perfecto. Patet consequentia; quia acquirere scientias perfectè, seu in statu perfecto, est illas promptè, & faciliter acquirere. Respondetur negando consequentiam, & probationem illius. Aliud enim est, acquirere scientias faciliter, & promptè, ac acquirere illas in statu perfecto; nam acquirere scientias in statu perfecto; nihil aliud est: quam posse reducere conclusiones ad sua principia,

pia, & cognoscere vim, & efficaciam illarum, præscindendo ab hoc, quod faciliter, vel difficulter acquirantur, & in hoc sensu dicimus, quod scientiæ possunt simpliciter acquiri sine logica habituali; acquirere autem scientias faciliter, & promptè solum dicit reducere conclusiones ad sua principia sine mora, & difficultate, quod per accidens se habet ad substantiam acquisitionis, ex quo solum sequitur, quod Logica habitualis sit secundum quid necessaria ad alias scientias acquirendas, ut dictum est num. 3. Alia argumenta, quæ solent fieri contra hanc conclusionem, non tantum sunt contra illam, quantum pro sequenti.

11 Dicimus tertiò; Logica artificialis actualis est simpliciter necessaria, ad minus moraliter ad acquirendas alias scientias. Probatur primò ex Arist. qui 1. Physic. cap. 2. docet, Veteres in plures errores incidisse, & scientias imperfectè didicisse propter ignorantiam Logicæ. Secundò probatur argumento, quo usus est Galenus in libro; *An sanguis contineatur in arteriis?* Contra Erasistratum, qui negabat Logicam esse necessariam ad acquirendas scientias. quod huiusmodi est; aut ex quolibet sequitur quodlibet, aut non? Si sequitur, sic argumentor; *Cigni sunt albi; Corvi sunt nigri;* ergo *Erasistratus est stultus*. Si non sequitur; ergo simpliciter est necessaria aliqua facultas, quæ doceat, quando aliquod sequitur ex alio, & quando non. Nunc sic; hoc docent actus Logicæ docentis artificialis: ergo Logica docens actualis artificialis aliquomodo est simpliciter necessaria ad acquirendas scientias.

12 Probatur tertio conclusio; quia Logica docens actualis artificialis indicat proximè viam, & modum acquirendi scientias sine errore; ergo sicut intendens ire Romam, v. g. nesciens iter; est moraliter impossibile, quod Romam recta via, & sine errore perveniat, etiamsi

habeat visum, si illi via non indicetur, ita est moraliter impossibile, quod qui intendit scientias acquirere, illas perfectè, & sine errore acquirat, etiam si habeat lumen naturale, nisi illi per Logicam docentem artificialem actualem indicetur via, & modus talis acquisitionis: ergo Logica docens artificialis actualis est simpliciter necessaria moraliter ad acquirendas perfectè scientias.

13 Confirmatur; quia sæpè apparet intellectui prima facie, aliquem discursum esse bonum qui tamen bonus non est: & licet, si quis diligentiam magnam adhiberet, posset lumine naturali cognoscere, quod non esset bonus; tamen inter tot discursus, qui in qualibet scientia occurrunt, est omninò moraliter impossibile, quin multos prætereat, absque debito examine, nisi prius habeat logicam docentem actualem, qua mediante possit debitè cognoscere prædictos discursus: ergo logica artificialis actualis est simpliciter necessaria moraliter ad acquirendas scientias in statu perfecto.

14 Arg. 1. Intellectus solo lumine naturali potest cognoscere conclusiones, quæ immediatè sequuntur ex primis principiis: ergo ex illis conclusionibus cognitis potest deducere alias, quousque perveniat ad ultimas, quæ remotius in principiis continentur: sed hoc modo acquireret scientiam in statu perfecto: ergo solo lumine naturali, & sine logica possunt acquiri scientiæ in statu perfecto, & consequenter neque Logica actualis artificialis est simpliciter necessaria ad acquirendas scientias. Respondetur distinguendo consequens, & similiter totum argumentum, est enim verum physicè loquendo, falsum autem moraliter, & sic non est contra nos asserentes tantum, Logicam docentem actualem artificialem esse simpliciter necessariam moraliter ad acquirendas scientias. Similiter respondetur ad alia argumenta, quibus probatur

batur Logicam esse simpliciter necessariam ad acquirendas alias scientias.

15 Arg. 2. Ipsa Logica totalis fuit inventa sine alia Logica artificiali: ergo similiter aliæ scientiæ possunt acquiri sine illa. Respondetur primò, Logicam totalem fuisse acquisitam gradatim, & per partes, itaut secundum aliquam partem acquireretur sine Logica artificiali solo lumine naturali, & secundum aliam partem acquireretur *juvamine* primæ partis acquisitæ, & sic circa alias partes, ex quo solum sequitur Logicam secundum aliquam partem fuisse acquisitam sine Logica perfecto modo, quod est nostra prima conclusio pro omnibus scientiis. Videantur, quæ diximus quæst. 4. hujus disp. à num 9. usque ad 12.

16 Respondetur secundò neg. paritatem, quia aliæ scientiæ non sunt modi sciendi sicut Logica, & sic, ut perfectè acquirantur indigent Logica, qua regulentur; at verò Logica sibi ipsi deservit sicut lux, quæ, quia est ratio videndi, non solum deservit; ut videantur omnia sed etiam ut ipsa videatur. Cum quo potest responderi ad aliam instantiam, quia potest fieri, scilicet, quod sicut una pars Logicæ potest deservire ad acqirendam aliam, ita similiter una pars aliarum scientiarum potest etiam deservire ad acquirendas alias: nam est disparitas, quod partes Logicæ sunt partes modi sciendi, non tamen partes aliarum scientiarum.

TRACTATUS

De quinque vocibus, seu Vniversalibus Porphyrii.

DIximus loquendo de obiecto Logicæ, Porphyrium, instantia Chrysaori, tractatum quem de quinque vocibus appellavit, ad intelligentiam prædicamentorum Arist. instituisse, ideoque in Logica, ut nunc extat, communiter præmittitur hic tractatus ad tractatum de prædicamentis, & quia universale ut sic est quid commune ad quinque voces, seu ad quinque universalia, quæ etiam dicuntur prædicabilia, & sunt genus, species, differentia, proprium, & accidens; ideo antequam de prædictis vocibus, seu universalibus in speciali disputetur, de universali in communi disputatur. Sit ergo.

DISP. I.

De Vniversali metaphysico, & Vnitate formali.

QUia universale est quoddam concretum dicens pro formali, & in recto universalitatem, & pro materiali, & de connotato naturam, quæ universalis denominatur; ideo licet agere de prædicta natura, propriè, & rigorosè ad metaphysicum spectet; tamen iam communiter hic hæc de natura disputatio, & de pluribus ad ipsam pertinentibus præmittitur, quia valde conducit ad ipsius universalitatis formalis intelligentiam. Sit ergo.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Vtrùm Naturæ, quæ denominantur universales, dentur à parte rei?

1 PRo intelligentia quęstionis notandum est, quod universale, generaliter loquendo, est illud, quod ad plura se extendit, & est multiplex; aliud dicitur universale in causando, ut est quælibet causa potens producere plures effectus diversæ rationis: cuiusmodi est Deus, & sol, aliud dicitur universale in repræsentando, seu in significando, cuiusmodi est hæc vox *animal*, & quodlibet aliud signum plura significans, seu repræsentans, aliud dicitur universale in essendo, seu in prædicando, cujusmodi est quælibet natura, quæ potest concipi ab intellectu ut apta inesse pluribus, & de illis prædicari. Certum autem est, universale in primo, & secundo sensu dari in rerum natura, & circa hoc inter Anthores nulla est controversia: unde solum est difficultas de universali in tertio sensu, & inquirimus, an dentur in rerum natura aliquæ naturæ quæ possint ab intellectu concipi, ut aptæ inesse pluribus, & de illis prædicari?

2 Ubi advertendum est, quòd prædictæ naturæ, de quibus inquirimus, dicuntur secundum se universale metaphysicum, eo quòd ad metapyhsicum spectat agere de naturis, seu essentiis rerum secundum se; unde idem est inquirere, an dentur in rerum natura prædictæ naturæ? Ac inquirere, an in rerum natura detur universale metaphysicum? Et quidquid de prædictis naturis dicatur, de universali metaphysico dictum teneri debet; universale autem Logicum non dicitur quælibet ex prædictis naturis secundum se sed quatenus ab intellectu illis tribuitur Logica universalitas modo suo loco aptius explicando.

3 Circa præsentem difficultatem tenent Nominales, nullam dari naturam: quæ possit universalis denominari, ex parte rei, sed tantum dari universale in significando, seu in repræsentando; quod idem est, ac dicere, nullum conceptum obiectivum dari ex parte rei aliquomodo à singularibus præscindibile, cui possit universalitas applicari: sed hoc tantum provenire rebus per actum intellectus repręsentantem confusè omnia singularia ut similia. Plures Authores pro hac sententia adducit Mastrius in Metaphysica disp. 9. quæst. 1. Inter Reales autem assignantur aliquæ sententiæ: Prima asserit, nullam dari naturam ex parte rei, quæ possit universalis denominari, sed omnia esse ex se singularia. Hæc sententia videtur coincidere cum sententia Nominalium, & tribuitur ab Arist. 1. Met. cap. 6. & 4. Met. cap. 5. Heraclito, & cratilo, Secunda tenet per oppositum; non solum dari in rerum natura, naturas, quæ universales denominantur, sed etiam existere separatas à singularibus. Hæc sententia tribuitur ab Aristot. 1. Met. cap. 6. & 7. Met. cap. 8. Platoni dicenti, quòd datur à parte rei existens homo, seu humanitas in communi, de qua participant singuli homines, & similiter de aliis naturis, confingit enim hæc sententia præter hunc mundum visibilem ex singularibus compositum, dari alium mundum intelligibilem, qui universalibus, & communibus rebus componebatur; plures autem excusant Platonem ab hac sententia, dicentes, ipsum per mundum intelligibilem, non intellexisse naturas universales, sed quasdam ideas, seu similitudines omnium singularium existentes in mente divina, ad quarum instar Deus ad extra omnia singularia producit. Tertia sententia quasi media via procedit, asserit enim ex una parte, reperiri à parte rei naturas, quæ universales denominantur, & ex alia, prædictas naturas non existere separatas à singularibus.

ribus, sed in ipsis realiter inclusas. Hæc sententia est Arist. locis citatis, & pluribus aliis, & jam communiter admittitur à Philosophis, & eam tenet Scotus pluribus in locis quæstionibus sequentibus citandus.

4 Dicimus primò; à parte rei dantur naturæ, quæ universales possunt denominari, & consequenter universale in essendo non consistit in nudis vocibus, seu conceptibus formalibus. Hæc conclusio est contra Nominales, & contra Heraclitum, & Cratilum. Probatur primò; quia natura, quæ potest denominari universalis, seu quæ dicitur universalis in essendo, nihil aliud est, quam natura apta concipi per intellectum ut apta in esse pluribus, & prædicari de illis; sed plura sunt in rerum natura hoc modo conceptibilia; ut natura hominis; natura equi, &c. ergo à parte rei dantur naturæ, quæ possunt denominari universales.

5 Respondent Nominales negando minorem, quia (inquiunt) implicat dari aliquam naturam, quæ aliquomodo ex se sit apta, ut possit concipi pluribus inexistens, seu de pluribus prædicabilis, nam hoc solum provenit à vocibus, & conceptibus communibus immediatè significantibus, seu repræsentantibus omnia singularia in confuso.

6 Sed hanc responsionem pluribus rationibus impugnat Mastrius supra citatus, & quidam doctissimus recentior Thomista, quas hic breviterat tingemus. Prima est, quia hæc vox: *Animal*, v. g. non significat immediatè hominem, & leonem, neque hæc vox; *Homo*, Petrum, & Joannem; sed aliquam naturam communem, in qua illa inferiora, & singularia conveniunt, eo vel maximè, quia prædictæ voces sunt univocæ, & ut tenet Aristot. univoca sunt, quorum nomen est commune, & ratio significata in omnibus est eadem: ergo prædictis vocibus, seu nominibus debet currespondere ali-

qua res, seu natura communis per ipsas significata.

6 Secunda; quia datur prædicatio superioris de inferioribus; nam homo, v.g prædicatur de Petro, & Paulo: sed non prædicatur vox, *homo*, sed res significata per illam: ergo datur aliquid significatum per prædictam vocem aliquomodo commune Petro, & Paulo, & consequenter ex parte rei datur aliqua natura communis, quæ possit universalis denominari. Tertia est similis precedenti, & etiam desumitur ex prædicatione; nam in his prædicationibus, v. g. *Petrus est homo : Paulus est homo* prædicatur proprium, & immediatum significatum hominis.: sed hoc nequit esse aliquod individuum particulare; nam nullum detur individuum, quod de pluribus prædicetur; neque collectio omnium individuorum in confuso; quia talis collectio nequit verificari de quolibet individuo seorsim: ergo solum restat, quòd sit aliqua natura communis, quæ possit denominari universalis, & consequenter ax parte rei datur talis natura. Latè prosequitur Mastrius prędictas rationes impugnando aliquas responsiones ad illas, & etiam communiter Thomistæ, ostendendo dari præcisiones objectivas, quas pro nunc omittimus, & brevitatis causa, & quia ex dictis haud difficulter impugnari possunt quæcumque responsiones, & quia ex dicendis in tota disputatione amplius patebit nostra conclusio.

8 Secundò probatur conclusio: quia scientia non est de singularibus, quippè est de necessariis, qualia non sunt singularia, cùm sint contingentia, sed est de universalibus, ut tenet Philosophus 1. Post. cap. 11. ergo ultra singularia debent poni in re aliquæ naturæ communes, quæ possint denominari universales, & ponantur pro obiecto scientiæ, eo vel maximè, quia in scientia demonstrantur passiones

con-

convertibiles cum objecto, & certum est passiones specificas nullatenus converti cum aliquo singulari.

9 Arguunt contra: nihil datur in rerum natura, quod non sit singulare: ergo nulla natura datur, quæ sit communis, seu possit denominari universalis. Probatur antecedens; quia omne, quod est in rerum natura est productum per aliquam actionem: sed actiones sunt circa singularia: ergo nihil datur in rerum natura, quod non sit singulare. Confirmatur; quia omne quod est in rerum natura est capax existentiæ: sed existentia solum convenit singularibus: ergo nihil datur in rerum natura, quod non sit singulare.

10 Respondetur, hoc argumentum, & ejus confirmationem non tantum esse contra nostram conclusionem, quantum probatione sequenti, ut infra patebit, tamen respondetur in forma distinguendo antecedens, nihil datur in rerum natura, quod non sit singulare, formaliter, vel identicè, concedo; formaliter præcisè, nego, & nego consequentiam. Ad probationem antecedentis respondetur similiter, & eodem modo respondetur ad confirmationem, distinguendo majorem, omne quod est in rerum natura est capax existentiæ formaliter, vel identicè, concedo, formaliter præcisè, nego. Distinguo etiam minorem, existentia solum convenit singularibus formaliter, concedo; identicè, nego. Similiter distinguo consequens, nihil datur in rerum natura, quod non sit singulare formaliter, vel identicè, concedo, formaliter præcisè, nego. Etenim verum est, quòd omne quod in rerum natura existit est singulare, falsum tamen quod singularitas per se, & formaliter omnibus competat; nam naturis communibus non competit ex se, & formaliter singularitas, imò potius ex sua ratione formali à singularitate præscindunt, & ab illa, vel virtualiter,

vel formaliter, juxta diversas sententias, distinguuntur, licet alias sint identificè singulares, eo quod realiter cum ipsa singularitate identificentur: quæ identificatio nullatenus obstat, ut ex se possint concipi, & denominari universales ab intellectu. Alia argumenta solum probant, non dari à parte rei universale formaliter, quod nos libenter fatemur, ut suo loco patebit; & sic non sunt contra nos.

11. Dicimus secundò; prædictæ naturæ, quæ denominantur universales, non dantur in rerum natura separatæ à singularibus, sed in illis realiter inclusę. Hęc conclusio est contra sententiam, quæ tribuitur Platoni. Probatur primò argumento posito contra primam conclusionem: nam ut ibi dictum est, omne quod in rerum natura existit, necessariò aliquomodo est singularis: ergo nihil potest dari in rerum natura, quod non sit ad minus identicè, & inclusivè singulare, & consequenter nulla datur natura universalis à singularibus separata.

12 Probatur secundò: quia implicat, essentiam alicujus rei, vel partem ipsius essentiæ existere extra rem, cuius est essentia, eo quod nihil magis intimum, & intrinsecum rei, quàm ejus propria essentia; sed quælibet natura communis, vel est tota essentia singularis, ut homo respectu Petri, vel pars illius essentiæ, ut animal respectu ipsius Petri; ergo implicat, quòd existant prædictæ naturæ à singularibus separatæ.

13 Arguunt contra ratione posita num. 8. pro 1. conclusione, scilicet, quod scientiæ non sunt de singularibus, eo quod sunt contingentia, & corruptibilia; ergo debent dari aliquæ naturæ universales à singularibus separatæ, circa quas versentur scientiæ tanquam circa necessaria perpetua, & incorruptibilia. Respondetur negando consequentiam; quia sufficit, quod dentur naturę universales, licet in singularibus

ribus inclusæ, ad hoc, ut scientiæ versentur circa perpetua necessaria, & incorruptibilia; quia scientiæ solum sunt de necessariis quoad essentiam, & quoad connexionem prædicatorum, quam necessitatem, & incorruptibilitatem habent naturæ universales, etiam si sint in singularibus inclusæ; nam semper est verum dicere, quod homo est animal rationale, quod est risibilis, &c. ideoque propositiones, quæ fiunt juxta prædictam connexionem prædicatorum, dicuntur propositiones æternę veritatis; at vero scientiæ non sunt de necessariis, & incorruptibilibus quoad existentiam, quam necessitatem, & incorruptibilitatem non habent naturæ universales in singularibus inclusæ, quod nullatenus obstat, ut ponantur pro obiecto scientiarum. Videatur Scotus in 1. dist. 3. quæst. 4. litt. I. & K.

QUÆSTIO II.

Utrum Naturis, quæ denominantur universales, conveniat unitas formalis à parte rei.

1 PRo intelligentia quęstionis notandum est primo ex Arist. 5. Met. cap. 6. & 10. quod unum est indvisum in se, & divisum a quolibet alio; unde cum oppositorum eadem sit ratio, quot modis dicitur divisum, tot dicitur & unum, indeque ad cognitionem unitatis, valde cognitio divisionis conducit. Igitur divisio, quoad præsens attinet est duplex, materialis scilicet, & formalis. Materialis dicitur illa, quæ causatur per principia materialia, seu per individuationes, (quæ ideo dicuntur principia materialia, quia contrahunt, & determinant naturam universalem ad esse individui, & singularis, & consequenter ad esse subiicibilis, & frequenter apud Philosophos subiectum appel-

latur materia) ut quando dividitur homo in Petrum, & Joannem. Divisio formalis dicitur illa, quæ causatur per principia formalia, id est per differentias essentiales, (quę ideo dicuntur principia formalia, quia idem præstant in compositionibus metaphysicis, ac forma in compositionibus physicis) ut quando dividitur aliquod genus in suas species, ut animal in hominem, & brutum.

2 Ubi advertendum est, quod divisio materialis nullam habet latitudinem, cum principia materialia, seu individualia nullam habeant communitatem, at vero divisio formalis latitudinem habet; quia potest dari per differentias essentiales minus, aut magis commune, ideoque dividitur in genericam, & specificam. Generica est, quæ datur per differentias genericas, ut quando dividitur substantia in corpoream, & in incorpoream, & hæc divisio erit magis, vel minus communis, juxta maiorem, vel minorem communitatem differentiarum, ut patebit in arbore prædicamentali, & etiam infra loquendo de unitate. Divisio specifica dicitur illa, quæ datur per differentias specificas, ut quando dividitur animal in hominem, & brutum; licet alias hæc divisio etiam dicatur generica sumpta denominatione a diviso, sed hoc parum refert, quia reducitur ad quæstionem de nomine.

3 Unde sequitur, quod datur similiter duplex unitas, scilicet materialis, & formalis opposita supradictæ duplici divisioni. Unitas materialis est carentia divisionis materialis, quam habet quodlibet individuum, quia nequit dividi per materiales differentias. Unitas formalis est carentia divisionis formalis, quam habet natura humana, v.g. quia non potest dividi per formales differentias.

4 Ubi etiam est advertendum, sicut dictum est de divisione, quod licet unitas materia-

rialis, seu numerica nullam habeat latitudinem tamen unitas formalis latitudinem habet; nam alia est unitas, quæ dicit carentiam divisionis per differentias specificas, ut est unitas hominis, & vocatur unitas specifica, alia est, quæ dicit carentiam divisionis per differentias genericas, ut unitas animalis, & dicitur unitas generica, & cum genus possit esse magis, vel minus commune, & ut sic, vel vocatur genus supremum, vel intermedium, vel infimum, ut patebit in arbore prædicamentali, ita unitas formalis generica est magis, vel minus communis, & denominatur unitas generica suprema, intermedia vel infima, quod omne videtur deduci ex Philosopho 5. Met. text. 11. dicente: *Universaliter enim quæcumque non habent divisionem, in quantum non habent, sic unum dicuntur, ut si in quantum homo, unus homo: si in quantum animal, unum animal.*

5 Nontandum est secundò, quod pluries apud Scotum reperitur, & etiam sequitur ex dictis, scilicet, unitatem formalem esse minorem unitate numerali, & inter unitates formales, illam esse minorem, quæ communiori principio convenit; cuius ratio est, quia unitas est carentia divisionis, & carentia tanto maior est, quantò minus formæ, qua privat, relinquit in subiecto: sed unitas materialis, seu naturalis, qua Petrus, v. g. est unus numero, nullam divisibilitatem relinquit in Petro; unitas vero formalis, qua idem Petrus est unus homo, relinquit in homine divisibilitatē per principia materialia in plura individua, & unitas formalis, qua idem Petrus est unum animal, relinquit non solum divisibilitatem per principia materialia in plura individua, sed etiam divisibilitatem formalem, seu per principia formalia in plures species animalis, & similiter suo ordine de aliis generibus subalternis, & supremis: ergo unitas materialis, seu numerica est maior unitate formali, & inter

ter unitates formales illa est major, vel minor, quæ convenit magis, vel minus communi principio.

6 Hæc explicatio unitatis formalis est communis inter Thomistas, & Scotistas, & solum est controversia, an prædicta unitas conveniat naturis a parte rei, & independenter a consideratione intellectus? An vero solum per operationem intellectus illis conveniat? Circa quam difficultatem tenent omnes Scotistæ cum Scoto in 2. dist. 3. quæst. 1 talem unitatem a parte rei convenire naturis independenter ab intellectus consideratione. Thomistæ autem, illam per considerationem intellectus tribuunt naturis, licet ut advertit Mastrius disp. 9. Metaph. qu. 6. art. 1. aliqui ex Thomistis nostram sententiam tenere videantur.

7 Dicimus cum prima sententia; unitas formalis minor unitate numerali convenit naturis quæ denominantur universales a parte rei, & independenter a consideratione intellectus. Hanc conclusionem probat Scotus citatus pluribus rationibus, ex quibus præcipuas proponemus. Igitur probatur primo conclusio; quia secundum Philosophum 10. Met. in omni genere entium est unum primum, quod est metrum, & mensura omnium, quæ sunt illius generis; sed secundum ipsum Philosophum talis mensura est realis; nam mensuratum est reale, & mensura, & mensuratum debent esse eiusdem rationis: ergo tale unum constituitur unitate reali; sed talis unitas non est singularis, vel numeralis; quia nullum est singulare, quod sit mensura omnium, quæ sunt in suo genere; ergo est alia unitas, scilicet, unitas formalis, Probatur minor, quia secundum Philosophum 3. Met. in individuis eiusdem speciei non est hoc prius, illud posterius hoc est, ut inquit Scotus, non datur inter individua ordo essentialis, ita ut unum excedat aliud essentialiter, quod re-

requiritur ad rationem mensuræ, quæ debet excedere in perfectione mensurarum; ergo unitas, quæ requiritur ad rationem mensuræ non est unitas numeralis.

8. Aliqui respondent, quòd non requiritur, quod detur unum, quod sit mensura omnium, quæ continentur sub uno genere; sed sufficit, quòd dentur plura, quorum quodlibet sit mensura aliorum, quæ continentur sub illo genere, quod convenit omnibus individuis hominis, v. gr. nam quodlibet illorum per suam unitatem numericam est mensura omnium aliorum, quæ continentur sub genere animalis. Sed contra est; quia nos non negamus, quod quodlibet individuum hominis sit mensura omnium, quæ continentur sub genere animalis, sed tantum dicimus, quod hæc ratio mensuræ non convenit individuis naturæ humanæ per unitates numericas, sed per unitatem formalem; quod sic ostenditur, quia unitates numericæ in omnibus individuis ejusdem generis sunt ejusdem rationis; sed ad rationem mensuræ requiritur diversa ratio, & maior perfectio in mensura, quam in mensurato; ergo prædicta ratio mensuræ non convenit individuis ratione unitatis individualis. Deinde Petro & Paulo, ver. gr. qui sunt individua hominis, convenit ratio mensuræ respectu individuorum aliorum specierum animalis per aliquid, in quo Petrus & Paulus à parte rei conveniunt; sed non conveniunt in unitatibus individualibus, cùm hæ potiùs sint rationes differentiæ, quam convenientiæ; ergo assignanda est alia ratio, in qua conveniant, ratione cuius sint mensura individuorum aliarum specierum animalis; sed hæc solum potest esse natura illis communis; ergo ratione talis naturæ habent unitatem aliam ab unitate individuali; sed hæc unitas nequit esse alia nisi formalis: ergo à parte rei convenit naturis, quæ denominantur universales, uni-

unitas formalis alia ab unitate numerali.

9 Probatur secundò; quia secundum Philosophum 5. Met. cap. de, ad, aliquid, idem, simile, & æquale, fundantur super unum: sed relationes identitatis, similitudinis, & æqualitatis sunt reales: ergo unitas, in qua fundantur, debet esse realis: sed talis unitas non est numeralis: ergo est unitas formalis. Probatur minor; quia unitas, in qua fundantur tales relationes, est ratio convenientiæ inter ea, quę referuntur: sed unitas numeralis potius est ratio disconvenientiæ, quam convenientiæ: ergo unitas, quæ est fundamentum talium relationum; nequit esse numeralis: & consequenter datur alia unitas realis à numerali, quæ nequit esse alia nisi formalis.

10 Confirmatur; quia relatio identitatis fundatur inter Petrum, & Paulum, quæ non fundatur inter Petrum, & æquum: sed si fundaretur in unitate numerali, non esset major ratio, ut fundaretur inter Petrum, & Joannem, quam inter Petrum, & equum, quia in singularitate æquè differunt, vel æquè conveniunt Petrus, & Paulus, ac Petrus, & æquus: ergo talis relatio identitatis non fundatur in unitate numerali; & consequenter fundatur in alia unitate, quæ nequit esse nisi formalis.

11 Probatur tertiò conclusio, & est ratio similis præcedenti confirmationi; quia si non datur nisi unitas numerica: ergo non datur nisi distinctio numerica, nam unitas, & distinctio sunt opposita, & quot modis dicitur unum oppositum, dicitur & aliud: sed falsum est, quòd solum detur distinctio numerica: ergo etiam est falsum, quod solum detur unitas numerica: Minor patet, nam si tantum daretur distinctio numerica, æquè differrent Petrus, & Paulus, ac Petrus, & equus: sed hoc est falsum, nam plus differunt Petrus, & equus, ac Petrus, & Paulus: ergo datur alia distinctio

præ-

præter numericam, & consequenter alia unitas, quæ nequit esse nisi formalis.

12 Probatur quartò, unitas est passio entis: ergo quot modis aliquid dicitur ens, tot dicitur unum: sed naturæ, quæ denominantur universales, verè, & realiter sunt entia: ergo verè, & realiter habent unitatem: sed hæc unitas non est numeralis, cùm ex suo conceptu formalis naturæ ab ipsa præscindant: ergo est alia unitas; scilicet formalis. Confirmatur, & clarius explicatur præcedens ratio, quia unitas formalis est carentia divisionis formalis, seu per principia formalia: sed Petrus v. g. non solum caret divisione per principia materialia, sed etiam per principia formalia, id est per differentias specificas, & genericas: ergo non solum habet unitatem materialem, seu numericam, sed etiam unitatem formalem.

13 Communis solutio solet esse ad prædictas rationes, quòd solum probant unitatem fundamentalem, seu virtualem. Sed contra est; quia unitas fundamentalis, seu virtualis non est actualis unitas, sed fundamentum, ut intellectus talem unitatem efficiat: sed inter Petrum, & Paulum, v. g. actualiter datur ratio indentitatis independenter ab intellectus consideratione: ergo unitas, supra quam fundatur talis relatio identitatis, debet esse actualis independenter à consideratione intellectus. Patet consequentia; quia relatio, eo modo, quo est relatio, petit fundamentum.

14 Arguunt contra; esse formale non convenit rebus à parte rei, sed per operationem intellectus: ergo unitas formalis, quæ sequitur esse formale, non datur à parte rei, sed per operationem intellectus. Hoc argumentum est præcipuum fundamentum oppositæ sententię, quod latè prosequuntur adversarii, sed commodius respondetur quæstione sequenti. Pro nunc autem negamus antecedens: quia esse formale est esse in-

trin-

tionatam, sed quælibet natura habet propriam essentiam, ac entitatem secundum se, & ut à singularitate aliquomodo distincta; ergo ut sic habet propriam unitatem: sed hæc nequit esse alia, nisi formalis, ergo naturæ in statu essentiæ convenit unitas formalis. Argumenta, quæ solent obiici contra hanc conclusionem, potius sunt contra sequentem.

3 Dicimus secundò; natura, adhuc in statu existentiæ realis, habet suam unitatem formalem. Hæc conclusio deducitur ex Scoto loco citato, & potest probari rationibus, quibus quæstione antecedenti ostenditur convenientia à parte rei inter individua eiusdem speciei.

4 Deinde probatur aliis rationibus. Prima quia unitas numerica non opponitur unitati formali; ergo unitas formalis non deperditur per unitatem numericam. Secunda, quia divisio numerica solum oponitur unitati numericæ, non tamen unitati formali; ergo licet natura in statu existentiæ sit multiplicata numericè, manet una formaliter. Tertia, quia unitas formalis est propria passio naturæ, & cum ea realiter identificata: ergo in quocumque statu sit natura habet unitatem formalem. Patet consequentia; quia quæ realiter identificantur, nullatenus separari possunt.

5 Arguunt primò; nequit dari aliqua unitas, nisi ratione entitatis indivisæ; sed in individuis non datur natura indivisa, imò est multiplex, & divisa; ergo naturæ, prout in individuis, non convenit aliqua unitas. Respondetur, hoc argumentum procedere contra asserentes, unitatem formalem naturæ non multiplicari ad multiplicationem individuorum; non tamen contra nos ponentes talem multiplicationem, ut patebit quæstione sequenti. Itaque respondetur in forma distinguendo maiorem, nequit dari aliqua unitas nisi ratione entitatis

in-

indiviſæ, ſi talis unitas non ſit multiplicata, concedo: ſi ſit multiplicata nego: & conceſſa minori, nego conſequentiam. Etenim, quod natura dividatur per differentias numericas, ſolum facit, quod unitas formalis ipſam naturam conſequens ſit numericè multiplex, non tamen, quòd ſit multiplex formaliter; quia ad hoc erat neceſſarium, quod natura divideretur per differentias formales, ſeu formaliter: quæ diviſio opponitur unitati formali naturæ; non autem diviſio numerica.

6 Argues contra: ſi unitas formalis eſt multiplicata; ergo jam non eſt unitas, ſed multiplicitas; ergo naturæ in ſtatu contractionis, & exiſtentiæ non convenit aliqua unitas formalis. Reſpondetur diſtinguendo conſequens, non eſt unitas, ſed multiplicitas, hoc eſt, non eſt unica, ſed multiplex numero unitas formalis, concedo, non eſt una, ſed multiplex, id eſt, formaliter multiplicata, nego: quia ad hoc erat neceſſarium quod divideretur natura per principia formalia. Et diſtinguo ultimum conſequens, in ſtatu contradictionis non convenit naturæ aliqua unitas formalis, hoc eſt, omnibus naturis, quæ ſunt in ſingularibus, non convenit ſimul aliqua unica unitas formalis, concedo; cuilibet naturæ non convenit ſua unitas formalis, nego. Sicut enim multiplicatur natura, multiplicatur etiam unitas formalis ipſam conſequens.

7 Dices; ergo unitas formalis non eſt minor unitate numerali. Probatur conſequentia; quia ſi quælibet natura habet ſuam unitatem formalem, unitas formalis nullam relinquit diviſionem; ſed maioritas, vel minoritas unitatis cognoſcitur, ex eo quòd magis, vel minus relinquat diviſionis, ergo unitas formalis non eſt minor unitate numerali. Reſpondetur negando conſequentiam: cuius probationis diſtinguo maiorem, ſi quælibet natura habet ſuam unitatem formalem, unitas formalis nullam relinquit diviſionè

per

per inexistentiam, id est, unica natura cum unica unitate formali non inexistit pluribus membris dividentibus, concedo, per indifferentiam, id est, natura cum sua unitate formali non est indifferens ad plura membra dividentia, nego. Similiter distinguo minorem; maioritas, vel minoritas unitatis cognoscitur, ex eo quod magis, vel minus relinquat divisionis, in illis, quibus natura inexistit præcisè, nego, in illis, ad quæ natura est indifferens, concedo, & nego consequentiam. Etenim, ut unitas formalis sit minor unitate numerali sufficit hæc differentia, scilicet, quod unitas numeralis, ita est determinata ad unum, ut ex se nullatenus alteri convenire possit; Petreitas enim, cui convenit unitas numeralis, ita ex se est determinata ad Petrum, ut nullatenus alteri convenire possit. Unitas verò formalis est talis naturæ, quod ex se non est ad unum determinata (licet alias per singularitatem sit determinata ad unum) sed indifferens ad plura, ita ut naturæ, cui convenit talis unitas formalis, non repugnet quantum est ex se coniungi cum alia singularitate ab illa, cum qua actualiter est conjuncta. De quo iterum redibit sermo loquendò de communitate naturæ. Hoc modo intelligimus Scotum, quando dicit, unitatem formalem esse minorem unitate numerali.

8 Arguunt secundò; tunc aliqua sunt formaliter, seu essentialiter unum, quando habent unam formam, seu unam essentiam; sed ipsa forma, seu essentia est divisa in individuis, & sic non una, sed multiplex; ergo in individuis, seu in statu existentiæ, non habet unitatem formalem. Respondetur distinguendo maiorem; tunc aliqua sunt formaliter, & essentialiter unum, quando habent unam formam, seu essentiam, unitate inexistentiæ, nego, unitate indifferentiæ, concedo. Similiter distinguo minorem; forma, seu essentia, quæ est divisa in individuis, non est una, unitate inexistentiæ, concedo;

uni-

unitate indifferentiæ, nego, & nego consequentiam. Etenim, ut aliqua individua dicantur esse unum formaliter, non requiritur, quod natura, seu essentia illorum sit una per inexistentiam in illis; sed sufficit, quod sit una per indifferentiam: quod convenit naturæ ubicumque reperiatur, licet sit materialiter divisa; de quo amplius quæstione sequenti, & etiam loquendo de communitate naturæ.

9 Pro aliis argumentis observandum est, quod status essentiæ; ut præscindens ab existentia, non solum dicit essentiam naturæ in statu potentialitatis, antequam producatur, aut essentiam naturæ in esse obiectivo apud intellectum; sed etiam statum actualitatis, quatenus essentia, sub existentia manens, aliquomodo ab ipsa existentia ex sua ratione formali præscindit licet non neget existentiam, sed tantum dicit præcisionem, ad quam sequitur quasi indifferentia ex se ad existendum, vel non existendum, nam tunc loquitur de essentia, sive existat, sive non; sicut similiter scientia dicitur abstrahere ab existentia; non quia non possit haberi de rebus existentibus: sed quia indifferenter habetur, sive existant, sive non. Unde unitas, seu indivisio, quæ convenit naturæ in statu essentiæ, convenit etiam naturæ in statu existentiæ, seu prout in individuis; non quidem reduplicativè, ut in illis, sed specificativè.

QUÆSTIO IV.

Utrùm multiplicetur unitas formalis naturæ ad multiplicationem individuorum?

1. HÆc quæstio coincidit cum alia, quæ sub his titulis solet exagitari, an scilicet, natura per unitatem formalem sit communis per

per inexistentiam, vel per indifferentiam? Vel an sit communis positivè, vel negativè? Nos autem, claritatis gratia, prius illam sub proposito titulo exagitabimus, & postea de naturæ communitate agemus.

2 Dicimus ergo: unitas formalis multiplicatur ad multiplicationem individuorum, ita ut non detur unica unitas formalis, sed tot quot sunt individua. Hæc conclusio videtur expressa Scoti, nam in 2. dist. 3. quæst. 6. §. *Ad quæstionem*, litt. E dicit, loquendo de unitate formali, ut potest videri in littera: *Concedo ergo, quod unitas realis non est alicuius entitatis existentis in duobus individuis, sed in uno*. Et in 3. dist. 8. quæstione unica, in fine, innuit multiplicationem unitatis formalis ad multiplicationem individuam; dum inquit; *Et tunc ad propositum dico, quod in natura humana in Christo est unitas aliqua realis minor unitate numerali, & similiter unitas realis in Maria*. Ubi notandum est illud verbum *similiter*, per quod clarè denotatur, quod unitas formalis humanitatis Christi non est eadem numericè, ac unitas formalis humanitatis Mariæ; sed numericè ab illa distincta, licet utraque unitas formalis sit similis.

3 Probatur autem conclusio ratione; quia natura humana, v. gr. multiplicatur ad multiplicationem individuorum; ergo similiter multiplicatur unitas formalis ipsam consequens. Probatur consequentia; quia unitas formalis est propria, & intrinseca passio naturæ, & ab ea realiter indistincta; sed implicat, quod aliqua natura, seu essentia multiplicetur, quin etiam multiplicetur quidquid cum illa realiter identificatur; ergo sicut natura multiplicatur numero ad multiplicationem individuorum, ita multiplicatur unitas formalis cum ea realiter identificata. Hæc ratio prosequetur quæstio-

ſtione ſequenti, & aliæ, quæ ibi ponendæ ſunt, hic poſſunt applicari.

4 Arguunt primò: per unitatem dicitur aliquid unum in ſe, & diviſum à quolibet alio: ergo ſi in quolibet individuo datur unitas formalis, conſtituet illud unum in ſe, & diviſum à quolibet alio individuo formaliter: ſed unum individuum non eſt diviſum formaliter ab alio ejuſdem ſpeciei: ergo quodlibet individuum non habet unitatem formalem diſtinctam ab unitate formali alterius individui. Reſpondetur diſtinguendo antecedens: per unitatem dicitur aliquid unum in ſe, & diviſum à quolibet alio, eo modo, quo unitas eſt propria illius, concedo: alio modo, nego; & diſtinguo conſequens, ſi in quolibet individuo datur unitas formalis, conſtituet illud unum in ſe, & diviſum à quolibet alio individuo formaliter; à quolibet alio individuo diverſæ ſpeciei, concedo, à quolibet alio individuo ejuſdem ſpeciei, nego, & conceſſa minori ſubſumpta, nego conſequentiam.

5 Ut autem ſolutio huius argumenti, à qua dependent ſolutiones plurium argumentorum, claré percipiatur, obſervandum eſt, quod illa unitas, quæ eſt propria unius, prout proprium opponitur communi, eo modo, quo eſt propria illius conſtituit illud unum, & eodem modo diviſum à quolibet alio; unitas verò, quæ non eſt propria alicuius, prout proprium opponitur communi, ſed eſt aliquo modo pluribus communis, non conſtituit illud unum in ſe, & diviſum à quolibet alio eorum, quibus talis unitas eſt communis. Nunc ad propoſitum, unitas formalis, quæ eſt in Petro, v. gr. non eſt propria illius, prout proprium opponitur communi, nam talis unitas eſt communis per indifferentiam (ſicut eſt communis ipſa natura; ad quam conſequitur, ut dicimus quæſtione ſe-

sequenti) omnibus individuis speciei humanæ, ita ut quantum est ex se, non repugnet illi esse in quolibet alio individuo, ab illo in quo est, unde non constituit Petrum unum in se formaliter, & formaliter divisum à quolibet alio individuo suæ speciei; unitas verò numerica Petri est propria illius, prout proprium opponitur communi, unde constituit Petrum unum in se numericè, & numericè divisum à quolibet alio individuo suæ speciei; unitas tamen formalis naturæ Petri potest dici propria illius, prout proprium opponitur communi, facta comparatione cum individuis alterius speciei, eo quod sit propria speciei naturæ humanæ, & omnium, quæ sub illa continentur, & hoc modo constituet Petrum unum in se formaliter (sicut ex se nata est constituere per indifferentiam quodlibet aliud individuum ejusdem speciei) & formaliter divisum à quolibet alio individuo alterius speciei.

6 Arguunt secundò; natura humana, quæ est in individuis, non habet divisionem formalem; ergo habet unitatem formalem; sed hæc unitas formalis nequit esse multiplex; quia ad hoc requiritur formalis divisio, seu per differentias formales; ergo est unica, & consequenter non multiplicatur unitas formalis ad multiplicationem individuorum. Confirmatur ex illo Arist. 5. Met. tex. 11. *Universaliter enim; quæcumque non habent divisionem, in quantum non habent sic unum dicuntur, ut si in quãtum homo, unus homo*, sed Petrus & Paulus, v.g. in ratione humanitatis non habent divisionem; ergo in ratione humanitatis sunt unum, & consequenter unitas formalis humanitatis non multiplicatur in illis.

7 Respondetur, concesso primo enthymemate, distinguendo minorem subsumptam; hæc unitas formalis nequit esse multiplex, numericè, nego; nequit esse multiplex, formaliter, concedo, & similiter distinguo consequens, est unica, &c. id est, nõ multiplicata formaliter, con-

cedo, id est, non multiplicata numericè, nego? Etenim, benè stat, quod unitas formalis non multiplicetur formaliter, eo quod natura, quam consequitur, non multiplicatur, neque dividitur per differẽtias formaliter, & quod sit multiplex, seu multiplicetur numericè, eò quod natura, ad quam consequitur, numericè multiplicatur: nam benè stat divisio, seu distinctio formæ, quia sit distinctio, seu divisio formalis, ut benè advertit Scotus in 2. dist. 3. quæst. 7. litt. D. his verbis: *Differentia formalis potest accipi pro differentia in forma, & hoc videtur propriè significare hoc, quod dicitur differentia formalis; vel potest accipi differentia formalis pro differentia formarum, licet non sit in forma, ut in ratione differendi.... non enim sequitur, formæ differunt: ergo formaliter differunt, vel differunt in forma: sicut non sequitur; homines plures differunt: igitur in humanitate differunt; aliud enim est, aliquid distingui, & aliud ipsum esse primum rationem distinguendi, vel distinctionis; quia cum hoc, quod ipsum sit distinctum, stat, quod ipsum non sit ratio distinguendi.* Hæc Scotus; quibus verbis clarè denotat; naturam, & consequenter unitatem formalem propriam illius multiplicari, licet non sint rationes multiplicandi, quod propriè est nostra conclusio, nam dicimus, unitatem formalem multiplicari ad multiplicationem individuorum, & sic esse unitates formales numericè distinctas; non tamen distinctas formaliter, quia non sunt rationes formales distinguendi, sed tantùm rationes formales distinctæ.

8 Ad confirmationem respondetur ex dictis, quod dictum Arist. intelligitur in sensu Scoti, scilicet, quod illa quæ non habent divisionem, in quantum non habent divisionem, sunt unum, id est, ratio in qua non habent divisionem, non est ratio illa distinguendi, cum quo componitur, quòd illa ratio sit distincta, unde ad minorem dicimus, quòd Petrus, & Paulus non habent di-

vi-

visionem in humanitate ex quo solum sequitur, quod humanitas non sit ratio distinguendi Petrum à Paulo, non tamen sequitur, quod humanitas non sit distincta, & multiplicata numericè in Petro & Paulo, & consequenter unitas formalis ipsam consequens, ratione differentiam individualium, quibus in Petro & Paulo coniungitur. Similiter respondetur ad aliud argumentum, quo intenditur probari, quod si unitas formalis multiplicaretur in individuis, individua essentialiter distinguerentur, ad quod argumentum etiã potest responderi ex dictis ad primum.

9 Arguunt tertiò: si in quolibet individuo daretur unitas formalis distincta ab unitate formali alterius individui, sequeretur, tot esse species naturæ humanæ, quot sunt individua eiusdem naturæ humanæ; sed hoc est falsum; quia omnia individua naturæ humanæ sunt eiusdem speciei; ergo non multiplicantur unitates formales ad multiplicationem individuorum. Respondetur (& supponitur, quod loquimur de specie in sensu fundamentali, non autem in sensu formali: quia species non datur formaliter à parte rei, sed per operationem intellectus, ut dicemus loquendo de universali Logico) negando sequelam, quia ad hoc, ut individua naturæ humanæ sint ejusdem speciei, non obstat, quod natura humana, & unitas formalis ipsam consequens, numericè multiplicetur in illis, quia cum hac multiplicatione remanet natura humana, cum sua unitate formali formaliter immultiplicata, & sic communis per indifferentiam omnibus individuis, ut quæstione sequenti explicabimus, quod sufficit, ut natura cum sua unitate formali sit fundamentum speciei naturæ humanæ, & licet quælibet natura cum sua unitate formali numericè ab alia distincta, sit sufficiens fundamentum speciei, non tamen speciei essentialiter diversæ ab illa, quam potest fundare quælibet alia natura; sed eiusdem rationis essentiali-

ter: cum fundamenta, ut dictum est, nullatenus essentialiter differant, imò quælibet natura ex se sit communis per indifferentiam omnibus individuis.

10 Arguunt quartò: relatio identitatis fundatur in unitate formali: sed Petrus & Paulus, v. g. sunt idem in natura per relationem identitatis: ergo natura, quæ est fundamentum talis relationis, est una in Petro & Paulo, & consequenter unitas naturæ non multiplicatur ad multiplicationem individuorum. Respondetur distinguendo consequens, natura quæ est fundamentum talis relationis, est una in Petro & Paulo, id est, non multiplicata formaliter, seu essentialiter, concedo: non multiplicata numericè, nego, & similiter distinguendum est ultimum consequens. Etenim relatio identitatis inter individua ejusdem speciei fundatur in unitate formali, quam ex se habet natura illorum, quæ licet numericè multiplicetur in illis, non tamen multiplicatur formaliter, seu essentialiter, imò ut sic est communis ipsis per indifferentiam, ideòque dicuntur inter se unum formaliter: non tamen plura formaliter: quod clarè patet per oppositum de fundamento relationis diversitatis, quæ datur inter hominem, & equum, nam ideò dicitur fundari in multitudine, quia neque unitas hominis, neque unitas equi est communis per indifferentiam homini, & equo, imò est una ab alia essentialiter diversa: ergo similiter ad hoc, ut Petrus & Paulus, v. gr. dicantur unum formaliter, & relatio identitatis inter illos dicatur fundari in unitate, sufficit, quòd unitas formalis naturæ cujuscumque non sit propria unius, prout proprium opponitur communi, sed communis ipsis per indifferentiam.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

An natura per unitatem formalem sit communis pluribus, & quomodo?

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est, quod communitas naturæ dupliciter potest considerari, scilicet, vel per inexistentiam, vel per indifferentiam. Communitas per inexistentiam consistit in hoc, quod una, & eadem natura, realiter sine formali ipsius naturæ divisione, sit in omnibus omnino immultiplicata. Communitas per indifferentiam consistit in hoc, quod una, & eadem natura ex se sit indifferens ad plura, ita ut per quodlibet possit determinari. Quæ communitas adhuc dupliciter potest sumi, scilicet, positivè, & negativè. Communitas positiva per indifferentiam dicitur illa, secundum quam natura concipitur in se indivisa, & ab omnibus differentiis individualibus abstracta, æqualiter respiciens omnes, & singulas, quæ indifferentia solet etiam appellari contraria; quia positivè contrariatur determinationi actuali per aliquam differentiam. Communitas negativa, seu per indifferentiam negativam dicitur illa, quam adhuc in se retinet natura quando contracta est per aliquam differentiam, nam cum etiam in statu contractionis ex se sit aliquomodo prior, & distincta a differentia, per quam contrahitur, retinet quãdam non repugnantiam ex sua ratione formali, ut possit esse, quantum est ex se, sub alia singularitate ab ea, sub qua est, & dicitur indifferentia negativa, quia in illo statu contractionis est negata illa indeterminatione, seu indifferentia, quam diximus habere in statu abstractionis; licet talis negatio indeterminationis non proveniat illi ex se, & ab intrinseco, sed tantum ab extrinseco, scilicet, a differentia individuali.

2 Aliter solent explicari supradictæ indifferentiæ sub nomine apritudinis, itaut indifferentia positiva dicatur aptitudo proxima ad essendum in multis; licet divisivè, ita ut sine aliquo impedimento possit coniungi, cum qualibet differentia, seu singularitate: quod convenit naturæ in statu abstractionis, indefferentia vero negativa dicatur aptitudo remota ad essendum in multis, licet divisivè, & dicitur remota, quia, licet ex se habeat natura capacitatem, ut cum qualibet differentia, seu singularitate coniungatur, tamen talis capacitas est impedita per contractionem unius differentiæ, seu singularitatis, propter quod impedimentum, talis potentia, seu capacitas nequit reduci ad actum. Unde universaliter loquendo, communitas per indifferentiam negativam nihil aliud dicit, juxta communem modum loquendi Scotistarum, nisi quod natura ex se non sit singularis, imo ex suo conceptu formali excludat singularitatem, quia cum ut sic non dicat ex se impedimentum communitatis, scilicet, singularitatem, ex se potest dici negativè communis, quod idem est, ac ex se negans, seu excludens impedimentum communitatis. Hoc notato.

3 Duplex est sententia. Prima asserit, naturam esse communem individuis per inexistentiam. Sic plures Scotistæ citati a Mastrio disp. 4. Logicæ q. 1. ar. 1. & disp. 9. Met. q. 5. in initio, qui communiter citant pro se Scotum in 2. dist. 3. q. 1. Secunda sententia tenet, naturam solum esse communem negativè per indifferentiam. Sic Mastrius citatus, & est communior consensus Scotistarum, cum Scoto infra citando. Huius quæstionis decisio dependet plurimum ex intelligẽtia quęstionis pręcedentis. Recolantur ibi dicta. Quia tamen in hac quęstione est duplex controversia, altera circa communitatem per indifferentiam, & altera circa cõmunitatem per inexistentiam, ideo illã in duas sectiones dividemus.

SE-

SECTIO I.

De communitate naturæ per indifferentiam.

4 SUpponitur tamquam certum, naturam non esse communem positivè per indifferentiam, quod patet, quia communitas positiva per indifferentiam, ut dictum est, convenit naturæ abstractæ ab omnibus differentiis individualibus, ita ut sit contrariè indifferens, seu indeterminata, vel ita ut absolutè excludat determinationem per aliquam differentiam, seu singularitatem: sed quælibet natura, licet ex se non sit singularis; absolutè tamen loquendo; semper est determinata, & contracta per aliquam differentiam, seu singularitatem: ergo non est communis positivè per indifferentiam. Unde communitas positiva per indifferentiam solum convenit naturæ in statu abstractionis per intellectum, quia in tali statu nullam dicit contractionem. Hoc supposito.

5. Dicimus: natura, cui convenit unitas formalis, est communis negativè per indifferentiam omnibus suis inferioribus modo supra explicato. Hæc conclusio videtur expresse Scoti in 2. dist. 3. quæst. 1. ubi §. *Ad quæstionem*, litt. E. dicit; *Aliqua est unitas in re realis absque omni operatione intellectus minor unitate numerali, sive unitate propria singulari, quæ unitas est naturæ secundum se, & secundum istam unitatem propriam naturæ, ut natura est, natura est indifferens ad unitatem singularem, ergo de se est sic una unitate illa, scilicet, unitate singularitatis*. Et infra, *vers. Qualiter*, litt. G. dicit, loquendo de natura: *Ita etiam in rerum natura secundum illam entitatem habet verum esse extra animam, & secundum illam entitatem habet unitatem sibi proportionabilem; quæ est in-*

differens ad ſingularitatem, ita quod non repugnat illi unitati de ſe, quod cum quacumque unitate ſingularitatis ponatur. Hoc ergo modo intelligo naturam habere unitatem realem minorem unitate numerali. Similia verba habet, §. *Ad primum dico*, litt. H. & *verſ. Ad ſecundam inſtantiam*, litt. K: & *verſ. Dupliciter*, ſub eadem littera. Et §. *Et per hoc pat et*, litt. L. & communiter in tota quæſtione, hanc communitatem negativam per indifferentiam ſatis dilucidè explicat. Ecce quomodo noſtra concluſio eſt expreſsè de mente Scoti.

6 Probatur autem in concluſio ratione ex verbis ipſius Scoti deducta: quia natura, quæ a parte rei reperitur in aliquo individuo, non eſt ex ſe, & ab intrinſeco ſingularis: ergo ex ſe præſcindit a ſingularitate: ſed natura a ſingularitate præſcindens, eo modo, quo præſcindit, eſt indifferens ad quamlibet ſingularitatem: ergo natura ex ſe habet hanc indifferentiam: ſed talis indifferentia nequit reduci ad actum, propter impedimentum ſingularitatis, cum qua realiter identificatur: ergo talis indifferentia eſt negativa modo ſupra explicato, & conſequenter natura à parte rei eſt ex ſe communis negativè per indifferentiam. Antecedens, in quo eſt difficultas, probatur: quia ſi ex ſe eſſet natura ſingularis, nullatenus poſſet concipi ſub oppoſito ſingularitatis, ſcilicet, ſub non repugnantia, ut multiplicetur in pluribus, ſeu ſub univerſalitate: ſed natura creata, quæ eſt in individuo, poteſt concipi ſub tali non repugnantia, ſeu ſub univerſalitate; ergo ex eo eſt, quia natura creata non eſt ex ſe ſingularis. Probatur maior: quia natura divina nequit concipi ſub tali non repugnantia, ſeu cum univerſalitate, quia ex ſe eſt hæc, & ſingularis: ergo ſi natura creata eſſet ex ſe ſingularis, non poſſet concipi ſub tali non repugnantia, ſeu ſub univerſalitate: ergo natura creata non eſt ex ſe ſingularis, & conſe-

sequenter est communis negativè per indifferentiam.

7 Respondent aliqui negando paritatem; quia ex eo inquiunt, natura divina nequit concipi, ut communicabilis, seu universalis, quia est infinitè perfecta, quæ perfectio obstat, ut aliæ consimiles naturæ cœxistant; at verò natura creata est finita, & limitata, & sic non est inconveniens, ut sint plura individua ejusdem naturæ, & plures consimiles naturæ cœxistant: sed talis non repugnantia nòn est aliqua communicabilitas naturæ intellectum præcedens. Sed contra est; quia natura Divina nequit concipi sub non repugnantia, ut plurificetur ratione suæ infinitæ perfectionis, quæ petit, ut sit de se hæc, & singularis; ergo quòd natura creata possit concipi sub hac non repugnantia, erit quia ratione suæ finitæ, & limitatæ perfectionis, non est de se hæc, & singularis, & consequenter, quia ex se est communis negativè per indifferentiam: quæ communitas, ut dictum est, solum consistit in hoc, quòd natura ex se non sit singularis.

8 Confirmatur: quia, quòd natura Divina non sit multiplicabilis numero, pendet ex aliqua intrinseca proprietate ipsius naturæ Divinæ: ergo, quòd natura creata sit multiplicabilis numero, pendet ex aliqua proprietate intrinseca ipsius naturæ creatæ: sed in natura Divina nequit assignari alia intrinseca proprietas, qua non possit numero multiplicari, nisi quia propter suam infinitam perfectionem est de se hæc, & singularis: ergo in natura creata nequit assignari alia intrinseca proprietas, qua possit numero multiplicari, nisi quia propter suam finitam, & limitatam perfectionem, non est de se hæc, & singularis, & consequenter est communis negativè per indifferentiam. Aliæ responsiones contrariorum adducit Mastrius disputat. 9. Met. quæst. 4. art. 1. quas ipse impugnat.

sed illas omittimus, quia videntur coincidere cum præcedenti, & ex dictis in hac, & antecedentibus quæstionibus impugnari possunt.

9 Arguunt primò: quidquid prædicatur de superiori, prædicatur de quolibet inferiori contento sub illo: sed de natura, quæ est superior, prædicatur, quòd est una formaliter negativè communis per indifferentiam: ergo de quolibet inferiori prædicatur, quòd est unum formaliter negativè commune per indifferentiam: sed hoc est falsum; quia inferius, seu individuum non est negativè commune per indifferentiam: ergo neque potest prædicari de natura, quæ est superior, quòd sit communis negativè per indifferentiam. Resp. prim. dist. mai. quidquid prædicatur de superiori, prædicatur de quolibet inferiori contento sub illo, si prædicatur suppositione personali, concedo; si prędicatur suppositione simplici, nego. Similiter distinguo minorem; de natura, quæ est superior, prædicatur, quòd est communis negativè per indifferentiam suppositione simplici, concedo; suppositione personali; nego. Unde nego consequentiam.

10 Aliqui Scotistæ non admittentes hanc responsionem, sic arguunt contra illam: prædicatum, quod convenit naturæ à parte rei, semper prædicatur de natura, ut supponitur suppositione personali: sed naturæ convenit à parte rei communitas negativa per indifferentiam: ergo prædicatur de natura, ut supponitur suppositione personali. Sed resp. dist. mai. prædicatum, quod convenit naturę à parte rei, prędicatur de natura, ut supponitur suppositione personali, si tale prædicatum conveniat illi absolutè, & sine addito, concedo; si non conveniat illi absolutè, sed cum addito *ex se*, nego. Dist. etiam min. naturæ convenit à parte rei communitas negativa per indifferentiam, absolutè, & sine addito, nego; cùm addito *ex se*, concedo, & nego consequentiam. Quæ solutio apertè tenet, nisi

hoc

hoc reducatur ad quæstionem de nomine, de qua parùm est curandum.

11 Secundò respondent alii ad argumentum, dist. etiam mai. quidquid prædicatur de superiori, prædicatur de quolibet inferiori contento sub illo, secundum rationem, & eo modo, quo prædicatur de superiori, concedo: alio modo, nego, & similiter distinguitur totum argumentum. Etenim, cùm de natura prædicetur communitas negativa per indifferentiam, non absolutè, sed cum addito *secundum se*, eodem modo, & non aliter potest prædicari de quolibet inferiori, hoc est, secundum illam naturam; ita ut verum sit dicere; individuum secundum naturam humanam est unum formaliter negativè commune per indifferentiam; quia facit hunc sensum: humanitas, quæ est in individuo, est una formaliter negativè communis per indifferentiam, quod verum est. Aliter respondent alii, sed in idem incidit.

12. Arguunt secundò; quando aliquid alicui convenit per se, eius oppositum, neque per se, neque per accidens, potest illi convenire: sed communitas negativa per indifferentiam, & singularitas sunt opposita: ergo si naturæ convenit per se communitas negativa, singularitas neque per se, neque per accidens potest illi convenire; sed cuilibet naturæ saltim per accidens, convenit singularitas: ergo natura non est per se communis negativè per indifferentiam. Resp. comm. disting. mai. quando aliquid alicui convenit per se, eius oppositum neque per se, neque per accidens potest illi convenire, si est oppositum per se, concedo; si est oppositum per accidens, subdistinguo; nequit illi convenire per se, concedo, nequit illi convenire per accidens, nego; similiter distinguo minorem, singularitas est oppositum communitatis negativæ per indifferentiam, per accidens, concedo, per se, nego, & distinguo consequens,

si naturæ convenit per se communitas negativa ; singularitas nequit illi convenire per se, concedo ; per accidens, nego, & concessa minori subsumpta, nego conseq. Etenim singularitas non per se opponitur communitati negativæ, quia cùm communitas negativa tantum dicat, quòd natura ex se non sit singularis, tantum illi opponeretur per se quod per se esset singularis, quod nullatenus contingit, cùm sit singularis per aliud scilicet, per hæcceitatem, seu singularitatem super additam, & sic singularitas tantum per accidens opponitur communitati negativæ per indifferentiam, unde per accidens potest naturæ sic communi convenire.

13 Aliter respondetur negando min. Etenim communitas negativa per indifferentiam non dicit absolutè carentiam singularitatis, imò necessariò supponit coniunctionem cum singularitate, & per hoc dicitur communitas negativa, seu per indifferentiam negativam ; quia negat indifferentiam positivam, quæ absolutè dicit carentiam singularitatis, ut dictum est supra explicando prædictas indifferentias. Etenim quando dicimus, quòd natura est communis negativè, seu per indifferentiam negativam ; tantum intelligimus naturam, quæ absolutè à parte rei est singularis ; sed tamen singularitas non convenit illi ex sua ratione formali. Ex quo patet, quòd singularitas non opponitur communitati negativæ, seu per indifferentiam negativam ; benè tamen opponitur singularitas communitati positivæ, seu per indifferentiam positivam, nam hæc communitas dicit abstractionem ab omni singularitate, & consequenter carentiam singularitatis.

14 Dices contra ; communitas dicit negationem omnis determinationis ; sed natura à parte rei existens, licet ex se non habeat determinationem, habet tamen illam à principio extrinseco ; ergo nullam habet communita-

tem.

tem. Respondetur distinguendo maiorem, communitas dicit negationem omnis determinationis, si est communitas positiva, seu per instifferentiam positivam, concedo; si est communitas negativa, seu per indifferentiam negativam, nego, & concessa minori, distinguo consequens, natura nullam habet communitatem positivam, seu per indifferentiã positivam, concedo, nullam habet communitatem negativam, seu per indifferentiam negativam, nego. Etenim ut dictum est communitas negativa, seu per indifferentiam negativam non opponitur absolutè determinationi naturæ, sed determinationi naturæ secundum se, cùm talis communitas non conveniat naturæ absolutè, sed naturæ secundum se, unde cùm natura per singularitatem tantum sit absolutè determinata, non tamen ex se, tantum potest dici, quòd absolutà non est communis, seu est determinata, non verò potest dici, quòd ex se non est communis, seu est determinata, quia licet à parte rei natura semper sit determinata per singularitatem, & ut sic sit propria alicujus singularis, tamen non habet ex se talem singularitatem, neque talem appropriationem, & sic licet repugnet naturæ communicari alteri, ut est sub hac singularitate, & in sensu composito, id tamen ex se illi non repugnat, & consequenter ex se, & intrinsecè erit apta, seu ei non repugnabit esse in alia singularitate ab illa in qua est, quod clarè innuit Scotus quæst. 1. supra citata litt. L. dicens: *Omnis substantia per se existens, est propria ei, cujus est, hoc est, vel ex se ipsa, vel est propria per aliquod contrahens facta propria, quo contrahente posito, non potest inesse alteri, licet non repugnet ei ex se inesse alii.*

15. Arguunt tertiò: si natura ex se non dicit singularitatem: ergo ex se dicit carentiam singularitatis: ergo nunquam potest habere singularitatem. Respondetur primò, concesso

pri-

primo enthymemate, distinguendo secundum consequens, numquam potest habere singularitatem ex se, concedo, absolutè, nego. Quæ distinctio patet ex supradictis. Respondetur secundò, & in idem incidit: distinguendo primum consequens, ex se dicit carentiam singularitatis præcisivè, concedo; negativè, nego: est dicere natura ex se præscindit à singularitate, seu non includit illam in suo conceptu formali, non tamen dicit negationem singularitatis; seu negationem habendi singularitatem, imò potius, ut supra dictum est, supponit esse coniunctam à parte rei cum singularitate, à qua formaliter præscindit, seu quam non includit in suo conceptu formali, unde distinguendum est ultimum consequens, ut supra.

16 Arguunt quartò: si natura est prior singularitate, & ex se indifferens ad hanc, vel illam singularitatem: ergo non repugnat illi, quod ponatur cum alia singularitate, vel sine aliqua; Patet consequentia: quia priori non repugnat esse sine posteriori, ut sæpè docet Scotus, & Arist. 5. Met. c. 16. ubi dicit, quòd priora natura dicuntur illa, quæ possunt esse sine aliis; non verò alia sine ipsis. Confirmatur primò, quia si natura non posset esse sine singularitate, dependeret ab illa; sed prius non dependet à posteriori ergo si natura est prior singularitate, poterit esse sine illâ. Secundò; quia si natura est prior singularitate, est in aliquo instanti, in quo non est singularitas: sed quod est in aliquo instanti, in quo non est aliud, potest a Deo conservari sine illo: ergo natura potest conservari à Deo sine singularitate.

17 Respondetur ad argumentum distinguendo consequens; non repugnat ex se, concedo, ex aliquo concomitante, nego. Etenim verum est, quod priori reduplicativè, ut tali non repugnat ex se esse sine posteriori, potest tamen illi repugnare ex aliquo concomitante, scilicet,

ex

ex identitate reali cum posteriori, ut patet in essentia respectu propriæ passionis, & hoc contingit in nostro casu, nam licet naturæ ex se, & ut est prior singularitate, non repugnet esse sine illa, vel cum alia, repugnat tamen, quia cùm illa realiter identificatur, & in hoc sensu loquitur Scotus, quando dicit, quòd prius potest esse sine posteriori. Arist. autem loquitur de prioritate existentiæ, qualem habet materia, v. g. respectu formæ, in sententia Scoti, & sic potest esse, & conservari sine forma; sed hanc prioritatem non habet natura respectu singularitatis, cùm non præsupponatur existens ad singularitatem, & sic nequit sine illa conservari. Vel intelligitur Arist. in sensu Scoti.

18 Ad primam confirmationem respondetur, quòd nullum est inconveniens concedere, naturam dependere à singularitate dependentia à posteriori, quæ impropriè dicitur dependentia, & propriè dicitur cœxigentia; nam certum est, naturam coexigere singularitatem. Ad secundam confirmationem respondetur, quòd tantum est vera, loquendo de instanti durationis, non verò de instanti naturæ; ut contingit in præsenti, cùm natura non sit prior singularitate prioritate durationis; sed tantum prioritate naturæ. Vel aliter resp. neg. mai. quia licet natura sit prior singularitate, non inde sequitur, quod sit in aliquo instanti, in quo non est singularitas, quia esse, vel non esse solùm mensuratur per prioritates, vel instantia durationis; non verò per prioritates, vel instantia naturæ: nam cùm hoc, quòd unum sit prius natura alio, stat, quòd utrumque sit simul duratione, ut alibi amplius declarabitur.

19 Argues contra: natura in esse reali, & actuali est prior singularitate, & ut sic non repugnant illi esse sine quacumq; singularitate: ergo non determinat sibi aliquam singularitatem.

Pro-

Probat. consequentia per simile argumentum Scoti factum in 2. dist. 12. quæst. 2. litt. C. his verbis: *Quidquid contingenter se habet ad quodlibet cuiuslibet generis absoluti habet se contingenter ad illud genus absolutum; sed materia prima contingenter se habet ad quamlibet formam; ergo contingenter se habet ad totum genus formæ.* Unde infert Scotus, quòd materia potest esse sine omni forma. Nunc sic: si natura est prior singularitate, & ut sic indifferens ad omnem singularitatem, nullam singularitatem determinat, imò contigenter se habet ad omnem singularitatem, ergo sicut propter hoc materia potest esse sine omni forma, ita natura sine omni singularitate: sed hoc est falsum; ergo natura non est prior singularitate, neque indifferens ad omnem singularitatem. Respondetur distinguendo consequens; non determinat sibi aliquam singularitatem ex se, concedo; absolutè, nego. Ad probationem nego paritatem; quia in argumento Scoti fit comparatio materiæ ad formas realiter distinctas ab illa, hic autem fit comparatio naturæ ad singularitates, non ut distinctas ab illa, & sic non tenet paritas.

20. Ut autem disparitas percipiatur, notanda est maxima differentia, quæ versatur inter materiam comparatam ad formas ex una parte, & inter naturam comparatam ad singularitates ex alia, etenim materia prima, non solum ex se non determinat sibi aliquam formam, sed neque absolutè loquendo illam determinat, ideoque non solùm ex se, sed etiam absolutè loquendo potest esse sub alia distincta ab illa sub qua est, ut naturaliter contingit per generationem, & corruptionem, & etiam potest esse sine aliqua per potentiam Dei absolutam, ut intendit argumentum Scoti: at verò natura, licet ex se non determinet sibi aliquam singularitatem, tamen absolutè loquendo illam sibi determinat; ideòque licet ex se non repugnet naturæ esse

esse sub alia singularitate ab illa sub qua est, vel sine aliqua, repugnat tamen absolutè loquendo, imò in hoc consistit indifferentia negativa, nam ut supra diximus, talis indifferentia negat indifferentiam positivam, quæ dicit carentiam determinationis absolutè, & sic negativa indifferentia naturæ ex se, necessario dicit determinationem per aliquam singularitatem absolutè loquendo.

21. Argues contra: nihil potest identificare sibi illud, sine quo aliquando potuit esse, imò absolutè potest esse: sed humanitas Petri, v.g. potuit esse sine differentia individuali Petri, nam sicut fuit contracta per illam, ita potuit contrahi per differentiam individualem Pauli, imo adhuc, ut est contracta per differentiam individualem Petri, est indifferens ad hoc, ut per aliam differentiam individualem contrahatur: ergo nequit sibi identificare differentiam individualem Petri. Respondetur ex dictis distinguendo maiorem, nihil potest identificare sibi illud, sine quo aliquando potuit esse absolutè loquendo, concedo; sine quo potuit esse ex se præcisè, nego. Similiter distinguo minorem humanitas Petri potuit esse sine differentia individuali Petri, ex se præcisè, concedo, absolutè loquendo, nego. Eodem modo distinguo consequens; nequit sibi identificare differentiam individualem Petri, ex se præcisè, concedo, absolutè loquendo, nego. Etenim verum est, quod natura ex se non determinat, neque sibi identificat aliquam singularitatem, imo ex se est indifferens ad quamlibet sibi identificandam, tamen absolutè loquendo illam sibi necessario identificat.

22 Ut autem hoc clarius percipiatur advertendum est, quod determinatio rei, tam in esse possibili, quam in esse existentiali, propriè convenit individuis, nam sicut omne quod existit necessariò est individuum, ita similiter,

ter, omne quod est possibile; nam possibilitas est in ordine ad existentiam: omnia autem illa, quæ per se non possunt existere, consequenter per se non sunt possibilia, & sic per se non sunt determinata, neque secundum esse possibile, neque secundum esse existentiale, sed solum sunt determinata ratione individuorum. Nunc ad propositum: natura secundum se, neque est determinata ad esse possibile, neque ad esse existentiale, & consequenter neque ad esse individuale, quia tamen individuum in quo est natura ex se est determinatum ad esse tale, tam in esse possibili, quam in esse existentiale, ideo absolutè loquendo dicitur, & est natura determinata ad esse talis individui, tã in esse possibili, quam in esse existentiali ratione determinationis individui, & cum natura ex se, seu in suo formalissimo conceptu, non includat aliquod prædicatum ratione cuius, ad esse talis individui determinetur, ideo dicimus, quod ex se, seu ex sua ratione formali, est indifferens ad hoc, ut sit in quolibet individuo, seu cum quacumque singularitate identificetur, licet alias, seu absolutè loquendo, hoc illi repugnet; quia absolutè identificatur cum aliquo prædicato, scilicet, cum determinata singularitate, ratione cuius nequit cum alia identificari.

23 Argues contra: natura Petri, v. g. distinguitur realiter à qualibet alia singularitate: ergo etiam realiter distinguitur a singularitate Petri. Consequentia patet, quia quod distinguatur a pluribus eiusdem rationis, distinguitur a quolibet alio illius rationis, non enim apparet maior ratio unius quam alterius. Resp. dist. antec. natura Petri distinguitur realiter a qualibet alia singularitate, ratione singularitatis Petri, quam absolutè loquendo habet, concedo, ex se, seu ex sua ratione formali, nego, & nego consequentiam. Ad probationem respondetur, quod est vera, quãdo non est aliqua specialis ratio unius,

quam

quam alterius, ut denotavi in probatione ibi inclusa, falsa tamen quando est aliqua ratio unius, & non alterius, unde negamus, quod in præsenti non sit maior ratio unius, quam alterius.

24 Etenim singularitas Petri, v. g. est ratio distinguendi naturam Petri ab aliis singularitatibus, & sic nequit natura Petri distingui realiter a tali singularitate, sicut distinguitur a qualibet alia, quæ non est ratio distinguendi illam, sicut est singularitas Petri: quod intelligitur absolutè loquendo, nam ex se natura, seu ex sua ratione formali, sicut est indifferens ad hoc ut sit sub hac, vel sub illa singularitate, ita est indifferens ad hoc, ut cum hac, vel cum illa identificetur, seu ad hoc, ut hæc, vel illa sit ratio illam distinguendi ab aliis; unde dicendum est (in quo consistit tota ratio communitatis naturæ) quod natura ex se est indifferens ad hoc ut identificetur, cum quacumque singularitate realiter, & ad hoc, ut formaliter distinguatur a quacumque; licet absolutè loquendo determinatè identificetur realiter, cum aliqua singularitate, & ab ea formaliter distinguatur, ut supra dictum est num. 22. Alia huc conducentia possunt videri apud Lichetum super Scotum in 2. dist. 3. qu. 1. & apud Mastrium disp. 9. Metaph. qu. 2. & 4. subtiliter discussa.

SECTIO II.

De communitate naturæ per inexistentiam.

25 Non defuerunt aliqui, præcipuè inter Scotistas asserentes naturas creatas esse communes individuis per inexistentiam, ita quod una, & eadem humanitas, v. g. reperiatur in omnibus hominibus simul, & humanitas unius non differat ab humanitate alterius entitativè, sed tantum extrinsecè, & ratione differen-

rentiarum individualium, quod idem est, ac dicere, quod individua speciei humanæ realiter distinguuntur, non tamen illorum naturæ. Pro hac sententia citat Mastrius disp. 9. Metaph. quæst. 5. aliquos Scotistas antiquos non parvi momenti, unde nihil mirum, quod pro hac sententia citetur Scotus ab aliquibus extra subtilem scholam velligerantibus, cùm etiã à supradictis Scotistis citetur; tamen opposita sententia est communior consensus Scotistarum, tam veterum, quam recentiorum citantium Scotum locis à nobis citatis, in hac disputatione qu. 4. num. 2. nam hic, & ibi eadem videtur esse ratio, & pluribus aliis in locis, in quibus loquendo de communitate naturę, nunquam per inexistentiam in individuis, sed semper per indifferentiam illam explicat. Igitur pro hac sententia.

26 Dicimus: natura creata, cui convenit unitas formalis, non est communis individuis per inexistentiam. Hanc conclusionem pluribus rationibus probant Scotistæ ex quibus præcipuas proponemus. Probatur igitur primò: si natura esset communis individuis per inexistentiam esset universale formale à parte rei, & independenter ab intellectus consideratione: sed hoc est contra Scotum, nam loquendo de universali formali in 2. dist. 3. qu. 1. lit H. inquit; *Universale in actu est illud, quod habet unitatem secundum quam idem ipsum est in potentia proxima, ut dicatur de quolibet supposito, quia 1. Poster. universale est, quod est unum in multis, & de multis; nihil enim secundum quamlibet unitatem in re est tale, quod secundum ipsam unitatem sit in potentia proxima ad quodlibet suppositum, ut dicatur de quolibet supposito prædicatione dicente; hoc est hoc.... hoc est enim solùm possibile de obiecto eodem indifferenti actu considerato ab intellectu*, ergo natura non est communis individuis per inexistentiam. Se-

quela

quela videtur evidens; quia si natura esset una, & communis pluribus per inexistentiam, posset de illis prædicari prædicatione dicente, hoc est hoc: ergo daretur à parte rei universale formaliter.

27 Respondent, quod ad rationem universalis non sufficit, quod natura sit una formaliter, seu formaliter indivisa in pluribus; sed etiam requiritur, quod sit numericè indivisa, unde licet natura sit una formaliter, & communis pluribus per inexistentiam, cùm non sit numericè indivisa, imò divisa numericè, non est universalis formaliter. Sed contra hoc arguunt communiter Scotistæ. Primò, quia ad rationem formalem universalis sicut requiritur unitas formalis, requiritur etiam divisio numerica, nam universale est unum in multis, & de multis: quod melius nequit intelligi, nisi quod sit unum per unitatem formalem, & in multis per divisionem numericam; sed hoc ipsum habet natura juxta prædictam responsionem, si est una formaliter communis pluribus per inexistentiam; ergo prædicta responsio, admissa communitate naturæ per inexistentiam, non aufert universalitatem formalem.

28 Secundò; quia illa unitas sufficit ad universale, quæ sufficit, ut aliquid sit proximè prædicabile de pluribus; sed si natura est una formaliter, & communis pluribus per inexistentiam, est proximè prædicabilis de illis: ergo, quòd sit divisa numericè non obstat ad hoc ut sit formaliter universalis. Probatur minor, quia ad hoc, ut aliquid sit proximè prædicabile de pluribus sufficit, quod sit intrinsecè, & essentialiter in illis secundum illam rationem, secundum quam prædicatur, sed si natura humana, v. gr. est una formaliter, & communis pluribus per inexistentiam includitur intrinsecè, & essentialiter in illis secundum illam rationem,
secun-

secundum quam prædicatur, licet numericè sit divisa; ergo est universalis formaliter. Minor patet; quia natura humana solum prædicatur secundum rationem formalem naturæ, non verò secundum rationem numericam, ergo si natura humana est ut formaliter, & communis pluribus per inexistentiam, includitur intrinsecè, & essentialiter in illis secundùm illam rationem, secundùm quam prædicatur, licet sit numericè divisa, & consequenter admissa communitate naturæ per inexistentiam, non obstat divisio numerica, ut natura sit proximè prædicabilis de pluribus, & ut sic formaliter universalis.

29 Aliter tamen impugnatur prædicta responsio, quia ex illa videtur deduci evidenter nostra conclusio, nam in illa dicitur, quod natura est numericè divisa; ergo natura multiplicatur numero, & consequenter tot sunt numero distinctæ naturæ, quot sunt ipsius individua; sed unitas formalis naturæ necessariò multiplicatur ad multiplicationem naturæ; nam est propria passio illius, & cum illa realiter identificata, & nequit unum multiplicari, quin eodem modo multiplicetur quod cum illo realiter identificatur; ergo non datur in natura aliqua unitas formalis ratione cuius sit communis pluribus per inexistentiam.

30 Deinde quando dicunt, quod natura est indivisa formaliter, vel intelligunt, quod non est divisa per principia formalia, vel quod ipsa natura, quæ dicitur essentia, seu forma, non est divisa, seu distincta in pluribus? Si primum hoc verum est, sed non contra nos; nam ex hoc solum sequitur, quod ubicumque sic natura habeat unitatem formalem, quod nos libenter concedimus, nam dicimus, quod natura in quolibet individuo habet unitatem formalem; sed ex hoc non probatur communitas naturæ per inexistentiam; sed tantum per indifferentiam negativam, modo dicto quæstione antecedenti.

Si

Si dicant secundum, contra hoc est, quia secundum Scotum, cum hoc, quod natura non sit divisa, seu distincta per principia formalia, stat, quod sit forma, seu essentia distincta, ut expressè tenet in 2. dist.3. quæst.7. ut videre est quæst. 4. hujus disputationis num. 7. ergo ipsa natura est multiplex, & realiter distincta in individuis, & consequenter unitas formalis ipsam consequens; ergo non datur aliqua natura à parte rei una formaliter communis pluribus per existentiam, quæ consequentia evidenter deducitur ex ipso Scoto in 2. dist.3. quæst. 6. §. *Ad quæstionem*, litt.E, ubi loquendo de natura, & de unitate formali ipsius, inquit; *Concedo ergo, quod unitas realis non est alicujus entitatis existentis in duobus individuis, sed in uno*. Ecce expressè de mente Scoti quomodo per inexistentiam non detur in pluribus aliqua natura, neque videmus, unde Scotistæ contrarii ex Scoto deducant oppositam sententiam.

31 Probatur secundò conclusio, quia impossibile est, quòd idem indistinctum creatum sit in pluribus realiter distinctis; sed hoc sequitur ex opposita sententia; quia eadem indistincta natura esset simul in pluribus individuis realiter distinctis; ergo nulla datur natura, quæ sit una communis pluribus per inexistentem.

32 Respondent distinguendo majorem; est est vera, inquiunt, de indiviso, & indistincto creato numericè, non autem de indiviso, & indistincto formaliter tantum: nam cum hac indivisione, & indistinctione stat divisio, & distinctio numerica. Sed contra est, nam vel talis divisio, & distinctio numerica facit, quod natura, & unitas formalis illius sit multiplex, & distincta realiter, vel non; Si primum; ergo jam non datur una realis natura, & unica unitas formalis, ratione cujus sit communis pluribus per inexistentiam; sed tot naturæ, & tot unitates formales realiter inter se distinctæ, quot sunt indi-

individua realiter distincta, quod est nostra conclusio. Si dicant secundum; non vitant inconveniens, quòd idem creatum realiter indistinctum sit in pluribus, seu identificetur cum pluribus realiter distinctis, quod est peculiare essentiæ Divinæ, quæ manens una omninò realiter indistincta, est in tribus Divinis personis realiter distinctis, & cum tribus personalitatibus Divinis distinctis realiter identificatur.

33 Deinde si natura per divisionem numericam, non esset multiplex realiter, sed eadem in individuis, sequeretur, quod non posset destrui unum individuum, v.g. Petrus, quin destrueretur aliud, quod evidenter apparet adsurdum. Patet sequela, quia quando aliquid destruitur, destruitur quidquid cum illo realiter identificatur; sed natura Petri realiter identificatur cum illo; ergo nequit destrui Petrus, quin ejus natura destruatur; sed ipsa realiter est natura Pauli, juxta prædictam responsionem; ergo nequit destrui Petrus, quin destruatur natura Pauli, & consequenter ipse Paulus.

34 Respondent negando sequelam, quia inquiunt, naturam destructo Petro, desinere esse in Petro, seu esse sine petreitate, non tamen desinere esse in Paulo, seu esse sine pauleitate; sed adhuc remanere conjunctam cum pauleitate, seu in Paulo. Sed contra est primò, quia ex hoc videtur evidenter sequi, naturam Petri realiter distingui à petreitate, quod nullus admittit. Patet sequela; nam juxta commune proloquium Scholasticorum, quæ sunt realiter identificata, unum esse nequit sine alio; sed in tali hypothesi natura Petri esset sine petreitate, siquidem remaneret in Paulo, destructo Petro; ergo natura Petri distingueretur realiter à petreitate.

35 Contra secundò; quia sequeretur, Deum non posse annihilare aliquod individuum, neq; aliquod de novo creare, quod non est minus absur-

surdum, quam præcedens. Patet sequela; quia annihilatio est destructio rei, nihilo ejus remanente; & creatio est productio rei, nihilo ejus præsupposito: sed, juxta talem responsionem, destructo uno individuo, natura eius remanet in alio: & ad productionem alicujus individui, præsupponitur in aliis illius natura; ergo nec Deus posset annihilare, nec de novo creare aliquod individuum. Alia inconvenientia solent adduci contra oppositam sententiam, ad quæ ferè similiter respondent, & ex dictis eorum responsiones facilè impugnantur, ideòque illa omittimus. Omnia argumenta, quæ posita sunt contra conclusionem 4. quæst. hujus disp. etiam videntur militare contra istam, quæ ibi sufficienter manent soluta; nunc alia proponemus.

36 Arguunt primò quasi replicando ad dicta circa aliqua argumenta quæst. 4. citatæ; natura Petri, & natura Pauli, v. gr. ut præcedunt singularitates non distinguuntur realiter, ergo sunt una, & eadem realiter natura; sed semper præcedunt singularitates; ergo semper sunt una, & eademmet natura; & consequenter natura est communis individuis per inexistentiam. Aliqui respondent, quòd quælibet natura, ut prior singularitate, neque est una realiter, neque ab alia realiter distincta; quia ut sic non includit principium talis unitatis, nec distinctionis; sed tantum dicit sua prædicata essentialia in primo modo dicendi per se, & in secundo unitatem formalem ipsam consequentem. Quæ responsio optima est, si benè percipiatur; nam nihil potest fundare unitatem, seu distinctionem realem, nisi quòd est ex se capax existentiæ, & cùm natura ex se non sit capax existentiæ, ita ut per se, & independenter à singularitate possit existere, ideò nequit fundare unitatem, seu distinctionem realem. Cùm quo etiam respondetur ad quandam replicam, quæ hic solet ab aliquibus fieri, scilicet, quòd si Deus po-

neret naturam sine different iis individualibus esset una realiter, & non plures, & quod eodem modo debet esse una, adhuc quando est in singularibus, cum sit prior singularitatibus. Negamus enim hoc esse possibile fieri a Deo, nam solum a Deo potest poni in rerum natura, quod est capax existentiæ, quod non habet natura sine singularibus.

37 Aliter respondetur ad argumentum distinguendo antecedens, natura Petri, & natura Pauli, ut præcedunt singularitates, non distinguuntur realiter; id est, non dicunt distinctionem realem reduplicativè, ut præcedunt singulares, concedo, nam ut sic tantum dicunt suas rationes formales, & sicut præcedunt singularitates, & ab illis præscindunt, ita præscindunt a distinctione reali, id est; negant distinctionem realem, nego antecedens, unde nego consequentiam, & concessa minori subsumpta, nego ultimam consequentiam. Etenim natura Petri, & natura Pauli, ut priores singularitatibus, & ex se, sicut non dicunt singularitates, non dicunt unitatem, neque distinctionem realem, quia hæc unitas, vel distinctio provenit illis a singularitatibus, non tamen negant talem unitatem, vel distinctionem, imo absolutè loquendo quælibet natura est una realiter per suam singularitatem, & omnes inter se realiter distinctæ per suas singularitates, aliud enim est aliqua non habere, seu negare aliquod prædicatum, & aliud, quod prædicatum, quod absolutè habent illis secundum aliquam rationem non conveniat, primum nequit dici de prædictis naturis in nostro casu, nam nequit affirmari, quod non habent, seu quod negant distinctionem realem, benè tamen potest dici secundum, scilicet, quod distinctio realis, quam habent inter se, non convenit illis reduplicativè ut sunt priores singula-

gula-

gularitatibus. Unde juxta superius dicta, poteſtin hoc argumento uti illa diſtinctione, *ex ſe*, & *abſolutè*, ſeu, quod idem eſt, *reduplicativè*, &, *ſpecificativè*, nam licet prædictæ naturæ reduplicativè, ut priores ſingularitatibus non diſtinguantur realiter, diſtinguuntur tamen ſpecificativè ſumptæ, hoc eſt, ipſæ naturæ, quæ ſunt priores ſingularitatibus realiter diſtinguuntur.

38 Arguunt ſecundò: natura Divina ideò eſt in tribus Divinis Perſonis una numericè per inexiſtentiam, quia numericè non dividitur per Divinas Perſonalitates: ſed natura humana, v.g. non dividitur formaliter per ſingularitates, quippè non ſunt differentiæ formales: ergo eſt una formaliter per inexiſtentiam in pluribus. Reſpondetur diſtinguendo majorem, natura Divina ideo eſt in tribus Divinis Perſonis una numericè per inexiſtentiam, quia numericè non dividitur per Divinas Perſonalitates præcisè, nego, quia nullo modo per Perſonalitates dividitur, ſeu eſt entitas nullatenus diviſa per Perſonalitates, concedo, diſtinguo etiam minorem, natura humana non dividitur formaliter per ſingularitates, hoc eſt, non dividitur per differentias formales, ut dicitur in argumento, concedo, non dividitur formaliter per ſingularitates, id eſt, eſt entitas, ſeu forma nullatenus per ſingularitates diviſa, nego, unde nego conſequentiam.

39 Etenim natura Divina non ex eo præcisè, quod non ſit numericè diviſa, ſed quia nullatenus per Perſonalitates Divinas eſt diviſa, ita ut poſſit dici, quod ſunt tres naturæ Divinæ realiter diſtinctæ, dicitur & eſt una numericè in tribus Perſonis per inexiſtentiam, unde ut natura humana eſſet una poſitivè formaliter per inexiſtentiam in pluribus individuis, non ſolum erat neceſſa-

rium,quod non esset formaliter divisa per principia formalia; sed etiam, quod ipsa natura nullatenus per singularitates divideretur,itaut posset dici, quod essent plures naturæ realiter distinctæ; quod cum non contingat, imo potius oppositum; nam ut sæpè dictum est, natura multiplicatur ad multiplicationem individuorum, hinc est, quod nulla datur natura creata, quæ sit una formaliter pluribus communis per inexistentiam.

40 Pro complemento disputationis maximè observandum est ad auferendam æquivocationem, quod quando dicimus, quod natura dividitur,non ita intelligendum est, quod detur aliqua natura communis antequam dentur individua,quæ per singularitates dividatur; nam hoc esset ponere in rerum natura ideam Platonis, quam absolutè negamus: sed solum intelligitur,naturam dividi,id est,multiplicari per propagationem, seu pruductionem individuorum; natura enim, quæ verè, & propriè dividatur divisione Logica, est propriè universale Logicum, quod tantum datur per intellectum, & per intellectum dividitur modo suo loco explicando.

41 Ex dictis in tota hac disputatione facilè deducitur quid sit universale metaphysicum;est enim quælibet natura, quæ potest ab intellectu considerari, ut Logicè universalis, non ut sic consideratur, neque ut est in singulari reduplicativè; sed ipsa natura secundum se, seu, ut est prior singularitate, & negativè indifferens ad hanc, vel illam singularitatem. Unde quando aliqui Scotistæ dicunt, quod natura secundum se cōsiderata est universale metaphysicum, non ita intelligendnm est,quod necessarium sit considerare naturam, ut sit universale metaphysicum, sed ita, quod ipsa natura, quæ secundum se consideratur, ut est obiectum talis considerationis,& ipsam præcedens(sicut quodlibet

obje-

objectum praecedit potentiam, seu actum, cuius est objectum) est universale metaphysicum, quod absque controversia debet admitti ab omnibus Scotistis, tum quia hoc expressè traditur ab Scoto ubicumque loquitur de natura communi, quam dicit pertinere ad metaphysicum. Tum etiam quia aliàs compositio metaphysica, non daretur à parte rei, sed per opus intellectus, cujus oppositum tenetur ab Scotistis contra Thomistas, & alios, imò in hoc fundatur in creatis distinctio formalis ex natura rei. Tum denique quia metaphysica habet pro obiecto aliquid à parte rei existens independenter à consideratione intellectus, ut differat à Logica, cujus objectum ab intellectu dependet.

DISP. II.

De distinctionibus.

QUia hic communiter exagitatur, quonam distinctionis genere naturae superiores ab inferioribus distinguantur? Ad cujus resolutionem distinctionum notitia omninò est necessaria, ideò haec de distinctionibus disputatio in praesenti tractatu inserenda est, Sit ergo.

QUAESTIO I.

Quot sint genera distinctionum?

1 PRo intelligentia quaestionis notandum est, ne in aequivoco procedatur, identitatem posse sumi dupliciter. Primò, ut opponitur diversitati; in quo sensu Petrus, & Paulus, v. g. habent identitatem in ratione hominis; quia in tali ratione non sunt diversi. Secundò, ut opponitur distinctioni, & est illa unitas, qua quodlibet constituitur in suo esse particulari; in qua

unitate, seu identitate unum, vel plura includuntur, ut denotat Arist. 5. Met. cap. 2. his verbis; *Perspicuum est, identitatem unitatem esse quamdam ipsius esse, aut plurium*. Unde tam distinctionem, quam identitatem per oppositum sic communiter definiunt Philosophi. *Distinctio est, unum non esse aliud, vel duo esse diversa. Identitas est, aliquid esse unum in se, vel unum esse aliud.*

2 Cùm autem, quot modis dicitur unum oppositum, dicatur & aliud, ut cognoscatur quotuplex sit distinctio, cognoscere oportet, quotuplex sit identitas illi opposita (de alia autem identitate, quæ diversitati opponitur, non loquimur in præsenti; habet enim proprium locum disp. de relatione.) Igitur identitas alia dicitur realis, & est, qua unum constituitur in suo esse reali, prout ab alio realiter distinctum, vel est unitas plurium formalitatum, v. gr. unitas, qua Petrus constituitur in suo esse reali individuali à quolibet alio realiter distincto, vel unitas animalis, & rationalis, quæ realiter in homine identificantur. Alia dicitur identitas formalis, & est unitas cujuslibet formalitatis distinctæ ab alia, v. gr. unitas, qua rationale est unum, ut distinctum ab animali, absolutè enim loquendo illa dicitur identitas formalis, ubi unum includitur essentialiter in ratione formali alterius, quam explicat Scotus in 1. dist. 2. quæst. 7. §. *Sed hic restat*, *Vers. Vel ut propriissimè*, litt. HH. his verbis: *Voco autem identitatem formalem, ubi illud, quod dicitur sic idem includit illud, cui sic est idem, in ratione sua formali, & per consequens per se primo modo*. Alia dicitur identitas rationis, & est quando aliqua, quæ à parte rei non sunt idem, quasi si essent idem concipiuntur. Hoc notato, non erit difficile assignare genera distinctionum per oppositum ad identitatem.

3 Dicimus ergo; distinctio in communi pri-

mò dividitur in distinctionem ex natura rei, & in distinctionem rationis. Distinctio ex natura rei est unum non esse aliud independenter à consideratione intellectus. Distinctio rationis est unum non esse aliud per considerationem intellectus. Hæc divisio est communis inter Philosophos.

4 Distinctio ex natura rei subdividitur ab Scotistis in distinctionem realem strictam, & in distinctionem realem formalem, quam vocant medium inter distinctionem realem strictam, & distinctionem rationis. Distinctio realis stricta est illa, quæ absolutè datur inter rem, & rem, ut inter Petrum, & Paulum, vel inter rem, & modum ejus, ut inter sedentem, & sessionem ejus, quæ etiam solet appellari molis. Distinctio realis formalis est illa, quæ datur inter duas formalitates realiter absolutè identificatas, quarum una excludit aliam à suo conceptu formali, ut inter animal, & rationale, quæ licet in homine realiter absolutè identificentur, unum tamen excludit aliud à suo conceptu formali.

5 Alii autem præter Scotistas, nullatenus dividunt distinctionem ex natura rei, sed tantum admittunt distinctionem realem strictam; dividunt tamen distinctionem rationis in distinctionem rationis ratiocinantis, & in distinctionem rationis ratiocinatæ. Distinctio rationis ratiocinantis dicitur illa, quæ fit ab intellectu sine aliquo fundamento in re, ut si quis distinguat Petrum à seipso. Distinctio rationis ratiocinatæ dicitur illa, quæ fit ab intellectu cum aliquo fundamento in re, ut quando concipitur, inquiunt aliqua entitas, quæ in re est unica, ut si esset multiplex, eo quod includit virtualiter, seu eminenter aliquos effectus, seu aliqua prædicata, quæ seorsim possunt terminare cognitionem, licet inadæquatam, & imperfe-

ctam, ut quando concipitur in homine ratio animalis, ut distincta à ratione rationalis, quæ distinctio ab aliquibus vocatur fundamentalis in re ab aliis verò virtualis, & formalis, & actualis solum per intellectum, Hæ divisiones distinctionis sunt magis usitatæ in scholis tamen.

6 Ab aliquibus plures aliæ distinctiones solent assignari, nam inquiunt, datur distinctio rationis modo supra explicato, & distinctio ex natura rei, & distinctio formalis, sed inter has duas distinctiones non facilè assignant discrimen; ideòque jam communiter inter Scotistas pro eadem usurpantur, & distinctio realis absoluta modo supra dicto, & distinctio essentialis, quæ reperitur inter illa, quæ habent diversas essentias, sed hæc reducitur ad distinctionem realem, & distinctio subjectiva, quæ versatur inter ea, quæ non conveniunt in aliqua realitate potentiali, & contrahibili per alias realitates, ut distinctio, quæ datur inter Deum, & creaturam; nam cùm Deus sit omnino simplex, prout simplicitas opponitur compositioni, nequit in illo dari aliqua realitas potentialis; seu contrahibilis per aliam, & in qua conveniat cum creatura, & distinctio obiectiva, quæ versatur inter ea, quæ in nullo conceptu reali quidditativo conveniunt, ut est distinctio, quæ datur inter ultimas differentias; sed hæ distinctiones etiam possunt reduci ad distinctionem realem, & sunt quasi membra subdividentia illius. Aliis nominibus solent explicari aliquæ distinctiones, sed omnes ad supradictas reducuntur. Totum quod diximus in hac quæstione solum intendit proponere distinctiones, quibus communiter utitur in scholis abstrahendo à qualibet controversia circa illas, maxima autem difficultas circa hanc materiam est, an sit admittenda distinctio formalis ex natura rei, quam adducunt Scotistæ? Pro cujus resolutione, & majori claritate ad distinctionum intelligentiam præmittenda est hæc.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Quid sit res? Quid formalitas? Ubi ponuntur via ad distinctiones cognoscendas.

1 DIcimus primò, nomine rei, ut à realitate, seu formalitate secernitur, nihil aliud intelligimus, nisi entitatem ex se capacem existentiæ, & consequenter in linea Metaphysica compositam ex genere, & differentia, & ulterius in tali linea inordinabilem. Unde omnia individua, cujuscumque generis sint propriè, & rigorosè in hoc sensu dicuntur res, & hoc, sive sint physicè completa, ut est quodlibet compositum ex materia, & forma, sive incompleta, ut sunt materia, & forma substantialis, sive sint substantia, sive accidentia, sive entitates absolutæ, sive respectivæ, vel modales, nam omnia prædicta sunt per se existentiæ capacia, ut propriis locis patebit. Ratio hujus est, quia ut dictum est, hic accipitur res, prout à realitate, seu formalitate secernitur: sed realitas, seu formalitas, ut jam dicemus, est aliquid rei completæ; ergo res, ut illi opponitur, est entitas completa, scilicet individuum.

2 Dicimus secundo: nomine realitatis, seu formalitatis nihil aliud intelligimus nisi rationem, quæ in se considerata non est res, quia non potest per se existere, sed est aliquid rei non sicut materia, & forma sunt aliquid compositi: sed per identitatem, quatenus est aliquis gradus Metaphysicus essentiæ rei, ideòque appellatur vocabulo diminutivo formalitas, seu realitas, seu quod idem est, aliquitas, seu aliquid rei, unde sic solet ab Scotistis describi: formalitas est ratio objectiva conceptibilis in aliqua re conceptu perfecto, & adæquato distincto

à conceptu, quo concipitur alia ratio objectiva ejusdem rei, & dicitur; *conceptu perfecto, & adæquato*; quia diversa conceptibilitas imperfecta; & inadæquata, non infert diversam formalitatem, sed tantum diversa munera ejusdem formalitatis, quòd clarè deducitur ex Scoto; nam ad ostendendam distinctionem formalem plures recurrit ad adæquatam, & perfectam conceptibilitatem, & infra amplius patebit.

3 Dicimus tertiò: plures solent assignari viæ ad distinctionem realem cognoscendam. Prima est via generationis: Secunda via corruptionis; certum enim est, ea quæ diversis productionibus producuntur, & quæ diversis corrumpuntur corruptionibus, & realiter distingui. Tertia est via separationis; illa enim, quæ inter se ita habent, ut unum possit ab alio separari, vel sine illo existere, saltim de potentia Dei absoluta, realiter distinguuntur. Quarta est via originis, illa enim, quæ se habent tanquam producens, & productum, tamquam causa, & causatum, licet separari non possint, realiter distinguuntur. In Divinis enim Pater distinguitur à Filio, & Pater, & Filius à Spiritu Sancto, quia licet separari non possint, se habent ut producens, & productum, quod inquit Scotus in 2. dist. 2. quæst. 2. potest dici separabilitas proportionalis; nam producens, & productum, licet separari non possint, proportione tamen correspondent his, quæ possunt separari, idem contingit in creatis in sententia Scotistarum; inter compositum per se physicum, & suas partes simul sumptas, & unitas; ut dicetur in Physica. Quinta est via existentiæ, & subsistentiæ, illa enim, quæ habent diversas existentias, & diversas subsistentias, realiter distinguuntur; hæc tamen via reducitur ad viam productionis; nam illa, quæ terminant diversas productiones, habent diversas existentias, & si sint entitates substantiales com-

completæ, habent diversas subsistentias. Hinc facilè deducitur, quæ distinguantur realiter, vel non.

4 Dicimus quertò: plures solent assignari viæ inter Scotistas ad cognoscendam distinctionem formalem, tres verò tantum proponemus, ad quas aliæ facilè reducuntur. Prima est via definitionis; illa enim, quæ realiter identificantur, & tamen diversis definitionibus essentialibus definiuntur, formaliter inter se distinguuntur. Advertendum tamen est, quòd dicimus, *definitionibus essentialibus*; quia definitiones, quæ dantur per additamentum, vel per ordinem ad diversa munera, seu ad diversa connotata, non inferunt distinctionem formalem; quia tales definitiones potius dantur ad cognoscenda diversa munera ejusdem formalitatis, quàm ad explicandam ejus essentiam, ut patet in intellectu, qui diversis definitionibus definitur respectu trium suarum operationum, & tamen non est multiplex, sed unica formalitas, idem est de voluntate respectu volitionis, & nolitionis, & clarius patet in scientia Dei, quæ est una, & simplicissima formalitate, & tamen diversa definitione definitur, ut dicitur scientia simplicis intelligentiæ, ac ut dicitur scientia visionis, propter diversa connotata; nam ut scientia simplicis intelligentiæ respicit, seu connotat possibilia; & ut scientia visionis respicit, seu connotat futura.

5 Secunda est via contradictionis, quando enim aliqua sunt realiter identificata, & de ipsis, absque aliqua intellectus operatione, verificantur duo prædicata contradictoria, tunc illa distinguuntur formaliter ante operationem intellectus. Advertendum tamen est, quòd talia prædicata contradictoria debent illis convenire independenter ab aliqua extrinseca connotatione, & in ordine ad conceptus perfectos, & adæquatos; nam si solum illis conveniant per ex-

trinsecas connotationes, & in ordina ad conceptus imperfectos, & inadæquatos, non inferunt distinctionem formalem, quòd patet in voluntate Divina, quæ dicitur volens in quantum hominem ordinat ad gloriam, & dicitur nolens in quantum hominem ordinat ad pœnam, similiter eadem volitio Divina dicitur efficax in quantum ordinat objectum ad existentiam, & dicitur inefficax in quantum tendit in objectum, absque eo quòd illi absolutè existentiam decernat, quæ non inferunt distinctionem formalem, sed tantum diversa munera ejusdem formalitatis, licet habeant diversas denominationes, & ex illis possint inferri prædicata contradictoria, eo quòd talia prædicata solùm conveniant penes diversa extrinseca connotata.

6 Idem potest exemplificari in Divinis; nam ibi subsistentia relativa, & Paternitas est eademmet formalitas, & tamen intellectus imperfectè, & inadæquatè concipiens illam, potest illi tribuere duo prædicata contradictoria, scilicet, quòd conveniat Pater cum Filio in ratione subsistentiæ relativæ, & non conveniat in ratione paternitatis.

7 Igitur tunc duo prædicata contradictoria inferunt distinctionem formalem, quando de aliquibus realiter identificatis verificantur in ordine ad conceptus perfectos, & adæquatos, quibus perfectè cognoscens, circa aliquam entitatem cognitione intuitiva tendens cognoscit, quòd de aliquo illius entitatis verificatur unum cõtradictorium, quod de alio ipsius entitatis non verificatur, & è contra, quod patet in essentia Divina, & paternitate, quæ realiter identificantur in Patre, & de paternitate verificatur, quòd est incommunicabilis, quod nullatenus convenit essentiæ; de hac verò verificatur, quòd est communicabilis, quod nullatenus convenit paternitati, & de hoc à parte

rei independenter ab intellectus fictione; nam ipse Deus perfectissimè, & intuitivè cognoscens, hoc itia se habere cognoscit; idem exemplificatur in creatis; nam homo, v. g. convenit cum bruto per animalitatem, & non convenit per rationalitatem, quod Deus, ita esse cognoscit; unde hæc prædicata contradictoria; *communicabile, & incommunicabile; convenire*, & *non convenire*, inferunt distinctionem formalem inter essentiam, & paternitatem in Divinis; & inter animal, & rationale in creatis: quòd amplius patebit quæstione sequenti.

8 Tertia, est via reduplicationis, quando aliquid convenit à parte rei, & independenter à consideratione intellectus alicui entitati secundùm unam rationem, non verò secundum aliam, tunc illæ rationes formaliter ex natura rei distinguuntur; quia enim homini, in quantum est rationalis, convenit risibilitas, non verò in quantum est animal, infertur in homine distinctio formalis inter animal, & rationale: quod semper intelligendum est in ordine ad conceptus perfectos, & adæquatos.

QUÆSTIO III.

Vtrùm simul cum identitate reali detur distinctio formalis ex natura rei?

1 Circa hanc difficultatem est duplex ex diametro opposita sententia. Prima nullam admittit distinctionem ex natura rei inter ea, quæ realiter identificantur; sed tantùm distinctionem rationis, vel ratiocinantis, vel ratiocinatæ, juxta diversos modos dicendi. Sic ferè omnes extra subtilem scholam militantes. Secunda concedit distinctionem formalem ex natura rei inter aliqua simul cum identitate reali illorum. Hæc sententia est communis consensus Scotistarum cum Scoto pluribus in locis infra

fra citandis, & ex aliis citantur pro hac sententia Fonseca 5. Metaph. cap. 6. quæst. 6. Cursus Conimbricensis in præfatione Porphyrii quæst. 4. art. 2. Ægidius de præsentatione lib. 5. de visione Divinæ essentiæ quæst. 5. artic. 4. Ubi saltim in creatis asserit, non posse prædictam distinctionem negari.

2 Dicimus ergo: ante omnem operationem intellectus datur distinctio formalis ex natura rei inter formalitates realiter identificatas. Hæc conclusio est pro secunda sententia, & eam tenet Scotus in 1. dist. 2. quæst. 7. §. *Sed hac restat*, lit. FF. his verbis: *Dico sine assertione, & praiudicio sententia melioris, quòd ratio, qua formaliter suppositum est incommunicabile, & ratio essentia, ut essentia habent aliquam distinctionem pracedentem omnem actum intellectus creati, & increati*. Et infra vers. *Breviter igitur*, sub litt. HH. sic prosequitur; *Dico omittendo illa verba de distinctione rationis, & de distinctione virtuali, non quia sint malè dicta; sed quia non oportet eis uti, quòd in essentia Divina ante actum intellectus est entitas A. & est entitas B. & hac non est formaliter illa; ita quòd intellectus paternus considerans A. & considerans B. habet ex natura rei, unde ista compositio sit vera. A non est formaliter B. non autem precisè ex aliquo actu intellectus circa A. & B.* Et prosequitur ponens exemplum in creatis hoc modo; *Est tamen in albedine aliquid realiter, unde habet rationem coloris & aliquid, unde habet rationem differentia; & hac realitas formaliter non est illa realitas, nec è converso formaliter; imò una est extra realitatem alterius formaliter loquendo; sicut si essent dua res, licèt modo per identitatem ista dua realitates sint una res.* Et distinct. 8. quæst. 4. per totam. Et in 4. dist. 46. quæst. 3. per totam.

3 Dices, quòd ab Scoto vocatur hæc distinctio rationis, & virtualis; & deinde dicit, quòd melius explicatur per non identitatem, quam per

per distinctionem; ergo videtur non dari ex mente Scoti distinctionem formalem ex natura rei. Sed respondetur, quod ipse Scotus se explicat; nam quando talem distinctionem appellat distinctionem rationis, non ita intelligit, ut ratio accipiatur pro differentia formata ab intellectu, sed pro quidditate rei; quando autem illam vocat distinctionem virtualem, intelligit, quòd illud quod habet talem distinctionem, non habet rem, & rem, sed est una res habens virtualiter, sive eminenter plures res: unde vocat illam virtualem: non quia accipiat esse actuale ab intellectu, sed propter æquivalentiam; quia cùm dicat solùm plures formalitates ex natura rei distinctas, æquivalet pluribus rebus distinctis realiter. Et amplius se explicat ipse Scotus verbis supra relatis.

4 Quando autem dicit Scotus, quod melius est uti negativa non identitate, quàm affirmativa distinctione, ideò est; quia ex communi modo loquendi, præsertim tunc temporis, distinctio ex natura rei pro vera, & rigorosa distinctione reali usurpari solebat, propter quod ne aliquam æquivocationem pateretur, potius non identitatem formalem, quàm distinctionem ex natura rei, illam Scotus appellabat.

5 Ex quo sequitur, quàm sine fundamento arguunt aliqui contra Scotum ex Concilio Rhemensi; nam ibi D. Bernardus arguit contra Gilbertum Porretanum, qui videbatur ponere distinctionem realem inter Deum, & suam bonitatem, quod falsum est, & valdè diversum à sententia Scoti, qui simul cum identitate reali adstruit distinctionem formalem ex natura rei inter Deum, & attributa Divina. Similiter dicendum est ad aliquas authoritates Conciliorum, & SS. PP. nam solum negant distinctionem realem absolutam inter essentiam Divinam, & attributa, & relationes. Imò aliqui

Pa-

Patres videntur expressè tenere nostram sententiam, nam D. August. 7. de Trinit. capit. 1. vel 6. apud Scotum citatum, dicit: *Omnis essentia, qua relativè dicitur, est aliquid excepto relativo*. Citatur etiam cap. 5. ubi dicit: *Non eo Pater, quo Deus* Et D. Damasc. 1. de fide cap. 4. inquit: *Si dixeris bonum, justum, &c. non naturam Dei, sed qua juxta naturam sunt dixisti*; ergo secundum prædictos Patres aliquomodo distinguitur essentia Divina in re à relatione, & ab attributis: sed non realiter absolutè: ergo ex natura rei formaliter. Statuta ergo distinctione formali ex natura rei ex mente Scoti.

6 Probatur rationibus conclusio primò, duæ relationes oppositæ petunt distincta fundamenta respectu ejusdem termini; ergo relationes similitudinis, & dissimilitudinis debent habere distincta fundamenta respectu ejusdem termini. Hoc enthymema videtur evidens, quia cum relatio resultet ex fundamento, & termino, si sit idem fundamentum, & idem terminus, unica tantum resultabit relatio, non autem plures, & oppositæ; nunc sic; in homine, v. g. ante omnem operationem intellectus datur relatio similitudinis cum equo in animalitate, & relatio dissimilitudinis in rationalitate; ergo ante omnem operationem intellectus debent prædicta fundamenta, scilicet animalitas, & rationalitas, distingui: sed non distinctione reali stricta, ut omnes fatentur: ergo distinctione formali ex natura rei.

7 Probatur secundò, & hæc ratio coincidit, cum præcedenti; duo prædicata contradictoria nequeunt à parte rei convenire eidem rei omnino à parte rei indistinctæ, sed homini conveniunt à parte rei duo prædicata contradictoria, scilicet, convenire, & non convenire, nam convenit cum equo per animalitatem: & non convenit per rationalitatem; ergo anima-

malitas, & rationalitas, quæ sunt rationes propter quas homini conveniunt prædicta prædicata contradictoria, aliquomodo à parte rei distinguuntur; sed non distinctione reali stricta: ergo distinctione ex natura rei formali.

8 Diversimodè conantur adversarii hanc efficacem rationem evertere, & primò respondent Jesuitæ, verum esse dari prædictas relationes in homine respectu equi ante omnem operationem intellectus; falsum tamen, fundamenta prædictarum relationum esse aliquomodo distincta ante omnem operationem intellectus, quia animalitas est ratio assimilandi hominem equo, quatenus est fundamentum, ut homo confundatur cum equo in hoc conceptu generico, *animal*; in quo sensu etiam rationalitas est ratio assimilandi hominem equo; rationalitas verò est ratio dissimilandi hominem equo, quatenus est fundamentum, ut non confundatur homo cum equo in hoc conceptu specifico, *homo*; in quo sensu etiam animalitas est ratio dissimilandi, quod nulla est contradictio; quia in eodem sensu, in quo animalitas est ratio assimilandi, etiam est rationalitas, & in eodem sensu, in quo rationalitas est ratio dissimilandi, etiam est animalitas.

9 Contra est, quia ideò animal est ratio conveniendi genericè, quia ratio essentialis animalis reperitur in homine, & equo: sed ratio formalis rationalis non invenitur in equo: ergo nequit esse ratio assimilandi hominem equo: ergo in eadem linea, scilicet, in convenientia generica, animal est ratio conveniendi, & rationale non est ratio conveniendi, & consequenter in eadem linea reperitur contradictio: sed hæc nequit eidem rei secundum eamdem rationem convenire; ergo animal, & rationale, quorum rationes homini conveniunt, aliquomodo ex natura rei distinguuntur, non realiter absolutè; ergo formaliter.

10 Ali-

10 Aliter respondent etiam Jesuitæ; nempe, animalitatem dupliciter posse sumi, primò entitativè, id est, pro entitate, quæ est principium sentiendi, & ratiocinandi; secundo præcisivè, id est, prout tantum dicit principium sentiendi. Si primò modo sumatur, verum est dicere, quòd eadem entitas est similis, & dissimilis equo ratione diversarum operationum. Si secundo modo, nequit de animalitate verificari similitudo respectu equi realiter; tum quia cùm animalitas non sit præcisa realiter a rationalitate, sed tantum per rationem, id quod convenit illi, ut præcisæ, non convenit illi realiter, sed per rationem. Tum etiam quia nequit præscindi animalitas à rationalitate, quin etiam præscindatur ab inhabilitate, & sic potius est una cum animalitate equi, quam similis; quia similitudo non potest esse ejusdem ad se ipsum; ad similitudinem enim requiritur distinctio in ea ratione, in qua aliqua dicuntur similia.

11 Sed contra, quia essentia animalis, vel consistit in hoc, quod sit principium sentiendi, & ratiocinandi simul? Vel in hoc, quod sit principium sentiendi tantum? Si primum; ergo essentia animalis non reperitur in equo; nam in equo reperitur principium ratiocinandi. Si secundum; ergo homo est similis equo in essentiali ratione animalis, & dissimilis in essentiali ratione rationalis; sed tales rationes essentiales conveniunt animali, & rationali ante omnem operationem intellectus; ergo essentia animalis, & essentia rationalis ante omnem operationem intellectus distinguuntur.

12 Quando autem dicunt, quod animalitas, ut præcisa est una, & sic non est ratio assimilandi, verum est loquendo de præcisione per intellectum; sed ex hoc nihil contra nos, quia nullatenus dicimus, quod natura animalis, ut

præ-

præcisa per intellectum, est ratio assimilandi, sed prout à parte rei dicit suam essentiam, quæ formaliter, & ex se præscindit à rationalitate, & ut sic reduplicativè, neque est una, neque plures, ut diximus loquendo de unitate formali, sed specificativè est multiplicita, & realiter distincta ratione differentiarum individualium, quod sufficit, ut possit esse ratio assimilandi. Alias responsiones solent adducere Jesuitæ, quas brevitatis causa omittimus, quia coincidunt cum antecedentibus, & ferè eodem modo impugnantur, observando quæ diximus de unitate formali.

13 Aliter respondent Complutenses, quòd licet eadem entitas non possit fundare plures relationes numero diversas, potest tamen fundare plures diversas specie; eadem enim quantitas bicubita est æqualis alteri bicubitæ, & inæqualis tricubitæ. Sed contra; quia licet idem fundamentum respectu diversorum terminorum possit fundare diversas relationes, ut patet in exemplo; tamen ex hoc non probatur, quod idem fundamentum possit fundare relationes oppositas respectu ejusdem termini; sed homo fundat relationes oppositas supradictas respectu ejusdem termini, scilicet, equi; ergo rationes fundandi tales relationes debent aliquomodo distingui.

14 Aliter respondent aliqui Thomistæ, nostrum argumentum probare plus quàm intendit, nam inquiunt, probat distinctionem realem animalitatis à rationalitate; quia prædicta prædicata contradictoria, realiter distinguuntur, unde etiam realiter debent distingui illa, quibus à parte rei conveniunt. Sed contra; quia ipsi salvant prædicta contradictoria cum sola distinctione virtuali, & sine aliqua distinctione reali actuali; ergo prædicta contradictoria non arguunt distinctionem realem absolutam, & consequenter prædicta responsio, juxta ipsorum

fun-

fundamenta, se ipsam destruit. Deinde, prædicata contradictoria, tunc solum inferunt distinctionem realem absolutam, quando realiter, & absolutè conveniunt; non verò quando conveniunt eidem entitati, non absolutè, sed secundum diversas rationes: nos enim non dicimus, quod animal convenit, & rationale non conventi cum equo, sed quod homo convenit ratione animalitatis, & non ratione rationalitatis cum equo, & quòd homo non convenit, seu differt ab equo ratione rationalitatis, & non ratione animalitatis; ad quod sufficit distinctio ex natura rei formalis, & nullatenus requiritur distinctio realis absoluta inter animalitatem, & rationalitatem hominis.

15 Dicunt præterea, nostrum argumentum probare, plura distingui formaliter ex natura rei, quæ in nostra sententia taliter non distinguuntur; quia inquiunt, aliquæ formalitates sine distinctione formali respiciunt diversa connotata, quorum ratione fundant prædicata contradictoria. Sed contra hoc est, quod juxta dicta quæstione antecedenti, illa solum distinguuntur formaliter, quæ fundant diversa prædicata contradictoria, & habent diversas definitiones sine ordine ad diversa extrinseca connotata; & quæ possunt concipi conceptu perfecto, & adæquato; & sic nihil convincit contra nos prædicta responsio.

16 Immediatè autem respondent ad argumentum, quod ad salvanda prædicta contradictoria sufficit distinctio virtualis ante omnem operationem intellectus, quæ distinctio consistit in hoc, quod à parte rei animalitas, & rationalitas est eademmet entitas, & solum præstat fundamentum, ratione suæ æquivalentiæ ad plura distincta, ut intellectus illam distinguat in duplicem formalitatem objectivam, & ratione unius affirmet aliquod prædicatum de ipsa, & ratione alterius illud neget; unde præ-

dictæ rationis oppositæ, seu prædicata contradictoria possunt de homine verificari, licet sit una simplicissima entitas; quia est plures in virtute propter suam eminentiam; sicuti plures virtutes inferiorum, etiam si specie differant, continenter in unica virtute causarum universalium, v.g. in sole, qui unica virtute potest producere plures effectus specie diversos propter suam eminentiam.

17 Sed contra est; quia prædicta prædicata contradictoria non solum tribuuntur ab intellectu homini ratione animalitatis, & rationalitatis; sed etiam ipsi homini conveniunt, seclusa quacumque consideratione intellectus: ergo non solum distinguuntur animalitas, & rationalitas virtualiter, & per ordinem ad intellectum, sed actu, & formaliter independenter ab intellectus consideratione. Ad exemplum dicimus, quod est maxima disparitas: quia virtutes oppositæ ad producendos plures effectus distinctos, non continentur in causa universali actu, & formaliter, qua ratione sunt plures, sed tantum eminenter: rationes vero animalitatis, & rationalitatis continentur in homine actu, & formaliter, id est, secundum suas rationes formales, & essentiales, unde licet prædictæ virtutes, quæ in inferioribus sunt plures, ut continentur in causa universali, sint tantum unica virtus formaliter, seu entitativè, & plures virtualiter, & eminenter; tamen animalitas, & rationalitas sunt ex natura rei in homine plures formaliter.

18 Propter hoc aliter respondet ad argumentum quidam Thomista; quod prædicata contradictoria non possunt verificari de eadem re, ut est in se: benè tamen de eadem re significata, ut distincta in actu signato; animalitas autem & rationalitas, inquit, per hos terminos non solum significantur, ut distincta virtualiter; quia distinctio virtualis convenit illis,

ut

ut sunt in se, sed significantur, ut distincta per rationem in actu non exercito, sed signato, quod est significari, ut distinguibilia, non subiectivè, sed obiectivè distinguibilitate identificata non cum animali, & rationali, sed cum distinctione actuali possibili; de animali autem, & rationali, ut actu involventibus distinctionem rationis, possunt verificari contradictoria ante operationem intellectus exercitam, non ante operationem intellectus possibilem, & signatam.

19 Sed contra primò; quia relationes identitatis, seu similitudinis diversitatis, seu dissimilitudinis, quæ fundantur in homine ratione animalitatis, & rationalitatis, sunt reales, & ab omni consideratione intellectus independentes: ergo rationes fundandi prędictas relationes sunt reales, & ab omni intellectus consideratione independentes. Patet consequentia, quia relationes reales petunt fundamenta realia: ergo animalitas, & rationalitas subiectivè, & non obiectivè sumptæ, sunt fundamenta prædictarum relationum, & in hoc sensu conveniunt illis prædicata contradictoria conveniendi, & non conveniendi: sed ut fundant prædictas relationes, & illis conveniunt talia prædicata contradictoria, debent distingui actu: ergo distinguuntur independenter a consideratione intellectus distinctione ex natura rei formali.

20 Contra secuudò; quia distinctio debet esse sicut est contradictio: sed contradictio est actualis ante operationem intellectus exercitam, juxta prædictam responsionem: ergo ante operationem intellectus exercitam est actualis distinctio: ergo ut detur contradictio actualis, non sufficit operatio intellectus signata. Patet consequentia; quia operatio intellectus signata non ponit actualem distinctionem, sed tantum possibilem: ergo non sufficit ad actualem contradictionem, sed ad summum ad contradictionem possibilem: sed contradictio est actualis ante

ope-

operationem intellectus exercitam: ergo etiam distinctio: sed talis distinctio non est rationis; quia distinctio rationis fit actualis per operationem intellectus exercitam: ergo est distinctio actualis a parte rei: sed non realis absoluta: ergo formalis.

21 Probatur secundò conclusio ratione Theologica; nam in Divinis actu, & formaliter reperitur contradictio inter essentiam Divinam, & paternitatem, v. g. quæ absolutè realiter identificantur: ergo actu, & formaliter ex natura rei distinguuntur. Probatur; nam de essentia Divina verificatur, quod communicatur Filio, & de paternitate, quod non communicatur Filio; ergo inter essentiam Divinam, & paternitatem reperitur actualiter contradictio, siquidem de illis verificatur duplex contradictorium. Hæc ratio latè prosequitur in Theologia, ubi impugnantur plures responsiones ad illam: nunc autem breviter aliquas assignabimus.

22 Aliqui dicunt, prædicta contradictoria non convenire essentiæ, & paternitati a parte rei, sed prout a nobis concipiuntur, & sic sufficere distinctionem rationis. Sed contra, quia vel Deus cognoscit, essentiam communicari Filio, & paternitatem non communicari? Vel non cognoscit? Si primum: ergo a parte rei essentia communicatur Filio, & paternitas non communicatur; nam Deus cognoscit rem sicuti est, & consequenter indepēdenter a nostro modo concipiendi conveniunt essentiæ, & paternitati prędicta prædicata contradictoria. Si secundum: ergo ideo erit, quia a parte rei essentia non communicatur, sicut nec paternitas, & consequenter fallitur noster intellectus quando judicat, essentiam Divinam communicari Filio, & non paternitatem; unde sequeretur, has propositiones esse falsas: *Essentia Divina communicatur Filio: paternitas non communicatur Filio*: nam ut tenent omnes Philosophi, ab eo quod res est,

vel

vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa; non tamen ab eo, quòd à nobis sic, vel sic concipitur; quòd autem prædictæ propositiones sint falsæ, nullus catholicorum concedit.

23 Alii autem dicunt, sufficere distinctionem virtualem ad verificanda prædicta contradictoria. Sed hæc responsio impugnatur ex dictis. Deinde, contra est primò: nam ubi non est summa identitas actualis, est aliqua actualis distinctio; sed inter essentiam Divinam, & paternitatem non datur summa identitas actualis ex natura rei (hoc non debet intelligi de summa identitate reali absoluta) ergo datur aliqua distinctio actualis ex natura rei. Minor probatur; quia si inter essentiam Divinam, & paternitatem daretur summa identitas actualis ex natura rei, essentia Divina non haberet majorem identitatem actualem cum se ipsa ex natura rei, quam cum paternitate, ergo sicut essentia Divina actualiter ex natura rei est essentia Divina, ita actualiter ex natura rei esset paternitas: ergo sicut essentia Divina actualiter ex natura rei communicatur Filio, ita paternitas actualiter ex natura rei communicaretur Filio: sed hoc nullatenus conceditur: ergo debet concedi, quòd essentia Divina, & paternitas simul cum identiate reali absoluta habent aliquam distinctionem ex natura rei.

24 Contra secundò; quia ideò admittunt distinctionem virtualem ad salvanda prædicta contradictoria, non verò distinctionem formalem; quia judicant, formalem distinctionem arguere in Deo compositionem metaphysicam, sed hæc, vel etiam arguitur ex distinctione virtuali, vel non arguitur ex distinctione formali; ergo ex hoc capite nequit distinctio formalis ex natura rei negari. Probatur minor; quia ipsi admittunt compositionem metaphysicam in creatis inter animal, & rationale; sed inter animal,

mal, & rationale solum admittunt distinctionem virtualem; ergo distinctio virtualis sufficit ad compositionem metaphysicam; sed talem distinctionem virtualem admittunt in divinis: ergo admittunt sufficientem distinctionem ad compositionem metaphysicam, & consequenter ex hoc capite non debet negari distinctio formalis in divinis; nam idem sequitur ex distinctione virtuali ac ex distinctione formali.

25 Si autem dicant, non sufficere in creatis distinctionem virtualem ad metaphysicam compositionem; quia talis compositio non datur à parte rei, sed tantum per intellectum; contra hoc est, quod licet verum sit in sua sententia, tamen eo quòd detur à parte rei distinctio virtualis, datur etiam à parte rei virtualiter metaphysica compositio, aut datur sufficiens fundamentum à parte rei ad ipsam compositionem metaphysicam per intellectum concipiendam; ergo si in divinis datur à parte rei distinctio virtualis, datur sufficiens fundamentum ad concipiendam compositionem metaphysicam, ergo si fundamentum ex parte rei ad concipiendam compositionem metaphysicam in creatis dicit imperfectionem, ita similiter fundamentum ad compositionem metaphysicam in divinis concipiendam; ergo ex eodem fundamento, quo negant formalem distinctionem ex natura rei, videntur debere negare distinctionem virtualem, vel sicut admittunt virtualem, debent admittere formalem; sed ut dictum est, non sufficit virtualis distinctio ad contradictionem actualem salvandam: ergo ponenda est distinctio formalis ex natura rei, eo vel maximè, quia ex illa non sequitur prædictum inconveniens; ut infra patebit.

26 Ulterius potest probari nostra conclusio etiam ratione Theologica; nam Filius procedit per intellectum, & non per voluntatem; Spiri-

tus Sanctus procedit per voluntatem, & non per intellectum: ergo intellectus, & voluntas in Divinis formaliter actualiter distinguuntur. Patet consequentia; nam alias non esset major ratio, ut Filius esset genitus, ac ut esset genitus Spiritus Sanctus; non enim alia ratione dicitur genitus Filius, nisi quia procedit per intellectũ; neque alia ratione non dicitur genitus Spiritus Sanctus nisi quia non procedit per intellectum, sed per voluntatem: ergo si intellectus actualiter formaliter est voluntas, Spiritus Sanctus actualiter procedit per intellectum, & sic erit genitus sicut Filius, quod nullatenus est dicendum: ergo intellectus, & voluntas formaliter actualiter distinguuntur.

27 Solet etiam probari nostra conclusio pluribus authoritatibus Philosophi, nam 3. Met. cap. 10. ait; genus esse extra rationem differentiarum, ita ut formaliter se invicem excludant secundum proprias rationes formales. Et 5. ei hic. ait, virtutem, & justitiam esse eandem rem, esse tamen distincta secundum rationem quidditativam. Aliis in locis solet citari ab Scotistis, & potest videri apud Mastrium in Metaph. d. 6. q. 9. art. 2.

28 Pluribus argumentis intendunt adversarii distinctionem formalem ex natura rei è medio tollere. Arguunt igitur primo: distinctio formalis ex natura rei est duplex formalitas realiter identificata, & formaliter in re distincta: hoc implicat: ergo implicat distinctio formalis ex natura rei. Probatur minor; formalitates realiter identificatæ, sunt formalitates formaliter in re identificatæ: sed implicat duplex formalitas in re formaliter identificata, & in re formaliter distincta; ergo implicat duplex formalitas realiter identificata, & formaliter in re distincta. Probatur major: formalitates esse in re formaliter identificatas, nihil aliud est, quam rationem formalem, conceptibilitatem, sive

de-

definitionem objectivam unius esse in re ipsammet rationem formalem, conceptibilitatem, sive definitionem objectivam alterius; sed implicat, formalitates realiter identificari, quin unius ratio formalis, conceptibilitas, & definitio sit ratio formalis, conceptibilitas, & definitio alterius, ergo formalitates realiter identificatæ sunt formalitates in re formaliter identificatæ. Probatur min. identificari realiter formalitates est, unam formalitatem esse in re alteram; sed formalitates sunt ipsæmet rationes formales, conceptibilitates, & definitione unius, & alterius; ergo implicat formalitates realiter identificari, quin ratio formalis, conceptibilitas, & definitio unius sit in re ratio formalis, conceptibilitas, & definitio alterius.

29 Hoc argumentum tantùm, & benè probat, quòd sicut realiter identificantur formalitates, ita realiter identificantur rationes formales, conceptibilitates, & definitiones objectivæ illarum; non tamen probat, formalitates, rationes formales, conceptibilitates, & definitiones illarum formaliter ex natura rei identificari itaque.

30 Resp. in forma, negando minorem, & majorem probationis, & illius probationis distinguo majorem; formalitates esse in re formaliter identificatas, nihil aliud est, quam rationem formalem unius, &c. esse in re ipsammet rationem formalem alterius, &c. si ly *in re* intelligatur realiter absolutè, nego; si intelligatur realiter formaliter, concedo. Distinguo etiam minorem; implicat, formalitates realiter identificari, quin unius ratio formalis, &c. sit ratio formalis alterius, &c. in re realiter absolutè, concedo; in re realiter formaliter, nego, & nego consequentiam. Unde patet ad probationem minoris.

31 Sed replicant: unum esse in re formaliter aliud, nihil aliud est, quam quod in re ratio

R 2 for-

formalis unius sit ratio formalis alterius: ergo implicat solutio in terminis, dum dicit, rationem formalem unius esse in re, sed non formaliter rationem formalem alterius. Probatur antecedens; quia unum esse realiter entitativè alterum, nihil est aliud, quam entitatem unius esse in re entitatem alterius; ergo unum esse in re formaliter aliud, nihil est aliud, quam rationem formalem unius esse in re rationem formalem alterius. Et confirmant; formalitas realiter identificata cum altera, essentialiter est identificata cum illa; sed formalitas essentialiter identificata cum altera, est formaliter identificata cum illa; ergo formalitas realiter identificata cum altera, est formaliter identificata cum illa.

32 Ad replicam respondetur distinguendo antecedens; unum esse in re formaliter aliud, nihil aliud est, quam quòd in re ratio formalis unius sit ratio formalis alterius, sumpto ly *in re*, ut est idem, ac realiter absolutè, nego; ut est idem, ac realiter formaliter, conc. Ad prob. concesso antec. neg. cons. Etenim benè; ex eo quod entitas unius sit entitas alterius, sequitur, unum esse realiter entitativè alterum; quia hoc solum est dicere, quod absolutè sunt idem realiter; non tamen sequitur, ex eo quod ratio formalis unius sit ratio formalis alterius in re, quod unum sit formaliter aliud; cujus ratio est, quia ly *in re* absolutè prolatum denotat esse reale absolutum, & sic benè infert identitatem entitativam, sive realem absolutam; cùm tamen ly *in re* etiam significet esse formale ex natura rei, non semper infert identitatem formalem ex natura rei; unde licet argumentum benè probat, rationem formalem unius formalitatis esse realiter absolutè rationem formalem alterius; non tamen probat, rationem formalem unius esse formaliter ex natura rei rationem formalem alterius.

Ad

33 Ad confirmationem respondetur negando majorem, quia aliud est realis identificatio, & aliud identificatio essentialis; nam ad identificationem realem sufficit, quòd aliqua inter se conveniant ad constitutionem alicujus metaphysicè, modo alibi explicando; ad identificationem verò essentialem etiam requiritur, quòd ratio formalis, & essentialis unius includatur in ratione formali, & essentiali alterius, quod nullatenus contingit in formalitatibus, nam licet realiter identificentur, tamen quælibet excludit aliam à suo conceptu formali, & essentiali. Quando autem contrarii probant majorem, solum probant, quòd formalitates ita necessariò identificantur realiter, ut absolutè non possint non identificari realiter; ex quo nullatenus sequitur, quod essentialiter identificentur, prout essentialiter identificari dicit essentiam unius esse de conceptu formali alterius, licet sequatur, quod essentialiter identificentur, prout essentialiter identificari dicit necessariam identificationem realem absolutam.

34 Arg. 2. Distinctio est propria passio, seu proprietas entis; sed tantum dantur duo genera entium, scilicet, ens reale, & ens rationis: ergo tantum dantur duo genera distinctionum, scilicet, distinctio realis, & distinctio rationis, & consequenter non datur distinctio formalis ab illis distincta. Resp. Argumentum esse verum, si rectè intelligatur; etenim datur ens rationis, & ens reale: sed hoc dividitur in ens reale absolutum, & in ens reale formale ex natura rei; unde similiter tantùm datur distinctio realis, & distinctio rationis, intelligendo pro distinctione reali omnem distinctionem, quæ datur à parte rei independenter à consideratione intellectus; sed hæc distinctio realis subdividitur in distinctionem realem absolutam, quæ versatur inter rem, & rem, & in distinctionem realem formalem, quæ versatur inter

realitates, seu formalitates realiter absolutè identificatas.

35 Unde sequitur, quòd distinctio formalis non est distinctio à distinctionibus reali, & rationis supra numeratis diversa, sed continetur sub distinctione reali, modo explicato; quando autem distinctio ex natura rei formalis appellatur ab Scotistis distinctio media inter realem, & rationis, non est, quia de utraque participet; sed quia est minor distinctione reali absoluta, & major distinctione rationis; sed hoc videtur reduci ad quæstionem de nomine, de qua parum est curandum. Ex dictis ad hoc argumentum facilè respondetur ad aliquas replicas, & sic eas ommittimus.

36 Arguunt tamen tertiò in ordine, contra illud, quod diximus, scilicet, distinctionem ex natura rei formalem, esse minorem distinctione reali absoluta: distinctio formalis datur per differentias intimiores, quàm distinctio realis absoluta: sed distinctio, quæ datur per differentias intimiores, est major: ergo distinctio formalis est major, quam distinctio realis absoluta: sed quæ identificantur realiter, non distinguuntur realiter absolutè: ergo neque formaliter. Patet consequentia, quia quæ non distinguuntur distinctione minori, nequeunt distingui distinctione majori. Respondetur negando minorem, quià majoritas, vel minoritas distinctionis non desumitur ex magis, vel minus intimis differentiis, sed ex eo quòd magis, vel minus admittat identitatis, quæ distinctioni opponitur, unde cùm distinctio realis stricta nullam identitatem admittat, distinctio verò formalis admittat identitatem realem, hinc est, quòd distinctio formalis est minor distinctione reali stricta, & absoluta; ex quo, concessa minori subsumpta, negatur consequentia.

37 Arguunt quartò: distinctio formalis datur inter realiter distincta: ergo non est distinctio

ctio inter formalitates realiter identificatas. Probatur antecedens; nam quælibet formalitas unius individui distinguitur formaliter à qualibet formalitate alterius individui; sed prædictæ formalitates realiter distinguuntur: ergo distinctio formalis datur inter formalitates realiter distinctas. Respond. omisso antecedenti, negando consequentiam; etenim ex eo quòd detur distinctio formalis inter formalitates realiter distinctas, nullatenus sequitur, quòd non detur etiam inter formalitates realiter identificatas, modo dicto in tota quæstione. Omisimus enim antecedens; quia inter formalitates distinctorum individuorum non datur propriè, & rigorosè loquendo distinctio formalis, sed realis absoluta; non ratione ipsarum formalitatum, quia ex se, cùm non sint res, non possunt fundare distinctionem realem, sed ratione singularitatum, & individuorum, in quibus sunt, ut dictum est de naturis, loquendo de unitate formali; potest autem talis distinctio appellari formalis, sumpta denominatione ab ipsis formalitatibus, quæ distinguuntur; sed melius dicitur distinctio realis formalitatum, ut ibi similiter dictum est.

38 Arguunt quintò; fundamentum ad ponendam distinctionem formalem sumitur ex diversis conceptibus, & definitionibus; sed eadem indivisibilis formalitas potest habere diversos conceptus, & definitiones; ergo ruit fundamentum. Probatur minor: nam intellectus, v. gr. diversum habet conceptum, & definitionem, prout est principium simplicis apprehensionis, judicii, & discursus, & voluntas similiter prout est principium volitionis, & nolitionis: sed intellectus, & voluntas sunt simplices formalitates, ergo eadem indivisibilis formalitas potest habere diversos conceptus, & definitiones; ergo ex diversis conceptibus, & definitionibus non infertur distinctio formalis.

39 Resp. dist. maiorem; fundamentum distinctionis formalis sumitur ex diversis conceptibus adæquatis, & ex diversis definitionibus quidditativis, & sine ordine ad diversa connotata, concedo; ex diversis conceptibus inadæquatis, & ex diversis definitionibus non quidditativis, & in ordine ad diversa connotata, nego. Distinguo etiam minorem; eadem indivisibilis formalitas potest habere diversos conceptus inadæquatos, & diversas definitiones non quidditativas, & in ordine ad diversa connotata, concedo; diversos conceptus adæquatos, & diversas definitiones quidditativas, nego, & nego consequentiam. Similiter debet distingui probatio minoris; tantum enim probat, intellectum habere diversos conceptus inadæquatos, & diversas definitiones non quidditativas in ordine ad diversa connotata; & similiter voluntatem, ut etiam dictum est quæstione antecedenti.

40 Ratio huius est: nam conceptus adæquatus est fundamentum definitionis essentialis, & quidditativæ, & cùm hæc explicet naturam, & essentiam rei, implicat, unam simplicem formalitatem habere plures conceptus adæquatos, & plures definitiones quidditativas, sicut implicat habere plures essentias, at verò conceptus inadæquatus est fundamentum definitionis non quidditativæ, seu in ordine ad extrinsecum connotatum, & cùm hæc non explicet essentiam, sed tantùm aliquod munus formalitatis, non implicat, unam simplicem formalitatem habere plures conceptus inadæquatos, & plures definitiones non quidditativas, & in ordine ad diversa extrinseca connotata, sicut non implicat habere diversa munera.

41 Dices, nihil potest definiri, nisi in ordine ad operationem: sed operatio est extrinsecum connotatum; ergo nihil definitur, nisi in ordine ad extrinsecum connotatum, & conse-

quen-

quentes nullum est signum ex hoc capite ad colligendam distinctionem formalem. Sed præter quamquod assumptum argumenti est falsum; tum quia plura sunt definibilia, quæ non sunt de genere activorum, & sic nequeunt definiri in ordine ad operationem. Tum etiam, quia nulla daretur definitio essentialis, & quidditativa, sed omnes essent descriptivæ, & a posteriori, quod nullus concedit; adhuc in his, quæ sunt operativa, neganda est major; nam inquit Scotus in 2. dist. 1 quæst. 6. §. *Dico tunc*, litt. B. *Quidquid est potens agere, est aliquod ens habens actum primum, & prior est ibi secundum naturam ratio actus primi secundum se, quam in comparatione ad actum secundum, cuius potest esse principium; ita quod licet illud, quo tale ens est principium actus secundi, non sit aliud a natura sua; non tamen prima entitas sua est natura sua; ut est principium talis actus secundi, sed natura sua, ut in se est hæc, & ita prima distinctio entis non est per naturam suam in quantum est principium talis operationis; sed per naturam suam, ut hæc natura*; quod latè prosequitur Scotus; ex cuius verbis clarè deducitur, adhuc rem operativam posse quidditativè, & essentialiter definiri, sine ordine ad propriam operationem, verum tamen est, quod quia pluries essentiæ rerum nos latent, communiter ipsas definimus in ordine ad operationes, seu ut sunt principium operationum.

42 Inquires tamen, unde cognoscatur, aliquam rem definiri in ordine ad conceptus adæquatos, & sine ordine ad extrinseca connotata? Resp. Hoc formaliter non posse cognosci, siquidem, ut dictum est, omnia communiter definiuntur in ordine ad suas operationes, quæ sunt extrinseca connotata; solum autem hoc potest cognosci arguitivè, hoc est, ex diversis definitionibus, etiam in ordine ad operationes potest

colligi, res habere diversas essentias, & diversos conceptus adæquatos; ad cuius cognitionem signum erit, quando ex pluribus definitionibus de eadem re, una potest alteri rei convenire, cui non conveniat alia, tunc illæ definitiones arguunt diversas essentias formalitatum, & ostendunt diversos adæquatos conceptus, v.g. in homine datur definitio animalis, & definitio rationalis, & quia definitio animalis convenit etiam bruto, cui nequit convenire definitio rationalis, hinc colligitur, diversam esse essentiam animalis ab essentia rationalis, & utrumque terminare diversum conceptum adæquatum; quod per oppositum contingit in definitionibus, quæ dantur de intellectu, ut principium est simplicis apprehensionis, judicii, & discursus, & de voluntate, ut est principium volitionis, & nolitionis; nam nequit una alicui convenire; quin simul & altera conveniat, unde non inferunt diversas essentias, nec diversos conceptus adæquatos, sed tantum denotant diversa munera, quorum ratione eadem formalitas terminat diversos conceptus inadæquatos.

43 Advertendum tamen est, quod in aliquibus formalitatibus, quarum una nequit esse in aliquo, quin sit alia, ex alio capite debet cognosci definitiones arguere diversas essentias, & fundari in conceptibus adæquatis, scilicet, quia earum operationes respiciunt obiecta sub diversis rationibus, intellectus enim & voluntas sunt duæ formalitates ex natura rei distinctæ, & definitiones illorum inferunt diversas essentias, & fundantur in conceptibus adæquatis; quia etiam si intellectus nequeat esse in aliquo, in quo non sit simul voluntas, & è contra; tamen respiciunt sua obiecta secundum diversas rationes, vel intelligibilis, vel volibilis: quod non contingit in operationibus intellectus; nam sub eadem ratione respiciunt

obi-

obiectum, & sic non arguunt diversas essentias, neque diversos conceptus adæquatos, sed tantum diversa munera intellectus, & diversos inadæquatos conceptus. Idem dicendum est de operationibus voluntatis.

44 Neque ex hoc inferas, omnia quæ habent diversas essentias, distingui formaliter; nam plura realiter distinguuntur, quæ habent diversas essentias, ut *homo*, & *lapis*; nam non benè sequitur, formalitates, quæ habent diversas essentias formaliter distinguuntur: ergo omnia, quæ habent diversas essentias, formaliter distinguuntur; quia non valet consequentia ab inferiori ad superius, seu a particulari ad commune; non enim valet, *aliquis homo est albus*; ergo *omnis homo est albus*. Etenim omnia, quæ habent diversas essentias, distinguuntur ex natura rei, vel realiter, si sint res, & per se capacia existentiæ, & terminandi productionem, vel formaliter, si sint formalitates, seu realitates realiter absolutè identificatæ.

45 Arguunt sextò: si daretur distinctio ex natura rei formalis, daretur in Deo compositio metaphysica: sed hæc dicit imperfectionem, a Deo penitus relegandam: ergo non datur distinctio ex natura rei formalis. Probatur major, nam compositio est distinctorum coniunctio; sed si daretur distinctio formalis, formalitates coniungeretur inter se in Divinis: ergo daretur in Deo compositio. Respondetur neg. mai. & disting. majorem probationis: compositio est coniunctio distinctorum se habentium tanquam actus, & potentia, concedo: non se habentium tanquam actus, & potentia, nego. Similiter distinguenda est minor; formalitates coniungerentur in Divinis tanquam actus, & potentia, nego; non tanquam actus, & potentia, sed per summam identitatem realem, ratione infinitatis, concedo, & nego consequentiam.

46 Et si dubites, in quo consistat hæc summa identitas inter formalitates Divinas? Respondet Scotus in 1. dist. 8. quæst. 4. §. *Ad argumentum principale*, litt. Z. & *vers oppositum est*, litt. AA. quod hæc summa identitas consistit in hoc, quod formalitates Divinæ identificantur ratione sui, seu modi intrinseci infinitatis; nam quælibet est formaliter infinita, ad differentiam creatarum formalitatum, quæ non ratione sui, sed ratione tertii, quod constituunt, identificantur; unde animal, v.g. est in potentia, ut determinetur per rationalitatem, quæ se habet tanquam actus, formalitates autem Divinæ nullatenus sunt in potentia, ut per alias determinentur, cum quælibet ex se dicat identitatem cum alia, quod patet ex eo quod formalitates Divinæ, quantumcumque abstrahantur, possunt identicè prædicari, hæc enim prædicatio est vera: *Sapientia Divina est bonitas*, & aliæ similes, quia adhuc in ultima abstractione, non ammittunt infinitatem, ratione cuius identificantur; e contra vero contingit in formalitatibus creatis; hæc enim prædicatio est falsa: *Animalitas est rationalitas*; quia cum non ratione sui, sed ratione tertii identificentur, amittunt identitatem, quando ultima abstractione abstrahuntur.

47 Si adhuc dubites, unde colligatur, ex eo quod formalitates Divinæ identificentur summa identitate reali, unam non esse in potentia, ut determinetur per aliam? Respondetur, hoc ex eo colligi, quod infinitas, ratione cuius summè identificantur, est ratio identificandi quodcumque compossibile, & ita, ubi datur una formalitas infinita, necessario cum illa identificantur omnes formalitates cum ipsa compossibiles, taliter, quod nullatenus potest una esse sine alia; unde ut identificetur cum illis, non indiget aliquo determinante; quia secum habet rationem identificationis, & consequen-

quenter nullam habet potentialitatem. E contra vero contingit in formalitatibus creatis, quæ se habent, ut superius, & inferius, seu differentia, quia cum non identificentur ratione sui, sed ratione tertii, potest una esse sine alia, ut patet in animalitate, quæ est in bruto sine rationalitate, & sic, ut identificetur cum illa indiget aliquo determinante, respectu cuius est in potentia ad constitution m tertii, in quo tam determinativum, quam determinabile identificantur.

48 Sed contra argues: ergo Deus non est summè unus, & summè simplex maiori unitate, & majori simplicitate excogitabili: sed hoc est contra D. Bernardum, qui lib. 5. de consid. dicit: Deum esse unissimum, quod excogitari potest: ergo ex hoc capite non est admittenda in Deo distinctio formalis. Resp. disting. consequens: Deus non est summè unus, & summè simplex maiori unitate, & simplicitate excogitabili, quæ opponitur resolubilitati in plures conceptus, concedo, quæ opponitur compositioni, nego, & in hoc secundo sensu loquitur D. Bern.

49 Pro cuius intelligentia notandum est, quod duplex datur unitas, seu simplicitas, altera quæ opponitur resolubilitati in plures conceptus, & hæc dicit imperfectionem, quia tantò magis aliquid est imperfectum, quantò minus est resolubile, ut patet in conceptu entis abstractio, qui sicut est minus resolubilis, quod excogitari potest, ita est magis imperfectus, unde hæc unitas, seu simplicitas non est admittenda in Deo. Altera est unitas, seu simplicitas, quæ opponitur compositioni, & hæc nullam dicit imperfectionem, imò maximam perfectionem: nam sine imperfectione potentialitatis includit omnes perfectiones formalitatum, quas in se habet, quæ perfectio nequit stare cum irresolubilitate; quia implicat, quod plures formalitates

actu,

actu, & formaliter in aliquo existens transeant in unicam formalitatem, cum quælibet ex sua ratione formali excludat aliam. Quod autem talis resolubilitas in plures formalitates sine compositione non opponatur summæ Dei simplicitati, ex eo patet, quod relationes Divinæ etiamsi inter se realiter distinguantur, non auferunt summam unitatem, & simplicitatem Dei. ergo multo minus formalitates, quæ tantum inter se formaliter distinguuntur.

QUÆSTIO IV.

Quomodo naturæ superiores ab inferioribus distinguantur.

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est, quòd naturæ superiores possunt dupliciter ad inferiores comparari, nam vel comparantur ad differentias, per quas contrahuntur ad esse inferiorem, ut si comparetur animal ad rationalitatem: in quo sensu patet ex dictis quæstione antecedenti, distingui ex natura rei formaliter adæquatè, cum totaliter naturæ superiores excludant a sua ratione formali differentias: vel comparantur ad ipsas naturas inferiores, ut si comparetur animal ad hominem, in quo sensu procedit quæstio.

2 Circa quam divisi sunt Scotistæ, aliqui asserunt, naturas superiores distingui formaliter ab inferioribus, non verò è contra, imò naturas inferiores esse idem formaliter cum superioribus. Alii per oppositum dicunt, naturas inferiores distingui formaliter a superioribus; non verò è contra, imo naturas superiores esse idem formaliter cum inferioribus. Hæ duæ sententiæ concedunt distinctionem ex natura rei formalem, sed non mutuam inter naturas superiores, & inferiores. Alii autem affirmant, naturas superiores distingui formaliter ina-

inadæquatè à naturis inferioribus, & è contra, & sic concedunt inter prædictas naturas distinctionem formalem mutuam, licet inadæquatam. Hæc sententia est communior inter Scotistas. Videatur Merin. in Logica cap. de Universalibus disp. 1. quæst. 2. ubi tenens hanc ultimam sententiam, tam pro illa, quam pro aliis adducit plures Authores.

3 Pro majori autem claritate, tam quæstionis, quam terminorum quibus controvertitur, notandum est, quod identitas formalis potest dupliciter sumi. Primo dicitur aliquid esse idem formaliter cum alio, eo quod includit illud in suo conceptu formali, & hæc dicitur identitas includentis cum incluso, cui suo modo correspondet distinctio includentis ab incluso. Secundo dicitur aliquid esse idem formaliter cum alio eo quod includitur in conceptu formali illius, & hæc dicitur identitas inclusi cum includente, cui suo modo correspondet distinctio inclusi ab includente. Quæ duplex identitas, & similiter distinctio, licet in re eadem sit, diversis tamen terminis explicatur, quod non est abs re, cum pluries propter defectum terminorum, oriatur in quæstionibus maxima confusio. Hoc notato.

4 Dicimus primò: naturæ inferiores distinguuntur formaliter inadæquatè a superioribus distinctione includentis ab incluso, & sunt idem formaliter inadæquatè cum illis iden titate includentis cum incluso: naturæ verò superiores, neque sunt idem, neque distinctæ, formaliter ab inferioribus hoc genere identitatis, & distinctionis. Probatur prima pars: quia illud dicitur idem formaliter cum alio identitate includentis cum incluso, quod includit illud in suo cõceptu formali, & tunc dicitur inadæquatè idem, quando præter illud, quod includit, dicit aliquid aliud, nam secundum illud aliud, quod dicit, nequit esse idem, imo potius distinctum: sed

natu-

natura inferior, v. g. *homo* includit naturam superiorem, v. g. *animal*, & præter *animal* dicit aliud, scilicet, *rationale*: ergo natura inferior est idem formaliter inadæquatè cum superiori identitatè includentis cum incluso, & inadæquatè ab illa formaliter distincta distinctione includentis ab incluso.

5 Probatur secunda pars: nam naturæ superiores nullatenus includunt inferiores in suo conceptu formali: animal enim, v. g. non includit hominem in suo conceptu formali: sed tam ad identitatem includentis cum incluso, quā ad distinctionem includentis ab incluso requiritur quod id, quod est idem cum alio, vel distinctum ab alio, includat illud in suo conceptu formali: ergo sumpta identitate, & distinctione in hoc sensu, naturæ superiores, neque sunt idem cum inferioribus, neque ab illis distinctæ.

6 Dicimus secundo, naturæ superiores sunt idem inadæquatè cum inferioribus identitate inclusi cum includente, & distinctæ formaliter inadęquatè ab illis distinctione inclusi ab includente: naturæ vero inferiores neque sunt idem, neque distinctæ a superioribus hoc genere identitatis, & distinctionis. Probatur prima pars: nam illud dicitur idem cum alio hoc genere identitatis, quod includitur in ratione formali illius, & tunc talis identitas est inadęquata, quādo non dicit totam rationē formalem illius; nā potius distinguitur ab illo ratione illius, quod non dicit sed natura superior, v. g. *animal* est de ratione formali naturæ inferioris, ut est *homo*, & non dicit, totam rationem formalem hominis nam etiam rationalitas est de ratione formali hominis, & animal non dicit rationalitatem: ergo natura superior est idem formaliter inadæquatè cum inferiori identitate inclusi cum includente, & distincta formaliter inadæquatè ab illa distinctione inclusi ab includente.

7 Probatur secunda pars: nam naturæ inferio-

riores nullatenus includuntur in superioribus, homo enim, v. gr. non includitur in ratione formali animalis, sed tam ad identitatem inclusi cum includente, quam ad distinctionem inclusi ab includente requiritur, quod id, quod sic est idem, vel distinctum, sit de ratione formali illius, cum quo est idem, vel à quo est distinctum; ergo sumpta identitate, & distinctione in hoc sensu, naturæ inferiores neque sunt idem cum superioribus, neque ab illis distinctæ.

8 Ex his duabus conclusionibus facilè possunt conciliari tres supradictæ sententiæ; nam cùm prima dicit, superius distingui ab inferiori debet intelligi distinctione inclusi ab includente, & cùm dicit, quòd inferius est idem cum superiori, debet intelligi identitate includentis cum incluso. Secunda verò sententia, cum dicit, quòd inferius distinguitur à superiori, debet intelligi distinctione includentis ab incluso; cùm autem dicit, quòd superius est idem formaliter cum inferiori, debet intelligi identitate inclusi cum includente; quod totum benè componitur loquendo de distinctionibus, & identitatibus inadęquatis modo explicato in conclusionibus, unde nullatenus opponuntur prædictæ sententiæ, quælibet tamen procedit diminutè, nam quòd una dicit, alia tacet.

7 Tertia verò sententia, cum dicit superius, & inferius mutuò inadæquatè distingui formaliter, & ex consequenti mutuo inadæquatè esse formaliter idem, non debet intelligi in eodem genere distinctionis, & identitatis, sed de distinctione, & identitate, mutua, & inadæquata distributione accomoda, ita ut superius distinguatur ab inferiori, & identificetur cum illo formaliter inadęquatè, & similiter, inferius distinguatur à superiori, & identificetur cũ illo formaliter etiam inadæquatè; sed non in eadem linea identitatis, & distinctionis, ut dictum est in conclu-

clusionibus; quod non est peculiare huius identitatis, & distinctionis, nam etiam contingit in relationibus disquiparantiæ, quæ licèt sint mutuæ, non sunt ejusdem rationis, ut patet in relationibus causæ, & effectus, quæ sunt mutuæ, & diversæ rationis; Pater enim, v.gr. dicit ad filium relationem causæ, scilicet paternitatis, & filius dicit ad Patrem relationem effectus, scilicet filiationis, relatio autem paternitatis est diversę rationis à relatione filiationis: non enim sunt extrema illarum ad invicem partes, nec ad invicem filii, unde sequitur quòd tertia sententia non opponitur duabus præcedentibus, imò sic explicata, affirmat conjunctim, quòd ipsæ separatim. Neque apparet quid contra nostras conclusiones possit obiici, quòd ex dictis facilè non solvatur.

10 Arg. tamen; non possunt aliqua esse simul idem, & distincta eodem modo; sed superius, & inferius sunt idem formaliter inadæquatè; ergo non sunt distincta formaliter inadęquatè. Deinde quæ sunt eadem formaliter uni tertiò, sunt eadem formaliter inter se; sed animal, & rationale, v. g. sunt eadem formaliter uni tertio, scilicet homini; ergo sunt eadem formaliter inter se; sed hoc est contra dicta quæstione antecedenti: ergo animal, & rationale non sunt eadem formaliter homini, & conseq. natura superior non est idem formaliter naturæ inferiori.

11 Ad primum resp. dist. mai. & similiter totum arg. est enim verum, & habet vim loquendo secundum eandem rationem, non verò secundùm diversas rationes. Etenim superius est idem formaliter cum inferiori, quatenus est de ratione formali illius, & distinguitur formaliter ab inferiori quatenus non dicit totam rationem formalem illius, similiter inferius est idem formaliter cũ superiori quatenus includit illud in sua ratione formali, tanquam partem, & distinguitur formaliter à superiori quatenus addit ali-

aliquid aliud super illud, scilicet, differentiam per quam contrahitur superius ad esse inferioris: quod clarè denotat distinctionem, & identitatem formalem inadæquatam inter superius, & inferius secundum diversas rationes.

12 Ad secundum resp. dist. mai. quæ sunt eadem formaliter uni tertio, sunt eadem formaliter inter se, si sint eadem adæquatè, conc. si sint eadem tantum inadæquatè, neg. Similiter dist. min. animal, & rationale sunt eadem formaliter homini, quodlibet inadæquatè, concedo; adæquatè, nego, & nego conseq. & similiter neg. est min. subsumpta, & conseq. deducta ex ipsa, quæ solutio patet ex dictis in tota quæstione.

13 Præter supradictas sententias, aliam noviter invenerunt aliqui, non parvi momenti. Scotistæ, qui asserunt in manuscriptis superius, & inferius, vel distingui formaliter mutuo adæquatè, vel tantum distinctione rationis ratiocinatæ, quod sic suo videri efficaciter probant: distinctio formalis inadæquata est distinctio à parte rei: ergo ejus extrema debent esse à parte rei: sed extrema distinctionis inter superius, & inferius non sunt extrema à parte rei: ergo superius, & inferius non distinguũtur formaliter inadæquatè. Prob. min quia animal, quod est in homine, & est superius non potest comparari, nisi cum homine, vel cum rationalitate, & comparatum cùm rationalitate, distinguitur ab illa formaliter mutuo adæquatè, ut supponitur: sed non potest comparari cum homine, nisi per intellectum, & comparatum cum homine dicit distinctionem inadæquatam: ergo extrema distinctionis inadæquatæ non sunt à parte rei, sed per intellectum. Prob. min. quia si animal est unum extremum, solum remanet à parte rei rationale, ad quod comparetur; nam homo solum est animal rationale: ergo non potest comparari à parte rei animal cum homine, sed

tan-

tantum per intellectum, & consequenter distinctio inadæquata non est à parte rei, sed tantum rationis ratiocinatæ.

14 Sed hæc sententia, & illius probatio plures patitur instantias, nam contra illam est primò, quòd è medio tollit unitatem formalem à parte rei, quod sic ostenditur: unitas formalis, secundùm Scotum, & communem Scotistarum consensum convenit à parte rei cuilibet naturæ, tam genericæ, quàm specificæ, id est, tam superiori, quàm inferiori: ergo natura superior habet è parte rei unitatem formalem à parte rei distinctam ab unitate formali, quam à parte rei habet natura inferior. Consequentia est evidens; nam natura generica per unitatem formalem est communis negativè per differentiam ad plures species à parte rei: sed natura specifica per unitatem formalem non est indifferens negativè per indifferentiam ad plures species à parte rei, sed tantum ad plura individua: ergo unitas formalis, quæ à parte rei consequitur naturam genericam, est à parte rei distincta ab unitate formali, quæ consequitur à parte rei naturam specificam, & consequenter naturæ, quas consequuntur prædictæ unitates, sunt distinctæ à parte rei.

15 Nunc sic: ablata à parte rei distinctione inter naturam genericam, & specificam, seu quod idem est, inter superius, & inferius, aufertur distinctio à parte rei inter prædictas unitates formales ipsas naturas consequentes: ergo auferuntur unitates formales à parte rei.

16 Si autem dicant, dari unitatem genericam, & specificam; sed unitatem genericam includi in specifica à parte rei, & propter hanc inclusionem non distingui ab illa à parte rei, & similiter dari naturam genericam, & specificam, sed natura genericam includi in specifica, & propter hanc inclusionem non distingui ab illa

à par-

à parte rei. Contra est, quia similiter deberet philosophari de natura specificata, & de unitate specifica respectu naturæ numericæ, & unitatis numericæ, nam sicut natura, & unitas generica includitur in natura, & unitate specifica, ita natura, & unitas specifica includitur in natura, & unitate numerica; ergo si propter illam inclusionem natura & unitas generica non distinguitur à parte rei à natura, & unitate specifica, similiter propter istam inclusionem natura, & unitas specifica non distinguitur à parte rei natura, & unitate numerica; & consequenter à parte rei tantum datur natura; & unitas numerica, siquidem nulla datur natura, neque unitas à parte rei ab illa distincta; sed hoc est expressè contra Scotum asserentem dari à parte rei unitatem formalem distinctam ab unitate numerali, nam in 2. dist. 3. quæst. 1. §. *Ad quæstionem*, litt. E. dicit; *Aliqua est unitas in re realis absque omni operatione intellectus minor unitate numerali*; ergo propter talem inclusionem non est neganda aliqua distinctio ex natura rei inter superius, & inferius.

17 Contra secundo; quia secundum prædictam sententiam destrueretur illud commune proloquium; *Totum est maius sua parte*, ab omnibus admissum, quod patet; nam posita parte pro uno extremo comparationis, non remanet totum ad quod comparetur, sed tantum alia compars; nam totum illud, tantū dicit suas partes; ergo si non posset fieri à parte rei comparatio inter totum, & suam partem, rueret prædictum principium, ne ergo tale principium destruatur dicendum est, posse à parte rei fieri comparationem inter totum, & suam partem; ergo quòd pars includatur in toto non obstat, ut à parte rei dentur totum, & pars illius, ut extrema comparationis à parte rei: ergo quòd superius includatur in inferiori, tanquam pars in toto, non

non obstat, ut dentur à parte rei superius, & inferius, tanquam extrema à parte rei requisita ad comparationem necessariam ad distinctionem formalem inadæquatam ex natura rei.

18 Contra tertiò: quia juxta prædictum fundamentum, neque potest dari distinctio rationis ratiocinatæ, quam ipsi Scotistæ adstruunt inter superius, & inferius: ergo tale fundamentum etiam est contra ipsos. Probatur antecedens; quia ex eo dicunt superius, & inferius, non posse distingui ex natura rei formaliter, quia posito superiori, ut extremum distinctionis est, non remanet à parte rei inferius ad quod comparetur; nam hoc inferius, v. gr. *homo* tantum includit à parte rei *animal*, quod est superius, & *rationale*, quod est differentia, & sic posito animali, ut extremum distinctionis est, non remanet homo, ad quem comparetur, tanquam ad aliud extremum distinctionis, sed tantum rationale: sed posito animali pro extremo distinctionis rationis, non remanet homo, ad quem comparetur, tanquam ad aliud extremum distinctionis rationis, sed tantum rationale; ergo juxta prædictum fundamentum, non potest dari distinctio rationis ratiocinatæ inter superius, & inferius. Patet minor, quia sicut homo à parte rei tantum includit animal rationale, ita homo per intellectum tantum includit animal rationale: ergo sicut posito à parte rei animali pro extremo distinctionis ex natura rei, non remanet homo, ad quem comparetur, tanquam ad aliud extremum talis distinctionis, ita posito per intellectum animali pro extremo distinctionis rationis, non remanet homo, ad quem comparetur, tanquam ad extremum talis distinctionis: ergo ex eodem capite, quo negant distinctionem formalem ex natura rei inter superius, & inferius, tenentur negare distinctionem rationis ratiocinatæ; & conseq. sibi contrariantur, dum

dum negantes distinctionem formalem ex natura rei inter superius, & inferius distinctionem rationis ratiocinatæ admittunt inter illa.

19 Nunc respondetur ad fundamentum prædictæ sententiæ, concesso primo entyhmemate, negando min. subsumptam, & minorem prob. illius, & ad istius minoris probationem, disting. antec. si animal est unum extremum distinctionis, solum remanet rationale, ad quod comparetur comparatione requisita ad distinctionem formalem adæquatam ex natura rei, concedo, ad distinctionem inadæquatam, nego. Similiter disting. conseq. animal nequit comparari cum homine à parte rei, comparatione requisita ad distinctionem formalem adæquatam ex natura rei, concedo, ad distinctionem inadæquatam, nego. Etenim ad hoc, ut animal comparetur cum homine comparatione requisita ad distinctionem formalem inadæquatam ex natura rei, non est necessarium, quod posito animali pro uno extremo, remaneat homo, tanquam aliud extremum totaliter excludens animal, imò potius requiritur oppositum, scilicet, quòd animal includitur in homine, tanquam pars illius; nam cum sit distinctio inadæquata, unum extremum debet in altero includi etiam inadæquatè, est enim distinctio includentis ab incluso: si autem unum extremum totaliter excluderet aliud, jam distinctio esset adæquata, ut est inter animal, & rationale.

20 Dubitabis, an distinctio dicat relationem? Respond. quòd loquendo de distinctione formali, certum est, non dicere relationem propriè sumptam; quia relatio propriè sumpta requirit extrema realiter distincta, qualia non sunt extrema distinctionis formalis, explicatur autem per modum relationis, quia dicit habitudinem unius extremi ad aliud: Loquendo autem de distinctione reali, non videtur posse negari, dicere relationem, non quia supponat extrema

trema distincta actualiter, nam cùm distinctio sit forma, seu ratio distinguendi, nequit supponere extrema actu distincta, sed tantum fundamentaliter, sicut relatio similitudinis non supponit extrema actu, & formaliter similia, sed tantum fundamentaliter. Hoc debet intelligi, quando extrema distinctionis sunt positiva; non vero quando aliquod extremum est negativum, cùm relatio, quæ est entitas positiva, nequeat fundari in negatione, neque ad illam terminari. Hæc relatio distinctionis potest reduci ad relationem diversitatis.

21 Hic solet etiam dubitari, an sint idem, non identitas, & distinctio? Sed hoc reducitur ad quæstionem de nomine, de qua non est multum curandum. Potest tamen responderi, quòd distinctio semper includit non identitatem; nam nequeunt aliqua distingui, quin in eodem genere, in quo sunt distincta, sint non idem, ut si sunt distincta formaliter, non sunt idem formaliter, & si sunt distincta realiter, non sunt idem realiter; at verò non identitas non dicit semper, & necessario distinctionem; possunt enim aliqua non esse idem in aliquo genere, & non esse distincta in illo genere, v. gr. Petrus, & Paulus non sunt idem formaliter, & tamen non sequitur, quòd sint distincti formaliter; cuius ratio est, quia non identitas, cum dicat tantum negationem, tantum denotat Petrum, & Paulum non se includi formaliter, seu non esse eandem formalitatem, quod verum est, distinctio autem formalis necessariò requirit, quod illius extrema sint duæ formalitates realiter identificatæ, quales non sunt Petrus, & Paulus. Unde videtur dicendum, quod non identitas & distinctio se habent tanquam superius, & inferius, valet enim; *Sunt distincta*; ergo *non sunt idem*; non autem valet; *Non sunt idem*; ergo *sunt distincta* nisi ut dictum est, hoc reducatur ad quæstionem de nomine.

DIS.

D I S P. III.

De prædicationibus:

QUia universalitas Logica dicit prædicabilitatem de multis, ideò antequam de illa differamus, & ad majorem ipsius intelligentiam oportet agere de prædicationibus. Pro quibus sit.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit prædicatio.

1 PRo primo, quod inquirit quæstio, dicimus primò: prædicatio absolutè loquendo, idem sonat, ac enunciatio, seu propositio, unde sicut in Summulis propositionem sic definimus: ***Est oratio indicativa unius de alio***, ita hic possumus prædicationem definire, sed in præsenti sumitur prædicatio pro enunciatione affirmativa.

2 Pro secundo, quod inquirit quæstio, dicimus secundò, prædicatio dividitur in identicam, & formalem. Identica est, quando aliquid affirmatur de alio, respectu cujus non se habet per modum formæ, neque est de ratione formali illius, sed solum affirmatur ratione identitatis, quam inter se habent, vel ratione alicuius tertii, in quo uniuntur, hæc enim propositio: ***Misericordia est iustitia*** est vera identicè in Divinis propter identitatem, quam habent inter se, ut dictum est disp. 2. quæst. 3. & similiter hæc propositio: ***Album est dulce***, in lacte est vera identicè, ratione unionis, quam habent albedo, & dulcedo in eodem subjecto, scilicet, in lacte. Prædicatio formalis est; in qua aliquid affirmatur de alio, respectu cuius se habet tanquam forma informans, ut, ***homo est albus***, vel tan-

tanquam forma constituens subjectum in aliquo esse formali, ut, *homo est animal*. Alia solet assignari prædicatio identica, illa, scilicet, in qua unum prædicatur de se ipso, vel secundum idem nomen, ut, *Petrus est Petrus*, vel secundum diversum, ut, *gladius est ensis*; sed talis prædicatio est nugatoria, & inutilis.

3 Prædicatio formalis dividitur in essentialem, & extra essentialem. Essentialis est, in qua prædicatum est de essentia subjecti, ut, *homo est animal*. Extra essentialis est, in qua prædicatum non est de essentia subjecti, ut, *homo est albus*.

4 Prædicatio formalis essentialis, quæ etiam dicitur prædicatio quidditativa, seu *in quid*, dividitur in prædicationem *in eo quod quid*, & *in quale quid*. Prædicatio *in eo quod quid* est, in qua prædicatum non solum est de essentia subjecti, sed etiam se habet per modum per se stantis contrahibilis, & determinabilis, ut quando prædicatur genus de specie, ut, *homo est animal*, & species de individuo, ut, *Petrus est homo*. Prædicatio in *quale quid* est, in qua prædicatum, & si sit de essentia subjecti, non tamen se habet per modum contrahibilis, & determinabilis, sed per modum contrahentis, & determinantis, ut quando de individuo prædicatur differentia essentialis specifica, ut, *Petrus est rationale*. Prædicatio extra essentialis dividitur in necessariam, quæ etiam dicitur, *in quale necessario*, & in accidentalem, quæ etiam dicitur, *in quale contingenter*. Necessaria est, in qua licet prædicatum non sit de essentia subjecti, est tamen necessariò connexum cum illo, ut quando prædicatur propria passio, ut, *homo est risibilis*. Accidentalis est, in qua prædicatum accidentaliter, & contingenter convenit subiecto, ut, *homo est albus*.

5 Præ-

5 Prædicatio formalis adhuc dividitur in directam, & in indirectam. Directa est, in qua ponitur pro subiecto, quod se habet tanquam materia, & pro prædicato, quod se habet tanquam forma, ut, *homo est albus*. Indirecta est, in qua ponitur pro subjecto, quod se habet tanquam forma, & pro prædicato; quod se habet tanquam materia, ut *album est homo*. Ex quo sequitur, quòd quando superius prædicatur de inferiori, & differentia propria passio, & accidens prædicantur de illis, respectu quorum sunt universalia prædicatio, est directa, quando verò è contra evenit, est indirecta.

6 Adhuc dividitur prædicatio in signatam, & exercitam. Prædicatio signata est, in qua ponitur verbum significans prædicationem, seu potentiam ad prædicari, ut, *genus potest prædicari de specie*: *Animal potest prædicari de homine*. Prædicatio exercita est, in qua implicitè, vel explicitè ponitur verbum *est* absolutè significans unionem prædicati cum subjecto, ut, *homo est animal*: *homo currit*. Ubi advertendum est quod quando prædicatio signata est vera, etiam est vera exercita illi correspondens, quia enim hæc signata est vera: *animal potest prædicari de homine*, etiam est vera hæc exercita: *homo est animal*; quod non debet intelligi semper eisdem terminis, nam si prædicatio signata fiat in terminis secundæ intentionis, non valet exercita in eisdem terminis, sed in terminis primæ intentionis, licet enim hæc signata sit vera: *Genus potest prædicari de specie*, non tamen est vera hæc exercita; *species est genus*, benè tamen hæc, *homo est animal*.

QUÆSTIO II.

Quid significet concretum primò, & per se?

1 JAm diximus in Summulis quid sit concretum & abstractum, nunc autem pro quæstionis intelligentia notandum est primò, concretum, vel concernere suppositum, ut concretum substantivum de prædicamento substantiæ, ut *homo*, vel concernere subiectum, *ut* concretum accidentale, tam substantivum, ut *Pater*, quam adjectivum, ut *album*, & etiam adjectivum substantiale, ut *rationale*, quod non debet intelligi, ita ut propriè concernat subjectum: nam substantia non dicitur propriè esse in subiecto, sed tantum similitudinariè, & metaphoricè, quatenus explicatur per modum alteri adjacentis.

2 Notandum est secundò, cum Scoto in 1. dist. 5. quæst. 1. litt. A. & B. quod quanto aliquid magis fuerit concretum, tantò magis abstrahi potest; unde diversimodè fit abstractio in substantiis, in accidentibus absolutis, & in accidentibus relativis. Etenim cum in substantiis solùm sit concretio rationis quidditativè cum suppositis, seu individuis, solum potest fieri unica abstractio, ut cùm ab hoc concreto *homo* abstrahitur *humanitas*; quæ abstractio dicitur ultima, quia licet sit prima, nulla alia potest fieri.

3 In accidentibus verò absolutis, cum sit duplex concretio, scilicet, & rationis quidditativè cum individuis, & individuorum cum subjecto, cui inhærent, duplex etiam fit abstractio: nam ab hoc concreto *album*, abstrahitur *albedo*, quæ licet, ut sic non concernat subjectum, concernit tamen individua, & sic ab albedine abstrahitur ratio quidditativa albe-

dinis,

dinis; quæ solet appellari *albedeneitas*, quæ dicitur ultima abstractio.

4 In accidentibus autem relativis, cùm sit triplex concretio; scilicet; quidditatis relationis cum suis individuis, & ipsius relationis cum fundamento, & fundamenti cum subjecto, sic etiam est triplex abstractio, scilicet, fundamenti à subiecto, ut cum ab hoc concreto relativo *causa*, quòd concernit subiectum, abstrahitur *potentia causandi*, quæ licet non concernat subiectum, concernit tamen fundamentum, & sic fit alia abstractio, scilicet, *causalitas*, quæ etiam si non concernat subiectum, neque fundamentum, concernit tamen propria individua, & sic ab illa fit alia abstractio, scilicet, *quidditas*, seu *ratio causalitatis*, & hæc dicitur ultima abstractio. His notatis.

5. Difficultas est, an concretum significet primo, & per se formam in recto, an verò subiectum? Quæ difficultas magis videtur grammaticalis, quàm philosophica: nam versatur circa rectum, & obliquum, qui termini grammaticales sunt. Aliqui asserunt, concretum significare subiectum in recto, & formam in obliquo. Pro hac sententia communiter citantur Thomistæ, Scotistæ verò affirmant per oppositum concretum significare in recto formam, & in obliquo, seu connotato subjectum, quod expressè tenet Scotus in 1. dist. 4. quæst. 1. sub litt. E. in fine.

6 Dicimus ergo: concretum primò, per se, & in recto significat formam; subiectum verò tantum de connotato, & in obliquo. Probatur primò ex Arist. qui cap. de subst. dicit, album solam qualitatem significare, & cap. de denominativis, dicit, denominativa solum càsu differre à formis, à quibus sumunt denominationes, hoc est (ut docet Scotus in 2. dist. 12. qu. 1. §. *Ad argumentum Vers. Dico igitur*, lit. H.) quod denominativum cadit supra subiectum;

non verò forma denominans in abstracto; ergo concretum primò, & in recto significat formam, non verò subjectum. Patet consequentia, quia aliàs non solum casu, & in modo significandi, sed etiam re ipsa differunt denominativa à formis denominantibus.

7 Probatur secundò ratione de concretis accidentalibus, quia si primò, & per se significarent subjectum, unum album, ut album distingueretur specie ab alio albo, ut albo, quod nequit admitti. Patet assumptum, quia unum concretum album potest esse homo, & aliud equus; sed homo, & equus distinguuntur specie; ergo si concretum significaret primò, & per se subjectum, unum album, ut album distingueretur specie ab alio albo, ut albo. Patet consequentia, quia tunc aliqua specie distinguuntur, quando id, quod primò, & per se dicunt, specie distinguitur.

8 Confirmatur primò: hæc propositio; *Petrus est albus* est accidentalis, & in materia contingenti, ergo per se significatum prædicari, est id, quod ita convenit subjecto, quod possit ei adesse, & ab illo abesse: sed hoc tantum est forma albedinis, ut patet, ergo forma albedinis est primò, & per se significatum hujus concreti *album*, Confirmatur secundò; quia si concretum primò & per se significaret subjectum, ista propositiones: *Lignum est album*; *lignum est quantum*, &c. essent nugatoriæ; nam facerent hunc sensum; *Lignum est, lignum habens albedinem, & quantitatem*, quod est nugatio, nam idem ponitur pro subjecto, ac pro prædicato. Aliqua ex dictis possunt suo modo applicari concretis substantialibus.

9 Probatur tamen specialiter de concretis substantialibus; quia concretum substantiale, v. g. *homo* ponitur in prædicamento substantiæ, tanquam species; sed in prædicamento non ponitur suppositum tanquam species; quia species

est

est communicabilis, suppositum verò incommunicabile: ergo concretum substantiale non dicit in recto suppositum, sed formam. Hæc ratio potest etiam applicari concreto accidentali; nam ponitur in prædicamento accidentis, in quo non ponitur subjectum, quia sæpè est substantia.

10 Arguunt contra: hæc propositio: *Album est dulce* est vera; hæc autem, *albedo est dulcedo* est falsa: sed ratio hujus est, quia prima dicit subjectum, non verò secunda: ergo concretum primò, & per se dicit subjectum. Resp. disting. min ratio est, quia prima dicit subjectum, non verò secunda primò, & per se, nego; connotativè, concedo, & nego conseq. Etenim prima propositio est vera; quia facit hunc sensum: *Albedo, & dulcedo habent idem subiectum*; scilicet, lac, & sic dicit subjectum de connotato, secunda autem propositio est falsa, quia nullatenus albedo, & dulcedo dicunt subjectum.

11 Replic. concreta communiter explicantur, per *habens* album enim est habens albedinem: sed habens albedinem est subjectum: ergo cōcreta primò, & per se dicuntur subiectum. Ad hanc replicam respondet Scotus citatus num. 5. his verbis: *Ad probationem per Damascenum dico*, (Damascenus enim hoc modo explicat concretum, ut videre est apud Scotum) *quòd descriptio sua est quadam explicatio nominis; non autem expressio per se significati; quia nomen concretum de per se significato, non importat hoc, quod est habens, sive habere, sed tantum de modo significandi, in quo distinguitur ab abstracto; solum enim concretum importat ipsam formam, quia album solam qualitatem significat, unde importat hoc, quod est habens, quia concernit suppositum habens suum significatum; tamen idem significat concretum, & abstractum, licet modus significandi sit alius*. Hæc Scotus, ex quo in forma distinguenda est

major, est enim vera de explicatione nominis, non autem de expressione per se significati.

12 Quia tamen diximus, hanc quæstionem esse grammaticalem, omne enim supponunt, concretum duo dicere, scilicet, formam pro formali, & subjectum pro materiali, ne ergo contentio fiat de nomine, advertendum est, concretum dupliciter posse sumi, scilicet, adjectivè, ut quando forma comparatur ad subjectum, & in hoc sensu dicit in recto formam, & subjectum in obliquo, & substantivè, ut quando subjectum comparatur ad formam, & in hoc sensu significat in recto subjectum, & formam in obliquo, cuius ratio est, quia subiiectum habet modum per se stantis, & forma modum alteri adiacentis, unde benè explicatur concretum sumptum adiectivè, hoc modo, *est forma concernens subiectum*, & substantivè, hoc modo: *est subiectum habens formam*. Cùm qua distinctione facilè respondetur ad quælibet argumenta. Semper tamen observandum est, quòd hoc præcisè intelligitur quantum ad explicationem grammaticalem; nam secundum se, concretum utrumque in re significat, scilicet, formam, & subiectum, sed foramam pro formali, & per se, subiectum verò tantum pro materiali.

QUÆSTIO III.

Quibus terminis fiat prædicatio?

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est, qnòd ad prædicationem requiritur, quòd prædicatum habeat cum subiecto aliquam connexionem, alias propositio esset falsa, & similiter, quòd prædicatum explicetur diverso termino, ac subiectum, & diverso conceptu, alias propositio esse nugatoria. Deinde ad prædica-

dicationem formalem in speciali requiritur, quod prædicatum sit formaliter in subiecto, vel tanquam ratio formalis illius, vel tanquam forma illud afficiens, & quod significetur, ut concernens subiectum. Ad prædicationem vero identicam solum requiritur identitas subiecti cum prædicato, quod non debet intelligi de identitate stricta, sed vel de illa, vel de identitate subiecti, quę solet dici identitas per unionem, & consistit in hoc, quod subiectum, & prædicatum aliquomodo uniantur in eodem subiecto. Hoc notato, prædicatio, vel fit in terminis concretis, vel abstractis primæ, vel secundæ intentionis. Nunc.

2 Dicimus primò: si prædicatum, & subiectum sumantur in concreto, primæ intentiones universales cuiuscumque prædicabilis, prædicantur de primis intentionibus inferioribus prędicatione formali. Unde istæ prædicationes sunt veræ: *Homo est animal*; *Petrus est homo*; *Petrus est rationalis*; *Petrus est risibilis*; *Petrus est albus*. Ratio est, quia in his prædicationibus, & aliis similibus prædicatum est formaliter in subiecto, & significatur, ut concernens subiectum, quod requiritur ad prædicationem formalem.

3 Dicimus secundò: quodlibet concretum prædicatur de alio prædicatione identica, quando subiectum, vel suppositum est idem in utroque, unde istæ prædicationes sunt veræ: *album est dulce*, loquendo de lacte, quia est idem subjectum utriusque: *Deus est homo*, loquendo de Christo; quia utriusque est idem suppositum. Ratio est, quia ad prædicationem identicam sufficit, quod subiectum, & prædicatum aliquomodo uniantur in eodem subiecto. Ubi advertendum est, quod hæc prædicatio: *album est dulce*, etiam est formalis, si subiectum illius non sumatur pro forma, sed pro subjecto habente illam; nam tunc prædicatum est

forma in subiecto, & significantur, ut concernens illud.

4 Dicimus tertiò: si subiectum, & prædicatum sumantur in abstracto, non ultima abstractione possunt prædicari in primis intentionibus superiora de inferioribus prædicatione formali; unde istæ prædicationes sunt veræ: *Albedo est color: hæc albedo est albedo*. Ratio est, quia quæ non sunt abstracta ultima abstractione; licet non connotent subiectum, connotant sua inferiora,& sic prędicatum est formaliter in subiecto, & significatur, ut concernens subiectum. Diximus, *non ultima abstractione*, quia si subiectum, & prædicatum sumantur ultima abstractione, non valet prædicatio formalis; quia tunc prædicatum nullatenus significatur, ut concernens subiectum.

5 Dicimus quartò, si subiectum, & prædicatum sumantur ultima abstractione in primis intentionibus, non valet prædicatio identica, nisi extrema sint idem formaliter. Hanc conclusionem tenet Scotus in 1. dist. 8. q.4. §. Ad argumentum. Ratio est, quia concipiendo abstractum ultima abstractione, concipitur quidditas rei sine habitudine ad quodcumque, quod est extra propriam rationem quidditatis: ergo solum poterit habere identitatē cum illo, quod est unum formaliter cum ipso in essentia, & quidditate, unde infert Scotus, quod hæc propositio: *Animalitas est rationalitas*, est falsa, quia extrema illius sumuntur ultima abstractione, & non sunt idem formaliter. Ex quo etiam infertur, quod hæc prædicatio: *Humanitas est animalitas, & rationalitas*, est vera, quia licet extrema sumantur ultima abstractione, tamen unum est de essentia, & quidditate alterius, nam humanitas quidditativè, & essentialiter nihil aliud est, quam animalitas, & rationalitat.

6 Controvertitur autem inter Scotistas, an

istæ

istæ propositiones sint veræ in sensu identico; *Humanitas est animalitas; humanitas est rationalitas*; Sunt qui dicunt, non esse veras, eo quòd prædicatum, & subjectum non sunt idem formaliter adæquatè, tamen communior Scotistarum consensus tenet, esse veras, licèt non sit inter extrema illarum identitas formalis adæquata; quia Scotus supra citatus solum dicit, quod abstracta ultima abstractione nequeunt prædicari prædicatione identica, nisi sint idem formaliter, quin loquatur de adæquata, vel inadæquata identitate. Ne autem contentio fiat de nomine, dicendum est prædictas propositiones esse veras in sensu identico, non absolutè, sed cum addito, *inadæquatè*; non ita quòd inadæquatio appellet supra veritatem; nam vel non datur veritas, vel est veritas; adæquata; quia consistit in indivisibili; sed ita quod inadæquatio appellet supra identitatem formalem extremorum, quæ est fundamentum veritatis prædictarum prædicationum in sensu identico.

7 Ab hac conclusione excipiuntur ab Scoto extrema formaliter infinita, in quibus valet prædicatio in sensu identico, adhuc in ultima abstractione sumpta, licet non sint idem formaliter, unde istæ prædicationes, sunt veræ in Divinis; *Sapientia est bonitas*: *Essentia est paternitas*. Ratio est, quia cùm prædicta extrema non identificentur ratione alicujus tertii; sed ratione infinitatis; quàm præseferunt in quocumque statu considerentur, hinc est, quòd licet sint abstracta ultima abstractione, possunt ad invicem prædicari, cum adhuc, ut sic retineant rationem identificationis, quæ est fundamentum veritatis prædicationis identicæ. Ex quo sequitur, quod hæc prædicatio non est vera in Divinis; *Paternitas est spiratio activa*, quia nullum extremum illius est formaliter infinitum, de quo latè agitur in Theologia.

8 Ab aliquibus etiam excipiuntur ab hac conclusione prædicata transcendentia, tamen si transcendentia benè comprehendantur, non debent excipi. Pro quorum intelligentia notandum est, quod aliqua sunt transcendentia essentialia, & solent explicari his nominibus; *Quidditas, entitas, essentia*, quæ prædicata formaliter includuntur in qualibet entitate, & sic istæ prædicationes sunt veræ; *Humanitas est entitas, Humanitas est quidditas*, &c. Alia sunt transcendentia extra essentialia, quæ his nominibus solent explicari, *unitas, bonitas, veritas*, quæ non sunt idem formaliter cum qualibet entitate, & sic non prædicantur de abstractis ultima abstractione identicè, unde istæ prædicationes non sunt veræ; *Humanitas est unitas, humanitas est bonitas*, &c. Similiter dicendum est de ipsis prædicatis transcendentalibus inter se comparatis; nam prima prædicata possunt ad invicem prædicari quia unum in re est formaliter aliud, unde hæc est vera; *quidditas est entitas*, & aliæ similes in sensu identico; Secunda verò prædicata nequeunt ad invicem prędicari, quia non se includunt formaliter, unde hæc est falsa; *unitas est bonitas*, & aliæ similes in sensu identico, & propter eandem rationem, neque prima prædicata de secundis, neque secunda de primis possunt prædicari, unde istæ prædicationes; *entitas est veritas, veritas est entitas*, & aliæ similes non sunt veræ in sensu identico. Hoc amplius patebit loquendo de transcendentia entis. Unde manet firma nostra conclusio, scilicet, quod in abstractis ultima abstractione, non valet prædicatio identica, nisi extrema sint idem formaliter.

9 Dicimus quinto: neque abstractum de proprio concreto, neque concretum de proprio abstracto potest prædicari prædicatione formali. Ratio est, quia concretum non est prædicatum, quod sit formaliter in abstra-

cto, neque abstractum est prædicatum significatum, ut concernens subiectum; unde istæ prædicationes sunt falsæ: *homo est humanitas: humanitas est homo*.

10 Diximus, concretum non prædicari de proprio abstracto; quia de abstracto non proprio pluries prædicatur in sensu formali; unde istæ prædicationes sunt veræ: *albedo est similis: quantitas est æqualis*: quia in illis prædicatum est formaliter in subiecto, & significatur, ut concernens subiectum.

11 Ab hac conclusione excipitur quantitas, de qua prædicatur proprium concretum prædicatione formali: unde hæc propositio est vera in sensu formali: *quantitas est quanta*. Pro hac exceptione citatur Scotus quæst. 17. Prædicamental. Et ratio est, quia quantitas, non solum est forma, qua alia denominantur quanta; sed etiam ipsa est subiectum extensionis, & sic non solum dicitur quanta, id est forma, qua alia extensa dicuntur; sed etiam dicitur quanta, id est, habens in se extensionem; vel aliis terminis, non solum est quantitas, *ut quo*, sed etiam quanta, *ut quod*, in quo differt ab aliis abstractis, quibus solum convenit sua ratio, *ut quo*; albedo enim solum est albedo, *ut quo*, non tamen alba, *ut quod*. Etiam excipiuntur ab hac conclusione transcendentia; nam in illis concretum prædicatur de proprio abstracto; unde hæc est vera: *Entitas est ens*, quia propter suam transcendentiam sunt nomina synonyma, & sic prædicatum est formaliter in subiecto, & deinde, significatur, ut concernens subiectum; propter defectum huius ultimi, non valet è contra prædicatio in sensu formali; unde hæc est falsa: *Ens est entitas*.

12 Aliqui autem dicunt, quod quantitas non excipitur a conclusione, quod rectè potest teneri, si notetur, ut ipsi subtiliter notant, quod quantitas potest dupliciter sumi. Primo, pro ac-

accidenti absoluto de prædicamento quantitatis. Secundo, pro extensione in ordine ad locum, quæ consequitur tale accidens. Similiter quantum potest dupliciter sumi. Primò, pro habente quantitatem in primo sensu. Secundo, pro habente quantitatem in secundo sensu: unde quantitas in primo sensu est abstractum quanti etiam in primo sensu, & sic quantum nequit prædicari de quantitate; nam hæc propositio: *Quantitas est quanta*, faceret hunc sensum: *Quantitas, quæ est accidens absolutum, est habens quantitatum, quæ est accidens absolutum*; quod est falsum, nam nihil potest dici habere se ipsum: quantitas vero in secundo sensu, est abstractum quanti etiam in secundo sensu, & sic nequit prædicari quantum de quantitate, propter eandem rationem; at vero quantum in secundo sensu potest prædicari de quantitate in primo sensu, nam ut sic hæc propositio, *Quantitas est quanta*, faceret hunc sensum: *Quantitas, quæ est accidens absolutum, est extensa, seu habet extensionem in ordine ad locum*, quod verum est, sed in tali casu non prædicatur concretum de proprio abstracto, ut patet ex dictis.

13 Dicimus sexto: concretum potest prædicari de proprio abstracto, & e contra in Divinis, prædicatione identica, propter eandem rationem, qua in Divinis prædicantur identicè abstracta ultima abstractione; unde istæ propositiones sunt veræ: *Deus est Deitas*; *Deitas est Deus*, & aliæ similes. Aliqui extendunt hanc conclusionem ad prædicata transcendentia, eo quod ut supra diximus, concretum, & abstractum in transcendentibus sunt prædicata synonyma. Alii etiam extendunt hanc conclusionem ad omnia abstracta, quæ sunt de ratione formali concretorum; unde istæ propositiones sunt veræ in sensu identico: *Homo est humanitas*; *risibile est risibilitas*, & aliæ similes.

Di-

14 Dicimus septimò: secundæ intentiones in concreto prædicantur de primis intentionibus etiam in concreto, ita ut secundæ intentiones prædicentur de naturis, quas denominant, unde istæ prædicationes sun veræ: *Animal est genus*; *homo est species*, & aliæ similes, quod debet intelligi prædicatione formali; quia secundæ intentiones in concreto, & sunt formæ in subiectis, & significantur, ut concernentes subiecta. Ubi advertendum est, quod quando prædicantur secundæ intentiones, tunc primæ intentiones supponuntur suppositione simplici unde quòd prædicatur de superiori, nequit de inferioribus prædicari, & sic licet hæc sit vera: *Homo est species*, hæc tamen est falsa: *Petrus est species*.

15 Dicimus octavo: primæ intentiones in concreto non prædicantur prædicatione formali de secúndis etiam in concreto; quia neque primæ intentiones sunt formaliter in secundis, neque significantur, ut concernentes illas, unde istæ propositiones sunt falsæ: *Genus est animal*; *species est homo*, & aliæ similes. Ubi advertendum est, quod nullo alio modo possunt prædicari secundæ intentiones de primis, neque è converso, sive sumantur in abstracto, sive in concreto; quia semper deficit aliqua ex conditionibus ad veram prædicationem requisitis, ut patebit per singulas scrutanti.

16 Pro prædicationibus secundarum intentionum inter se, nihil novum se offert; sed semper attendendum est ad modum, quo inter se prædicantur primæ intentiones, qui suo ordine debet servari, & cum eisdem regulis in secundis intentionibus.

DISP. IV.

De Universali Logico.

HUcusque locuti sumus de Universali pro materiali, seu metaphysicè sumpto, & de prædicationibus; quæ valdè conducunt ad intelligentiam universalis pro formali, seu Logicè sumpti, de quo in præsenti est sermo.

QUÆSTIO I.

In quo consistat ratio formalis universalis Logici?

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est quod universale Logicum, non datur à parte rei, sed convenit naturis per operationem intellectus; unde, non benè citatur Scotus ab aliquibus asserentibus, Scotum ponere a parte rei, & independenter a consideratione intellectus universale formale; nam loco, quo citari solet, neque unicum verbum habet: ex quo possit deduci, hanc esse mentem ipsius, imo oppositum aperte docet, & solum adstruit à parte rei communitatem naturæ per indifferentiam negativam modo a nobis dicto disp. 1. quod, ut videatis, accipite eius verba in 2. dist. 3. quæst. 1. §. *Ad quæstionem, vers. ad primum dico,* litt. H. ubi dicit: *Universale in actu est illud, quod habet unitatem indifferentem, secundum quam, ipsum idem est in potentia proxima, ut dicatur de quolibet supposito, quia 1. Post. universale est, quod est unum in multis, & de multis; nihil enim secundum quamlibet unitatem in re est tale, quod secundum ipsam unitatem præcisam sit in potentia proxima ad quodlibet suppositum, ut dicatur de quolibet supposito prædicatione dicente; hoc est hoc; quia licet alicui existenti in re.*

re, non repugnet esse in alia singularitate ab illa in qua est, non tamen illud verè dici potest de quolibet inferriori, quòd quodlibet est ipsum, hoc est enim solùm possibile de obiecto eodem indifferenti actu considerato ab intellectu. Hæc Scotus, quo nihil clarius ad negandam universalitatem formalem à parte rei. Hoc notato.

2 Tripliciter describitur universale ab Aristotel. nam lib. 1. de interpretatione cap. 5. illud per aptitudinem prædicandi de multis, his verbis explicat: *Dico autem universale, quod de pluribus prædicari natum est* Et 7. Met; tex. 45. illud per aptitudinem ad essendum in pluribus his verbis describit: *Vniversale est, quod pluribus aptum est inesse*. Et 1. Post. cap. 18. illud per actualem inhæsionem in multis, & prædicationem, seu prædicabilitatem de illis, his verbis declarat: *Vniversale est unum in multis & de multis*. Ex his descriptionibus universalis orta est divisio inter Authores, in quo ratio formalis universalis Logici constituenda sit?

3 Aliqui enim dicunt; universale formaliter constitui in aptitudine ad essendum in multis, prædicabilitatem verò de illis esse passionem universalis. Sic communiter Thomistæ. Alii verò per oppositum asserunt, prædicabilitatem de multis esse rationem fomalem constitutivam universalis; aptitudinem verò ad essendum in multis esse propriam passionem illius. Sic Merin. cap. 1. de universal. disput. 2. quæst. 2. apud quem possunt videri plures Authores pro aliis sententiis; Alii autem dicunt, non aptitudinem, ad essendum in multis, sed esse in multis actu per inexistentiam, esse rationem formalem constitutivam universalis: ex quo tamquam propria passio sequitur aptitudo prædicandi de pluribus. Sic Mastrius disputat. 4. de universal. quæst. 2. artic. 3. in qua quæstione adducit aliquos Authores, tam pro-

hac

hac sententia, quàm pro aliis. Alii verò asserunt, prædictam inexistentiam in pluribus, & prædicabilitatem de illis esse eandemmet formalitatem, & rationem constitutivam universalis. Alii autem aptitudinem ad essendum in pluribus, & aptitudinem ad prædicari de illis, adstruunt esse eandem formalitatem, & constitutivuum formale universalis. Alii denique in actuali prædicatione de pluribus, inquiunt, rationem formalem universalis consistere. Unde juxta prædictos modos dicendi, aliqui unam ex supradictis definitionibus universalis, dicunt, esse quidditativam; alii verò alteram, & similiter, unam vel alteram esse descriptivam. Ex Scoto autem non facilè deducitur, in quo ratio formalis universalis ponenda sit, nam locis, quibus ab Scotistis solet citari, tantum adducit unam, vel alteram ex prædictis definitionibus, quin determinet, an aliqua ex illis sit essentialis, vel descriptiva: nam qualiscumque illa sit, sufficit ad intentum Scoti. Nos autem claritatis gratia, & ab Scoti via nullatenus deficientes, quid videatur tenendum per sequentes conclusiones proponemus.

4 Dicimus primò: ratio formalis universalis Logici non consistit in actuali prædicatione. Hæc conclusio est contra ultimum modum dicendi. Probatur, quia nequit assignari aliqua prædicatio actualis, quæ sit prædicatio unius de pluribus: ergo ratio formalis universalis, nequit constitui per actualem prædicationem. Prob. antec. Quia prædicatio actualis, vel fit hoc modo, v. g. *Petrus, & Ioannes, &c. sunt homines*: in qua prædicatione non unum de pluribus, sed plura de pluribus prædicantur; vel hoc modo: *Petrus est homo*, in qua non unum de pluribus: sed unum de uno tantum prædicatur, vel hoc modo: *Petrus est homo*: *Ioannes est homo*, &c. in quibus licet unum de pluribus prædicetur; non tamen unica, sed pluribus prędi-

dicationibus, quarum nulla potest esse ratio constitutiva universalis, cùm sit prædicatio unius de uno; ergo nequit assignari aliqua prædicatio actualis, quæ sit unius de pluribus, & consequenter ratio formalis universalis non est ponenda in actuali prædicatione. Hæc conclusio ex pluribus dicendis potest corroborari, & præcipuè ex conclusione sequenti.

4 Dicimus secundo, ratio formalis universalis Logici non consistit in actualiter esse in pluribus per intellectum. Hæc conclusio est contra tertium modum dicendi, & ex consequenti contra quartum. Probatur; quia universale debet esse unum plura respiciens; sed in actuali inhæsione naturæ in pluribus non datur unum plura respiciens; ergo nequit consistere ratio formalis universalis in actuali inhæsione, seu inclusione in pluribus per intellectum. Probatur minor; quia cùm natura apprehenditur inclusa in pluribus; nequit apprehendi ut una, sed ut plures; ergo in actuali inhæsione, seu inclusione naturæ in pluribus non datur unum plura respiciens. Probatur antec. Quia dum consideratur natura inclusa in pluribus, consideratur pluribus applicata, sed dum consideratur pluribus applicata, nequit considerari ut una, sed ut plures inter distinctæ; ergo dum consideratur inclusa in pluribus, nequit considerari ut una, sed ut plures inter se distinctæ. Probatur minor, quia dum consideratur natura pluribus applicata, consideratur ut conjuncta cum differentiis individualibus; sed ut conjuncta cum differentiis individualibus, non est una, sed plures realiter distinctæ, ergo dum consideratur pluribus applicata, nequit considerari ut una, sed ut plures realiter distinctæ. Minor patet à paritate, nam natura à parte rei ex eo, non est una, sed plures realiter distinctæ, & consequenter neque universalis; quæ est conjuncta cum differentiis indivi-

dua-

dualibus ipsam realiter distinguentibus, ut dictum est loquendo de unitate formali, & est communior Scotistarum consensus; ergo similiter, ut coniuncta cum differentiis individualibus per intellectum, nequit apprehendi, ut una sed ut plures realiter distinctæ, eo vel maximè, quòd differentiæ in individuales quomodocumque sumantur, semper sunt rationes distinguendi naturam realiter.

6 Confirmatur; quia secundùm Scotum citatum in initio quæstionis, ratio universalis secum fert indifferentiam naturæ; sed natura considerata, ut actu inexistens pluribus, non habet secum talem indifferentiam; ergo considerata, ut pluribus inexistens, non habet rationem universalitatis. Probatur minor; quia indifferentia, quam habet natura universalis, opponitur determinationi ipsius naturæ: sed natura considerata, ut actu pluribus inexistens, consideratur ut determinata: ergo natura considerata, ut actu pluribus inexistens, non habet secum talem indifferentiam. Probatur minor; quia natura considerata pluribus actu inexistens, consideratur coniuncta singularitatibus: sed hæc coniunctio est determinatio opposita prædictæ indifferentiæ: ergo ut consideretur pluribus actu inexistens, consideratur, ut determinata, & consequenter, ut sic non dicit rationem formalem universalis.

7 Arguunt contra; nequit aliquid prædicari de aliquo, seu esse prædicabile de illo; quin prius sit, seu apprehendatur in illo; sed natura universalis est prædicabilis de pluribus, ergo prius est, seu apprehenditur in illis, & consequenter, quòd natura consideretur in pluribus per inexistentiam, est ratio constitutiva universalis. Et confirmant, quia Arist. supra citatus definit universale per actualiter esse in pluribus, quam definitionem admittit Scotus etiam supra citatus. Respond. concesso primo syllo-
gis-

gismo, negando ultimam consequentiam ex illo deductam; minimè enim sequitur ex eo quod ad prædicabilitatem requiratur apprehensio naturæ in illo, de quo prædicatur, quod ipsa apprehensio naturæ in pluribus sit ratio formalis constitutiva universalis, quod ex dicendis constabit. Ad confirmationem resp. iuxta commune proloquium, quod verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem; unde licet Arist. definierit universale per esse in pluribus, non debet intelligi per actualem inexistentiam in illis, sed tantum per aptitudinem ad existendum in illis per intellectum.

8 Dicimus tertiò; ratio formalis, seu essentia universalis Logici consistit in aptitudine ad essendum in pluribus seu in aptitudine ad prædicari de pluribus, ita ut utraque aptitudo sit eademmet formalitas, & ratio constitutiva universalis. Hæc conclusio est juxta quartum modum dicendi, & immediatè contra primum, & secundum, quorum quilibet ponit unam ex prædictis aptitudinibus pro essentia universalis, & alteram pro passione, seu proprietate; tenent tamen eam plures Scotistæ, non parvi momenti, in manuscriptis, habet etiam fundamentum in Scoto; ut patebit in probatione, licet quæst. 6. universal. videatur distinguere hanc duplicem aptitudinem, sed ibi nullatenus determinat essentiam universalis, sed tantum videtur conformari cum aliis sententiis, abstrahendo à determinatione.

9 Probatur igitur conclusio, quia secundum Scotum, illa sunt idem formaliter, quorum unum nequit concipi sine alio; sed aptitudo ad essendum in multis per intellectum, & prædicabilitas, seu aptitudo ad prædicari de illis, ita confunduntur unico conceptu, ut nequeat una sine altera perfectè concipi; ergo utraque aptitudo est idem formaliter. Prob. min. quia aptitudo ad essendum in multis per intellectũ nihil aliud

est,

est, quam quod natura possit per intellectum poni in illis pluribus, tanquam in inferioribus: sed prædicabilitas, seu aptitudo ad prædicari de pluribus nihil aliud est, quam quod natura possit poni in pluribus per intellectum: ergo utraque aptitudo, ita est eadem, ut nequeat una sine altera concipi. Prob. min. & roboratur tota ratio; quia unicus actus est unius, & unicæ potentiæ: sed prædicatio actualis ponit naturam in pluribus, eo modo, quo ponibilis est: ergo prædicabilitas, quæ est potentia, cui correspondent actus prædicationis actualis, est potentia correspondens actui, quo natura ponitur in pluribus, eo modo, quo ponibilis est: sed aptitudo ad essendum in pluribus per intellectum est potentia correspondens actui, quo natura ponitur in pluribus, eo modo, quo ponibilis est: ego aptitudo ad essendum in pluribus per intellectum, & prædicabilitas, seu aptitudo ad prædicari de illis est eademmet formaliter aptitudo; sed in aliqua illarum ponitur communiter ratio formalis universalis; ergo talis ratio formalis universalis in utraque aptitudine, tanquam in eadem formalitate debet constitui.

10 Ut autem nostra conclusio, & illius ratio rectè percipiatur, advertendum est, quod universale, seu natura universalis neque est, neque concipitur apta ad essendum in pluribus per inhæsionem realem, sed tantum per intellectum, & hoc non ita, quod possit esse in pluribus per intellectum sine aliqua sui divisione, imò necessariò est ponibilis in pluribus per intellectum cum sui divisione, ad differentiam essentiæ Divinæ, quæ est verè, & realiter in pluribus, scilicet, in tribus Divinis Personis, sine aliqua sui divisione, propter quod omnes fatentur, non esse naturam universalem; itaque natura universalis nihil aliud est, quam quædam natura concepta ab intellectu, ut quid

ſuperius, & ſub ſe plura reſpiciens, in quæ poteſt per intellectum dividi, quæ diviſio nihil aliud eſt, quam quod natura prædicetur de illis dicendo, v. gr. *Petrus eſt homo*; *Joannes eſt homo*; &c. quod clarè deducitur ex Scoto citato in initio quæſtionis, ubi explicat naturam univerſalis.

11 Quæ explicatio deducitur à ſimili de idea Platonis qui ponebat naturam communem ſeparatam à ſingularibus, & ab ipſis realiter cum ſui diviſione participabilem, quæ quidem natura, ſi ita à parte rei daretur, à parte rei eſſet univerſalis; hoc igitur modo apprehenditur natura ab intellectu, non in ſingularibus incluſa, ſed à ſingularibus abſtracta, ipſa tamen ſingularia ſub ſe reſpiciens, & ab ipſis per intellectum cum ſui diviſione participabilis; & ſicut natura in ſenſu platonico participaretur ab inferioribus per propagationem, ita natura univerſalis in noſtro ſenſu participatur ab inferioribus per prædicationem intellectus; unde idem eſt poni in pluribus per intellectum, ac prædicari de illis, & conſequenter eadem eſt potentia, ſeu aptitudo ad eſſendum in pluribus per intellectum, ſeu ad hoc, ut ponatur, ſeu participetur ab illis per intellectum, ac prædicabilitas, ſeu aptitudo ad prædicari de illis.

12 Cùm tamen natura fiat univerſalis per intellectum, non chimœricè, ſed cum fundamento in re, neceſſariò ut natura, v.g. humana, quæ fit univerſalis, participetur per intellectum, ſeu prædicetur de Petro & Paulo, &c. non autem de individuis alterius ſpeciei, præſupponitur cognitio individuorum in re habentium rationem formalem humanitatis, quæ cognitio eſt ſimplex apprehenſio, quæ requiritur ad hoc; quod intellectus poſſit prædicare naturam univerſalem de ſuis inferioribus, non autem requiritur ſimplex apprehenſio cognoſcens ip-

ipsam naturam universalem abstractam à singularibus, inclusam in illis, nam ut sic non esset universalis, seu una participabilis de pluribus, sed actu participata, & plurificata, cùm participetur ab illis cum sui divisione. Quod valdè observa, & facilè nostras conclusiones comprehendes, & plura argumenta præcipuè argumentum factum contra secundam conclusionem, num. 7. solves.

13 Pro primo modo dicendi arguunt; illud est essentia alicujus, quod convenit illi primò, & per se; quod autem convenit illi per se secundò, & ratione prioris, est propria illius passio: sed aptitudo ad essendum in pluribus per intellectum primò, & per se convenit universali; prædicabilitas autem, seu aptitudo ad prædicari convenit illi per se secundò, & ratione aptitudinis ad essendum: ergo aptitudo ad essendum in pluribus est essentia universalis; aptitudo verò ad prædicari est propria passio: Prob. min. quia hæc est vera causalis: *Quia universale est aptum esse in pluribus, ideò est aptum prædicari de illis*: sed causa est naturaliter prior suo effectu: ergo aptitudo ad essendum in multis est, quòd primò convenit universali; aptitudo verò ad prædicari de illis convenit secundò, & ratione aptitudinis ad essendum. Resp. neg. min. & distinguendo mai. probationis; Est enim vera in sensu formali; falsa autem in sensu causali. Etenim hæc propositio; *Quia natura est apta inesse pluribus per intellectum, est apta prædicari de illis*, si intelligatur, ita quòd una aptitudo sit causa alterius (sicut hæc propositio; *Quia homo est rationalis, est risibilis*, intelligitur, ita ut rationalitas sit causa risibilitatis) est falsa; si autem intelligatur, ita ut eadem sit utraque aptitudo, licet diverso nomine significata (sicut hæc propositio, *Quia homo est animal, est vivens sensibile*, intelligitur, ita ut animal est vivens sensibile formaliter, licet

cet diverso nomine significetur) est vera,& concessa minori, neg.conseq.

14 Pro secundo modo dicendi arguunt similiter ponendo prædicabilitatem, seu aptitudinem ad prædicari de pluribus pro essentia universalis, & aptitudinem ad essendum in illis pro passione, seu proprietate illius, cum hac causali: *Quia natura est apta prædicari de pluribus, est apta ad essendum in illis.* Sed resp. sicut ad præcedens argumentum.

15 Deinde arguunt ex Porphyrio, qui universalia definivit per prædicabilitatem, seu aptitudinem ad prædicari de pluribus. Et ex Scoto etiam declarante universale per prædicabilitatem, nam in 2. dist. 3. quæst. 1. §. *Sed contra,* litt. H. habet hæc verba: *Universale in actu est illud, quod habet unitatem indifferentem, secundum quam ipsum idem est in potentia proxima, ut dicatur de quolibet supposito*: ergo prædicabilitas, seu aptitudo ad prædicari de pluribus, est essentia universalis. Resp. concedendo totum, sed ex hoc nihil contra nos: nam argumentum solum probat, prædicabilitatem, seu aptitudinem ad prædicari de pluribus esse essentiam, seu rationem formalem constitutivam universalis, quod nos etiam asserimus: non tamen probat, prædictam aptitudinem ad prædicari de pluribus esse distinctam ab aptitudine ad essendum in pluribus per intellectum quod nos negamus, nam dicimus, utramque esse eamdem formaliter aptitudinem, & de essentia universalis, licet diverso nomine significetur Plura quæstionibus sequentibus dicenda, non parùm conducunt ad huius ampliorem intelligentiam.

QUÆSTIO II.

Per quam operationem intellectus fiat universale Logicum?

1 PRo intelligentia quæstionis supponitur tamquàm certum, universale logicum fieri ab intellectu, quia tamen intellectus plures actus habet, dubitatur, per quam operationem, & per quem actum ipse intellectus universale conficiat? Ad cuius resolutionem notandum est, quod juxta Arist. lib. de sensu, & sensato, nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu; unde in cognitione rerum hic ordo communiter assignatur a Philosophis; prius enim res, seu obiecta materialia, quæ pro hoc statu cognoscuntur, emittunt species in sensibus externis, & deinde transeunt prædictæ species ad quandam facultatem internam, quæ dicitur sensus communis, seu phantasia, & hucusque species sunt materiales.

2 Quia verò species materiales nequeunt recipi in intellectu, qui spiritualis est, assignatur communiter quædam spiritualis facultas, quæ dicitur intellectus agens, ut simul cum specie existente in phantasia, producat speciem intelligibilem, quæ est spiritualis: quæ quidem species intelligibilis recipitur in alia facultate spirituali, quæ dicitur intellectus possibilis, seu passibilis, qui simul cum specie intelligibili, producit intellectionem, & intelligit obiectum. Tam intellectus agens, dum producit speciem intelligibilem, natam repræsentare aliquam naturam, & non aliquod singulare; quam intellectus possibilis, dum intelligit talem naturam, nullo intellecto singulari, dicuntur abstrahere naturam a singularibus, & post prædictam abstractionem potest intellectus possibilis cognoscere naturam cum ordine ad inferiora, absque

eo

eo quòd affirmet esse in illis, qui actus intelligendi est proprius simplicis apprehensionis, & dicitur simplex comparatio; potest etiam ipse intellectus possibilis ipsam naturam cognoscere cum ordine ad inferiora, & affirmando, esse in illis, qui actus intelligendi est proprius judicii, & dicitur comparatio composita. Hinc ortum habent varii modi dicendi circa universalis Logici efficientiam.

3 Aliqui enim dicunt universale Logicum fieri per abstractionem intellectus agentis. Alii verò, per abstractionem intellectus possibilis. Alii autem, per simplicem comparationem. Alii denique, per comparationem compositam. Authores pro his sententiis possunt videri apud recentiores, præcipuè apud Mastrium disp. 3. de universal. quæst. 3. & apud Merin. cap. 1. de universal. disp. 2. quæst. 3. quid autem tenendum videatur, per sequentes conclusiones proponemus.

4 Dicimus primò: universale Logicum non fit per abstractionem intellectus agentis, seu per actum, quo simul cum phantasmate, seu specie impressa materiali producit speciem intelligibilem præsentativam naturæ, absque conditionibus individualibus. Hæc conclusio est communis contra aliquos oppositum tenentes, quam expressè tenet Scotus in 2. dist. 3. quæst. 1. §. *Sed contra, vers. Ex hoc apparet*, sub litt. H. his verbis: *Ex hoc apparet improbatio illius dicti, quòd intellectus agens facit universalitatem in rebus per hoc, quòd denudat ipsum, quod est in phantasmate existens*.

5 Probatur ratione; quia natura debet fieri universalis Logicè per actum cognoscitivum: sed actus abstractivus intellectus agentis non est cognoscitivus: ergo per talem actum non fit natura universalis Logicè. Prob. mai. Quia universale Logicum est unum aptum inesse pluribus, & prædicari de illis: sed quod non est co-

gnātium, nequit prędicari de pluribus: ergo natura nequit fieri universalis logicè nisi per actum cognoscitivum. Minor prim syllogismi patet; quia natura per abstractionem intellectus agentis tantum est virtualiter repræsentata, seu proxmè cognoscibilis, non verò actualiter repræsentata, & formaliter cognita; nam species impressa intelligibilis producta ab intellectu agente est tantum virtualis repræsentatio objecti, formalis verò præsentatio obiecti est species expressa, seu intellectio producta ab intellectu possibili: ergo actus abstractivus intellectus agētis non est formaliter cognoscitivus, & consequenter nō fit per illū natura universalis logicè.

6 Arguunt contra, hoc ipso, quòd natura sit denudata à conditionibus individualibus, est formaliter universalis: sed per abstractionem intellectus agentis est natura denudata à conditionibus individualibus: ergo fit universalis formaliter per talem abstractionem. Resp. neg. mai. Quia ad universalitatem formaliter non sufficit abstractio à conditionibus individualibus, sed etiam requiritur, quòd natura dicat positivum ordinem ad plura, ut superius ad inferiora, quod nullatenus habet per talem abstractionem intellectus agentis. Aliter respondent alii, & sufficit ad intentum (quæ responsio deducitur ex ratione conclusionis) dist. mai. natura fit universalis logicè per hoc, quòd denudetur à conditionibus individualibus, si denudetur repræsentatione formali, & expressa, admitto; si denudetur repræsentatione tantum virtuali, nego. Et similiter distinguitur minor; quia per abstractionē intellectus agentis, ut dictum est, tantum virtualiter repræsentatur natura denudata à conditionibus individualibus; formaliter verò per abstractionem intellectus possibilis. Admisimus autem majorem in sensus dicto; non tamen illā concessimus, quia ut infra patebit, non affirmamus, adhuc per abstractionem intellectus possi-
bi-

bilis, fieri naturam formaliter universalem logicè, sed tantum fundamentaliter proximè; prædicta autem distinctio videtur sufficere ad solutionem argumenti.

7 Dicimus secundò; universale Logicum non fit per abstractionem intellectus possibilis. Hæc conclusio est communior, tam inter Scotistas, quam Thomistas, licet aliqui ex illis oppositum tribuant, tam Angelico, quàm subtili Magistris, quid autem sit de Scoto, infra videbitur. Probatur primò; quia juxta communem consensum, universalitas logica consistit in relatione rationis unius ad plura; sed per abstractionem intellectus possibilis non dicit natura ordinem rationis ad plura; ergo per abstractionem intellectus possibilis non fit natura logicè universalis. Prob. min. Quia per abstractionem intellectus possibilis segregatur natura à pluribus; sed segregatio naturæ à pluribus non est ordo naturæ ad plura; ergo per abstractionem intellectus possibilis, non dicit natura ordinem rationis ad plura. Hæc ratio etiam probat conclusionem præcedentem.

8 Respondent aliqui neg. min. quia, inquiunt natura, licet per abstractionem intellectus possibilis segregatur à pluribus, non ex hoc sequitur, quod non dicat ordinem ad plura, imò requiritur talis segregatio à pluribus, ut ad illa talem ordinem dicat; nam inclusio naturæ in pluribus, cùm sit causa divisionis ipsius naturæ, est impedimentum, ut sit positivè communis pluribus, & ut dicat ordinem positivum ad plura. Quod sic explicant, ex dictis loquendo de unitate formali, & communitate naturæ; natura secundum se est una formaliter, & ratione talis unitatis est indifferens, seu dicit ordinem indifferentiæ ad plura, ita ut quantum est ex se, possit conjungi cum qualibet singularitate, licet ratione singularitatis, cum qua natura à parte rei identificatur, talis indifferentia nequeat reduci

ad actum, ideòque dicatur indifferentia negativa, cùm verò natura abstrahitur à singularibus, cùm secum ferat suam unitatem formalem, etiam secum fert talem indifferentiam, seu ordinem ad plura, & cùm per talem abstractionem auferatur impedimentum singularitatis, talis indifferentia potest reduci ad actum per intellectum, ita ut conjungatur natura cum qualibet singularitate. Ecce quomodo cum abstractione naturæ à pluribus componitur ordo ipsius naturæ ad plura per indifferentiam positivam, & consequenter quomodo natura per abstractionem constituatur formaliter universalis.

9 Sed contra est, quia admissa, tanquam vera, prædicta explicatione indifferentiæ naturæ ad plura, adhuc ex illa non sequitur, naturam fieri formaliter universalem per talem abstractionem; quod sic ostenditur, quia indifferentia, quam habet natura abstracta, est eadem quam habet natura contracta, licet non impedita, ut erat in statu coniunctionis cum singularitate; sed hæc indifferentia non sufficit ad rationem formalem universalis Logici; ergo natura non fit universalis Logicè per talem abstractionem. Prob. min. Quia talis indifferentia ita respicit plura, ut possit conjungi cum uno, vel alio divisivè; non tamen cum omnibus coniunctivè, sed ad rationem universalis Logici requiritur, quod natura possit participari ab omnibus inferioribus conjunctivè; ergo talis indifferentia, quam habet natura abstracta, non sufficit ad rationem formalem universalis Logici, & consequenter abstractio non tribuit naturę ordinem rationis, qui requiritur ad rationem formalem universalis Logici.

10 Et potest confirmari à simili de idea Platonis, quæ si à parte rei daretur, esset à parte rei universale formaliter, & ad cuius instar fit universale Logicum per intellectum, quia ideò natura à Platone ideata esset formaliter univer-

versalis, quia ita respiceret plura, ut ab omnibus simul esset participabilis, licet cum sui divisione; non tamen quia esset participabilis ab hoc, vel illo indifferenter, & divisivè: ergo ad hoc, ut fiat natura universalis per intellectum, debet per intellectum esse participabilis ab omnibus inferioribus simul, licet cum sui divisione, & non tantum ab hoc, vel illo divisivè, & indifferenter: sed hoc ultimum tantum habet natura per abstractionem intellectus possibilis; ergo per talem abstractionem non dicit ordinem positivum ad plura modo requisito ad universalitatem Logicam, & consequenter per talem abstractionem non fit natura universalis Logicè.

11 Probatur secundo conclusio; quæ juxta communiorem consensum, universale Logicum est relatio rationis, seu ens rationis: sed per abstractionem intellectus possibilis, non resultat talis relatio rationis; ergo per abstractionem intellectus possibilis, non fit universale Logicum. Prob. minor. Quia per abstractionem intellectus possibilis tantum consideratur natura secundum se, & sine singularibus; sed talis consideratio, non tribuit naturæ talem relationem rationis ad plura: ergo per abstractionem intellectus possibilis non resultat talis relatio rationis. Prob. min. Quia nequit concipi relatio, quin concipiantur extrema; sed extrema relationis rationis universalis est natura, & singularia: ergo per abstractionem, qua concipitur natura sine singularibus, non tribuitur naturæ talis relatio rationis ad plura.

12 Dices, verum esse, universale dicere relationem rationis: falsum tamen, talem relationem non resultare in natura per abstractionem intellectus possibilis, nam posita natura abstracta per intellectum, ponitur fundamentum proximum talis relationis, quo posito, resultat prædicta relatio, absque aliquo alio actu

intellectus. Sed contra est, quia est maxima differentia inter relationem realem, & relationem rationis; scilicet, quod relatio realis resultat posito fundamento proximo, absque aliquo alio actu terminato ad illam, relatio verò rationis, non resultat posito fundamento proximo, sed necessario requirit actum intellectus terminatum ad illam, distinctum ab actu, quo ponitur tale proximum fundamentum; unde licèt actus abstrahens naturam ponat fundamentum proximum relationis rationis universalitatis; tamen non resultat talis relatio, quin ab alio actu intellectus consideretur.

13 Patet assumptum ex ipsa natura entis, seu relationis rationis. Primò; quia relatio rationis nihil aliud est, quam considerare, quæ non referuntur, ut si referrentur: sed per abstractionem non consideratur natura, quæ non refertur ad plura, ut si referretur ad illa: ergo per abstractionem non resultat relatio rationis ad plura. Secundo, quia ex dictis, loquendo de ente rationis, ens rationis est, quod tantum habet esse objectivè in intellectu; ergo non datur relatio rationis universalitatis nisi per actum, quo cognoscitur, & habet esse objectivè in intellectu sed per abstractionem tãtum cognoscitur natura secundum se, & non aliqua relatio ad plura: ergo per talem abstractionem non datur in natura relatio rationis universalitatis.

14 Si autem dicas, universalitatem non esse ens rationis formaliter: nihil videtur magis voluntarium; quid enim potest esse quædam similitudo ideæ Platonicæ fabricata ab intellectu, nisi ens rationis? Quid enim minus est in rebus & magis ab intellectu fabricatur, quam natura una separata à singularibus, & tamquam quid superius ab omnibus, tamquam inferioribus, participabilis? Nulla enim videtur ratio, cur propria ratio entis rationis universali logico denegetur, & præcipuè, cum ferè ab omnibus Philoso-

losophis talis propria ratio entis rationis universali logico concedatur.

25 Arguunt primò aliqui Scotistæ ex aliquibus locis Scoti, & præcipuè loco citato num. 4. hujus quæstionis, ubi dicit, loquendo de universali; *Tantùm est in potentia proxima, ut est in intellectu possibili*, sed natura per abstractionem est in intellectu possibili; ergo per abstractionem est in potentia proxima, ut prædicatur de pluribus, de qua potentia loquitur Scotus; & consequenter per talem abstractionem fit natura formaliter universalis Logicè. Resp. negi utramque consequentiam; & ad Scotum dicimus, quòd ibi tantum intendit, quòd natura non fiat universalis per abstractionem intellectus agentis, sed per actum intellectus possibilis; non autem determinat per quem actum intellectus possibilis fiat, ut patebit litteram Scoti perscrutanti.

18 Deinde in eodem loco §. *Ad quæstionem*, vers. *Qualiter* litt. F. habet hæc verba: *Non solùm autem ipsa natura est de se indifferens ad esse in intellectu, & in particulari; ac per hoc ad esse universale, & singulare; sed & ipsa habens esse in intellectu non habet primò ex se universalitatem; licèt enim ipsa intelligatur sub universalitate, ut sub modo intelligendi ipsam; tamen universalitas non est pars conceptus ejus primi, quia non conceptus methaphysici, sed Logici., Logicus enim considerat secundas intentiones applicatas primis; prima ergo intellectio est natura, ut ei non cointelligitur aliquis modus, neque qui est eius in intellectu, neque qui est eius extra intellectum; licèt illius intellecti modus intelligendi sit universalitas, sed non modus intellectus*. Hæc Scotus.

17 Ex quibus verbis sic argumentantur contra nostram conclusionem; per primam intellectionem, qua concipitur natura secundùm se, non cointelligitur aliquis modus, neque qui

est ejus in intellectu, scilicet, universalitas, neque qui est ejus extra Intellectum, scilicet, singularitas: sed juxta verba Scoti modus intelligendi naturam, est universalitas: ergo per illam primam intellectionem fit natura formaliter universalis. Patet consequentia, quia nihil aliud est naturam fieri universalem, nisi quòd concipiatur modo universali: sed per illum actum, juxta Scotum, concipitur natura modo universali, siquidem modus cognoscendi illam est universalitas; ergo per illum actum fit formaliter universalis; sed talis actus est abstractio intellectus possibilis: ergo natura fit formaliter universalis per abstractionem intellectus possibilis.

18 Valdè prolixum esset omnia supradicta Scoti verba sigillatim exponere; pro illis potest videri noster Lichetus super Scotum citatum, ubi pulchram, & longè subtilem adducit doctrinam explicando prædictum locum; ex quo, & ex motivo subtilis *Doctoris* non difficilè deducitur quid sit respondendum. Igitur intentum Scoti est, quòd natura de primo suo conceptu, & de prima intentione non habet ex se universalitatem, sed est indifferens ad hoc, ut per intellectum universalitas illi applicetur, sicut ex se est indifferens ad singularitatem à parte rei, ita ut quomodocumque concipiatur natura secundum se, sive sit à parte rei sub modo singularitatis, sive sit in intellectu sub modo universalitatis, non dicit ex se, seu in cognitione secundùm se, universalitatem; unde Scoti verba potius videntur stare pro nobis, cùm dicat, quòd natura secundùm se concepta, non dicit universalitatem. Ex quo

19 In forma respondetur ad argumentum deductum ex prædictis verbis, disting. mun. Modus intelligendi naturam, est universalitas secundùm Scotum, ita ut semper, quod intelligitur natura secundùm se, intelligatur sub

mo-

modo universali, nego; ita ut natura, etiam ut est sub modo universali, possit intelligi secundùm se, non intellecto modo universali, seu universalitate, concedo; quod clarè denotant verba ipsius Scoti, nam dicit: *Licet illius intellecti modus intelligendi*, id est, modus sub quo est natura quando intelligitur, *sit universalitas*; unde negatur consequentia; cujus probationis disting. mai. Nihil aliud est, naturam fieri universalem, nisi quòd concipiatur modo universali; id est, quod concipiatur esse universalem; concedo; quia cùm ut dictum est, universale Logicum sit ens rationis, nihil aliud est fieri naturam universalem, quam concipere in illa universalitatem, nisi quod concipiatur modo universali, id est, quòd modus sub quo est, quando concipitur secundùm se, sit universalitas, nego; & in hoc secundo sensu loquitur Scotus; unde negatur consequentia.

20 Ut autem hoc clarius percipiatur, advertendum est, quòd sic contra nostram conclusionem arguentes, in æquivoco laborant, nam quando dicit Scotus: *Licet illius intellecti modus intelligendi sit universalitas*, per modum intelligendi, accipiunt illum actum intellectus, quo concipitur natura secundùm se, vel aliquid proveniens naturæ per talem actum; ideòque dicunt, per prædictum actum recipere universalitatem, quod quidem non sic debet intelligi, quia per modum intelligendi, accipit Scotus modum sub quod est natura, quæ secundum se intelligitur; qui modus, sive sit in re, ut est singularitas, sive sit per intellectum, ut est universalitas, non cointelligitur, quando secundùm se intelligitur natura, hoc tantùm dicit Scotus, non autem determinat ibi per quem actum intellectus tribuatur naturæ modus unversalitatis. Videatur ejus littera, & Lichetus citatus.

12 Arguunt secundò ratione; ablatio unius oppositi est positio alterius: sed universale, & singulare sunt opposita: ergo ablatio singularitatis est positio universalitatis: sed per abstractionem intellectus possibilis aufertur à natura singularitas: ergo ponitur in natura universalitas,& consequenter per abstractionem intellectus possibilis fit natura formaliter universalis. Resp.primò,distin.mai.si sint opposita ejusdem rationis,admittò; si sint opposita diversæ rationis, nego. Disting.etiam min. universale, & singulare sunt opposita; si utrumq; sumatur Logicè, vel metaphysicè, sunt opposita ejusdem rationis, concedo; si unum sumatur Logicè, & aliud metaphysicè, sunt opposita ejusdem rationis, nego. Similiter dist.conseq. ablatio singularitatis est positio universalitatis, in eadem linea, concedo; in diversa linea, nego. Disting. etiam min. subsumptam; per abstractionem intellectus possibilis aufertur à natura singularitas, metaphysicè, concedo; logicè, nego, & disting.consequens, per talem abstractionem ponitur in natura universalitas,metaphysicè, concedo;logicè, nego. Unde verum est ultim. conseq.loquendo de universali metaphysico;falsum autem loquendo de universali Logico.

22 Etenim, tam singulare quàm universale possunt dupliciter sumi,scilicet, Logicè, & Metaphysicè. Singulare metaphysicè est natura contracta per singularitatem, quæ est ultima formalitas metaphysica, & unversale metaphysicum illi correspondens, est natura secundum se, non dicens singularitatem, sive consideretur,sive non consideretur ab intellectu, & sic intellectus abstrahens naturam, sive illam concipiens, sine singularitate, tantùm concipit universale metaphysicum, non concepto metaphysico singulari. Universale logicum est natura,ut superior respiciēs plura,ut inferiora,& dicens respectum prædicabilitatis de illis; singu-

lere

lare verò Logicum illi correspondens, est illud, quòd dicit respectum rationis subiicibilitatis ipsi universali Logico; quod quidem non habet singulare à parte rei, sed per ipsam operationem intellectus, qua tribuitur universali Logico relatio prædicabilitatis, cùm sint relationes mutuæ: unde clarè constat, quòd ablatio singularitatis metapysicæ per abstractionem intellectus possibilis, non est positio universalitatis Logicæ.

32 Resp. secondò, dist. etiam mai. ablatio unius oppositi o est positio alterius, si sint opposita immediatè, concedo, si sint opposita mediatè, nego. Disting. etiam min. universale, & singulare sunt opposita, mediatè, concedo; immediatè, nego, & nego consequentiam. Etenim singulare à parte rei non opponitur immediatè universali Logico, sed tantùm mediatè, hoc est, datur aliquid mediũ inter singulare à parte rei, & universale Logicum, quod etiam opponitur singulari à parte rei, scilicet, ipsa natura secundum se, quæ in suo conceptu formali non includit singularitatem, sive abstrahatur, sive non abstrahatur per intellectum.

24 Ubi obiter observa, ut alia argumenta solvas, quòd illud principium: *Ablatio unius oppositi est positio alterius*, non est universaliter verum; nam in relativè oppositis è contrario evenit, positio enim unius est positio alterius, & ablatio unius est ablatio alterius, positio enim patris, v.g. est positio filii, & ablatio patrris est ablatio filii, quod intelligitur in esse relativorum, correlativa enim sunt simul natura, cognitione, & definitione. Cùm ergo univ. Log. sit relativum rationis dicens ordinem superioris ad inferiora, nequit ablatio inferiorum esse positio illius, imò positio universalis est positio inferiorum, & è contra, & ablatio universali est ablatio inferiorum, & è contra.

25 Arg. 3. univ. Log. est unum aptum inesse plu-

pluribus: sed per abstractionem constituitur natura una apta inesse pluribus: ergo per abstractionem fit formaliter univ. Log. Prob. min. Quia natura in statu abstractionis non est propria alicujus singularis; ergo per abstractionem constituitur apta inesse pluribus. Respond. primò, ut communiter respondēt Scotistæ disting. min. Per abstractionem cōstituitur natura apta inesse pluribus, fundamentaliter proximè, conc. formaliter, neg. & neg. conseq. Etenim natura in statu contractionis dicitur universale fundamentaliter, sed hoc remotè; quia habet impedimentum, ut concipiatur, ut formaliter universalis, scilicet, singularitatem, cui est appropriata, in statu autem abstractionis dicitur natura universalis fundamentaliter proxime, eo quòd nullum habet impedimentum, ut concipiatur, ut universalis, quippè in tali statu nulli singulari est appropriata, non tamen est formaliter universalis quoadusque concipiatur ab intellectu cum ordine superioris ad plura inferiora.

26 Resp. 2. explicando majorem, universale Logicum est unum aptum inesse pluribus simul, licet cum sui divisione, non autem unum aptum inesse pluribus divisivè, seu per solam indifferentiam; hoc est universale est unum participabile à pluribus modo dicto de idea Platonica, si daretur; non autem solùm participabile ab hoc, vel illo, seu contrahibile per hanc, vel illam differentiam individualem; hoc enim est proprium partis potentialis; non autem totius potentialis, seu potestativi, ut est universale Logium, ut alibi dicetur. Unde disting. min. per abstractionem fit natura una apta esse in pluribus, divisivè, per indifferentiam, seu ut pars potentialis, concedo, simul, & ut totum potestativum, nego, & nego conseq. Quòd autem natura in statu abstractionis, nō fit alicui singulari appropriata, solum facit, quòd indifferentia

tia naturæ, quæ tantùm erat negativa in statu realis existentiæ, jam fit positiva, seu contraria modo dicto loquendo de communitate naturæ.

27 Dicimus 3. natura non fit universalis Logicè per comparationem compositam, seu per prædicationem actualem; fit tamen sic universalis per simplicem comparationem. Hæc conclusio est communior in utraque scola. Quoad primam partem probatur; tum ex dictis quæstione antecedenti conclusione 1. & 2. quæ haud difficulter huic possunt applicari. Deinde quia comparatio composita, sive prædicatio actualis supponit naturam prædicabilem de multis, nam quilibet actus supponit potentiam sibi correspondentem: sed universale est prædicabile de pluribus: ergo comparatio composita, seu actualis prædicatio supponit universale factum, & consequenter talis comparatio composita non est effectiva universalis Logici.

28 Pro secunda parte conclusionis, aliquibus in locis citatur Scotus ab Scotistis, sed Scotus non clarè loquitur circa hanc determinationem; solùm autem denotat, fieri universale Logicum per aliquem actum comparativum, nam semper illud explicat per aliquem ordinem rationis ad plura, qui ordo solùm potest provenire naturæ per actum collativum intellectus, qui actus, cùm non sit comparatio composita, ut dictum est, benè infertur ex Scoto, quòd sit simplex comparatio. Deinde potest probari conclusio per exclusionem aliorum actuum intellectus ab efficientia universalis Logici, ut dictum est conclusionibus antecedentibus, nam si non fit universale Logicum per abstractionem intellectus agentis, neque intellectus possibilis, neque per comparationem compositam; solum restat, quòd fiat per simplicem comparationem.

29 In forma autem probatur conclusio hac bre-

brevi ratione ; quia universale logicum est unum aptum inesse pluribus, & prædicari de illis ; ergo fit per actum intellectus, quo concipitur natura, ut apta inesse pluribus, & prædicari de illis, sed per simplicem comparationem concipitur sic natura ; ergo per simplicem comparationem fit Logicè universalis. Minor patet, quia quòd actualiter prædicatur, priùs supponitur apprehensum, ut prædicabile, sed talis apprehensio nihil aliud potest esse, quam simplex comparatio ordinans naturam, seu illam apprehendens in ordine ad inferiora, ergo simplex comparatio apprehendit naturam, ut prædicabilem de pluribus, & consequenter est effectiva universalis Logici.

30 Arguunt contra ; natura fit universalis Logicè per illum actum, quo cognoscitur in pluribus ; Sed talis actus est comparatio composita ; ergo universale logicum fit per comparationem compositam. Prob. min. quia cognoscere naturam in pluribus, est cognoscere illam, ut identificatam cum illis, sed nequit concipi, ut identificata cum pluribus nisi per comparationem compositam ; ergo actus, quo cognoscitur natura, ut una in pluribus est comparatio composita. Resp. neg. mai. Quia universale non est natura una in pluribus, sed una apta inesse pluribus, & prædicari de illis ; unde actus, quo cognoscitur, non ut actu existens in pluribus, sed ut apta inesse pluribus est universalis Logici effectivus, qui quidem actus est simplex comparatio, non verò composita : Et licèt concederemus, quod non concedimus, scilicet, universalitatem consistere in hoc, quod natura actu sit in pluribus, & consequenter fieri universale Logicum per actum intellectu, quo natura conciperetur actu inesse pluribus ; negare tamen possemus, hoc fieri per comparationem compositam, benè tamen per simplicem comparationem, qua apprehenderetur natura una

in

in pluribus, quin de illis per comparationem, compositam prædicaretur. Alia argumenta, vel coincidunt cum præsenti, vel facilè solvuntur ex dictis in hac, & præcedenti quæstione.

QUÆSTIO III.

Quodnam sit definitum in definitione universalis.

1 PRo intelligentia quæstionis aliqua notanda sunt. Primò, universale, ut alibi dictum est, esse quoddam concretum accidentale dicens pro materiali naturam, & pro formali universalitatem. Secundo, inter complexa accidentalia, ut *homo albus*, & concreta, ut *album*, hanc versari differentiam, quod complexium dicit in recto, tam subiectum, quàm formam, unde nequit unica definitione definiri, cum subiectum, & forma sint diversæ rationis; at vero concretum, cùm dicat unum, scilicet, formam (in nostra sententia) in recto, & aliud scilicet subiectum, in obliquo, optimè potest unica definitione definiri. Tertio, duplex esse definitum; formale, scilicet, cui primo, & per se convenit definitio, & materiale, cui non primo, & per se, sed secundario, & per accidens convenit, definitio; huius enim definitionis; *Album est disgregativum visus; album* est definitum formale, & subiectum albedinis est definitum materiale. Nunc

2 Resolutio huius quæstionis dependet ex alia iam discussa loquendo de prædicationibus, scilicet, *Quid primò, & per se significet concretum?* Qui enim dicunt, concretum æque significare formam, & subiectum, consequenter tenent, aggregatum ex natura, & secunda intentione universalitatis esse definitum in definitione universalis. Qui autem tenent,

con-

concretum primò, & per se significare subjectum, secundariò vero, & de connotato formam, communiter sustinent naturam, ut subest secundæ intentioni universalitatis, esse definitum in definitione universalis. Scotistæ verò, cum teneant cum Præceptore subtili, concretum primo, per se, & in recto significare formam, secundario verò, & in obliquo subiectum, consequenter affirmant definitum in definitione universalis esse secundam intentionem universalitatis in concreto, seu prout connotat, & denominat naturam. Præter hos modos dicendi, non desunt, qui asserant, vel naturam secundum se, vel secundùm intentionem universalitatis in abstracto esse definitum in definitione universalis.

3 Dicimus primo; definitum in definitione universalis, non est natura secundum se. Probatur, quia definitio per se debet convenire suo definito: sed definitio universalis, non convenit per se naturæ secundum se sumptæ; ergo natura secundum se sumpta non est definitum in definitione universalis. Minor patet, quia ut dictum est, universalitas accidit naturæ per intellectum; sed quod sic accidit naturæ, non convenit illi per se; ergo quod natura sit universalis non convenit illi per se, & consequenter, neque definitio universalis. Neque apparet quid contra hanc conclusionem possit obiici, quod alicujus sit momenti, nisi intendatur probari dari universale Logicum à parte rei, quod ex dictis in tota disputatione facilè refellitur.

4 Dicimus secundo; secunda intentio universalitatis in abstracto non est definitum in definitione universalis. Probatur breviter: quia secunda intentio in abstracto nullatenus est prædicabilis de pluribus; ergo nullatenus est definitum in definitione universalis. Antecedens patet, quia non est prædicabilis prædicatione signata, falsum enim est dicere: *Universalibus*

potest

potest prædicari de pluribus, neque est prædicabilis exercitè; falsum etiam est dicere; *Homo est universalitas*; ergo secunda intentio universalitatis in abstracto nullatenus est prædicabilis de pluribus, & conseq. neque est definitum in definitione universalis. Nihil videtur obiicibile contra hanc conclusionem.

5 Dicimus tertiò; aggregatum ex natura, & secunda intentione simul in recto non est definitum in definitione universalis. Probatur, quia secunda intentio, & natura simul in recto constituunt unum ens per accidens: sed ens per accidens nequit propriè definiri; ergo aggregatum ex natura, & secunda intentione simul in recto non est definitum in definitione universalis. Major est certa, nam illud est unum per accidens, quod dicit in recto res diversorum prædicamentorum, ut est natura, & secunda intentio universalitatis. Minor patet, quia res diversorum prædicamentorum habent diversas essentias: sed diversæ essentiæ non unica, sed pluribus definitionibus explicantur; ergo ens per accidens nequit unica definitione definiri; ac per consequens aggregatum ex natura, & secunda intentione universalitatis non est definitum in definitione universalis. Latè prosequuntur aliqui hanc rationem impugnando aliquas responsiones ad illam, quod nos omittimus, & brevitatis causa, & quia facilè impugnatur qualibet responsio, cognita natura entis per accidens.

6 Aliter directè probatur conclusio, quia illud est definitũ in definitione universalis, quod de pluribus est prædicabile, & prædicatur: sed aggregatum ex natura, & secunda intentione in recto nullatenus prædicatur de pluribus; ergo tale aggregatum non est definitũ in definitione universalis. Prob. min. Quia secunda intentio universalitatis non prædicatur exercitè, falsum enim est dicere; *Animal est universalitas*; *homo*

est genereitas, vel genus; &c. neque natura prædicatur signatè; falsum enim est dicere: *Natura seu animal est signum, seu ratio formalis prædicandi de pluribus*: ergo aggregatum ex natura; & secunda intentione simul in recto, neque exercitè, neque signatè prædicatur de pluribus; & consequenter, neque est definitum in definitione universalis.

7 Arguunt primò; aggregato ex natura, & secunda intentione simul in recto convenit definitio universalis: ergo est definitum in tali definitione. Prob ant. Quia secunda intentio prædicatur, ut *quo*, natura prædicatur, ut *quod*, ergo aggregato ex natura, & secunda intentione convenit definitio. Solutio hujus argumenti facile deducetur ex dicendis. Pro nunc autem resp. neg. antec. & conseq. prob. nam ex hoc, quod natura prædicetur, ut *quod*, & secunda intentio, ut *quo*, non sequitur propositum, imò oppositum sequitur; nam aggregato, neque ut *quo*, neque ut *quod* prædicari convenit, quod enim alicui parti seorsim convenit, nequit toti aggregato convenire, & deinde patet ex nostra ratione.

8 Arguunt secundò; definitum in definitione universalis includit essentialiter secundam intentionem, & aliquid plus: sed aggregatum includit secundam intentionem essentialiter, & aliquid plus, scilicet, naturam denominatam? ergo tale aggregatum in recto est definitum in definitione universalis. Confirmatur: quia nullum totum constituitur in recto ex una sola parte: sed universale est quoddam totum: ergo constituitur in recto ex utraque parte, scilicet, ex natura, & secunda intentione, & consequenter, ut sic est definitum in definitione universalis.

9 Resp. disting. mai. definitum in definitione universalis includit essentialiter secundam intentionem, & aliquid plus etiam essent ali-

ter, nego, & aliqui plures de connotato, concedo, & concessa minori, neg. conseq. Sufficit enim ad definitum universalis, quod dicat secundam intentionem essentialiter, seu in recto, & naturam de connotato, imo hoc solum requiritur, ut possit definiri, nam definitum debet dicere aliquid unum per se, & essentialiter, verum autem est, aggregatum dicere secundam intentionem, & naturam, sed utrumque dicit in recto, & ut sic non dicit unum per se, & essentialiter, sed plura simpliciter, ideoque nequit unica definitione definiri, ut dictum est de complexo.

10 Ad confirmationem respond. distingu. maior. Nullum totum constituitur ex una sola parte in recto, ut est quoddam complexum, concedo, ut est quoddam concretum, subdistingu. non constituitur ex una sola parte in recto, ita ut nullatenus dicat aliam partem, concedo, si dicat aliam partem, saltim de connotato, nego, & concessa minori, disting. consequens; constituitur in recto ex utraque parte, ut est quoddam complexum, concedo, ut est quoddam concretum, nego. Unde neg. ultimam conseq. quia universale non est definitum, imo neque definibile unica definitione, ut complexum, sed ut concretum.

11 Dicimus quartò. definitum in definitione universalis non est natura, ut subest secundæ intentioni universalitatis. Probatur; quia definitum in definitione universalis est id, quod per se est universale; non vero, quod tantum est universale per accidens, & denominativè: sed natura, ut subest secundæ intentioni, solum est universalis accidentaliter, & denominativè: ergo natura, ut subest secundæ intentioni non est definitum in definitione universalis. Minor patet, quia natura constituitur universalis per secundam intentionem, quæ est quoddam accidens rationis denominans ipsam

ipsam naturam: ergo naturæ, ut subest secundæ intentioni, sed solum accidentaliter, & denominativè convenit esse universalem, ac per consequens, nequit esse definitum in definitione universalis.

12 Resp. argumentum benè probare, naturam secundum se, seu specificativè sumptam non esse definitum in definitione universalis, nō tamen hoc probare de natura reduplicativè, ut subest secundæ intentioni. Sed contra, inquirimus à sic respondentibus, quid intelligant per hanc reduplicationem: *Natura quatenus subest secundæ intentioni?* Si enim intelligant aliquid pertinens ad ipsam naturam, scilicet, capacitatem, seu potentiam passivam ad recipiendam talem secundam intentionem, videtur inutilis talis reduplicatio, idem enim est dicere: *Natura quatenus subest secundæ intentioni universalitatis, est universalis*, ac dicere: *Natura est universalis*; sicut idem est dicere: *Corpus quatenus subest albedini, est album*, ac dicere: *Corpus est album*; nam omne prædicatum dicitur de subiecto, quatenus est capax, & subiicitur formæ, quæ de illo prædicatur. Deinde prædicta capacitas naturæ convenit illi a parte rei, & sic est extra essentiam universalitatis, quæ est forma rationis: ergo tam accidentaliter convenit naturæ definitio universalis cum prędicta reduplicatione, ac sine illa.

13 Si verò per prædictam reduplicationem intelligant ipsam secundam intentionem universalitatis, verum est, quod ut sic definitio convenit essentialiter naturæ, quia definitiones accidentales cum hac repuplicatione fiunt essentiales; nam hæc definitio: *Paries est disgregativus visus*, quæ est accidentalis respectu parietis, fit essentialis hoc modo: *Paries in quantum albus, est disgregativus visus*; quia reduplicatio facit, quod prædicatum non appellet supra subiectum albedinis, sed supra albedinem

con-

concernentem subiectum. Sic similiter, hæc definitio accidentalis: *Natura est prædicabilis de pluribus*, quæ est accidentalis respectu naturæ, sit essentialis hoc modo: *Natura, ut subest secundæ intentioni universalitatis, seu quatenus universalis, est prædicabilis de pluribus*, in qua ratione reduplicationis, non appellat prædicatum supra naturam, quæ est subiectum secundæ intentionis universalitatis, sed supra ipsam secundam intentionem concernentem naturam: ergo nullatenus convenit naturæ essentialiter definitio universalis, sed tantum accidentaliter, & denominativè.

14 Et potest confirmari nostra ratio, quia definitum per se debet dicere in recto rationem formalem propter quam definitur; sed natura, ut subest secundæ intentioni, non dicit in recto, sed in obliquo universalitatem, quo est ratio formalis propter quam definitur definitione universalis: ergo natura, adhuc, ut subest secundæ intentioni universalitatis, non est definitum in hac definitione. Argumenta contra hanc conclusionem commodius proponentur post conclusionem sequentem.

15 Dicimus quinto: definitum per se, & formale in definitione universalis est secunda intentio universalitatis in concreto, seu ut concernens naturam. Probatur primo ex significatione concretorum, quia quod primò, & per se significat concretum, est per se definitum in definitione illius: sed concretum primo, & per se significat formam, & de connotato subiectum, ut suo loco diximus: ergo definitum per se in definitione concretorum est forma, ut concernens subiectum, sed universale est quoddam concretum accidentale: ergo definitum formale, & per se in definitione illius est forma, scilicet, secunda intentio universalitatis, ut concernens naturam.

16 Prob. secundò, quia illud est definitum in defi-

definitione universalis, cuius essentia per illam explicatur: sed per definitionem universalis solùm explicatur essentia secundę intentionis universalitatis concernentis naturam, in qua exercetur universalitas: ergo secunda intentio universalitatis in concreto est definitum in definitione universalis. Prob.min. quia per definitionem explicatur essentia illius, cuius effectus manifestatur: sed per definitionem universalis manifestatur prædicatio de pluribus, quæ est effectus secundæ intentionis universalitatis connotantis naturam, ut subiectum in quo exercetur prædicatio: ergo per definitionem universalis explicatur essentia secundæ intentionis connotantis naturam, ac per consequens, secunda intentio universalitatis in concreto est definitum in tali definitione.

17 Confirmatur, quia licet, quod videtur, v. g. sit album, tamen obiectum formale specificativum visus est albedo, ut connotans subiectum: ergo licet, quod prædicatur de inferioribus sit, quod est universale, definitum per se, & formale definitionis universalis erit secunda intentio universalitatis, ut connotans subiectum, seu naturam. Paritas videtur tenere; quia ex eo subiectum albedinis non est obiectum formale specificativum visus, sed albedo, quia specificativum visus non videtur ratione alterius, & subiectum videtur ratione albedini, sed prædicari de pluribus, quod explicatur per definitionem universalis, non convenit naturæ ratione sui, sed ratione secundæ intentionis: ergo non natura, ut subest secundæ intentionis: sed secunda intentio, ut connotat naturam, est definitum formale, & per se in definitione universalis, eo vel maximè, quia definitio non debet convenire definito per se, & formali ratione alterius.

18 Arguunt primò; illud est definitum per se, & formale in definitione universalis, quod per

per se prædicatur de pluribus, sed natura prædicatur per se de pluribus, non verò secunda intentio universalitatis; non enim valet: *Homo est genus; Petrus est species*, &c. valet tamen: *Homo est animal; Petrus est homo*, &c. ergo natura, & non secunda intentio, est per se definitum in definitione universalis.

19 Antequam hoc argumentum solvamus, potest retorqueri in tenentes oppositum huius, & antecedentis conclusionis, in hunc modum; ergo definitum per se in definitione universalis non est natura, ut subest secundæ intentioni. Prob. conseq. Quia juxta argumentum, illud est definitum per se in definitione universalis, quod per se prædicatur de inferioribus, sed natura, ut subest secundæ intentioni, non prædicatur per se de inferioribus; ergo non est definitum in definitione universalis. Prob. min. quia falsum est dicere; *Homo est animal; ut animal subest secundæ intentioni genereitatis*; quia idem est, ac dicere; *Homo est genus* (nam animal, ut subest secundæ intentioni genereitatis est genus) quod falsum est; ergo natura, ut subest secundæ intentioni universalitatis, non prædicatur per se de inferioribus, ac per consequens in hoc sensu natura non est definitum in definitione universalis. Ecce quomodo sic contra nos arguentes, contra se ipsos æqualiter militant.

20 Nunc directè ad argumentum resp. primò, neg. min. quia natura non per se, sed per accidens prædicatur de inferioribus; nam ut dictum est, prædicari de illis convenit illi ratione secundæ intentionis universalitatis, quæ est quoddam accidens rationis ipsis naturæ per intellectum applicatum; unde illæ prædicationes; *Homo est animal*, &c. accidentaliter conveniunt naturæ.

21 Replic. natura, quæ prædicatur de pluribus, v. gr. *Animal*, essentialiter includitur in

inferioribus: ergo non convenit illi accidentaliter, sed essentialiter prædicari de illis. Resp. neg. conseq. Aliud enim est, naturam includi essentialiter in inferioribus, & aliud, quod essentialiter conveniat illi prædicari de illis, nam quòd includatur in illis essentialiter, solum facit, quod sit essentiale id, quod prædicatur; non autem essentialiter illi convenire prædicari de illis; nam solùm de illis prædicatur natura, ut concipitur ab intellectu, ut prædicabilis, quod quidem, ut sæpè dictum est, solum accidentaliter convenit naturæ: quippè ratione accidentis rationis, scilicet, secundæ intentionis universalitatis.

22 Respondetur secundò ad argumentum disting. mai. illud est definitum per se, & formale in definitione universalis, quod per se prædicatur de pluribus prædicatione signata, concedo; prædicatione exercita, nego. Disting. etiam min. sed natura prędicatur per se de pluribus, nō verò secunda intentio, prædicatione exercita, omitto, prædicatione signata, nego; & neg. conseq. Omissa min. quia natura, nec exercitè, nec signatè prædicatur per se de inferioribus, ut dictum est, & amplius dicetur; solùm autem secunda intentio universalitatis prædicatur per se signatè, ut infra etiam amplius patebit.

23 Replic. prædicatio signata dicit potentiam, prædicatio exercita dicit actualem prædicationem: sed cui convenit potentia prædicandi, convenit prædicari actualiter: ergo cui convenit prædicari signatè, convenit prædicari exercitè, sed secundæ intentioni non convenit prædicari exercitè; ergo neque convenit prædicari signatè. Resp. 1. dist. min. cui convenit potentia prædicandi, convenit prædicari actualiter, potentia prædicandi convenit illi, ut est quid signatum in illa potentia, concedo, si tantum conveniat illi, ut est ratio signandi talem potentiam, nego. Simil. dist. conf. cui convenit

præ-

prædicari signatè, convenit prædicari exercitè, si prædicari signarè conveniat illi, ut est quid signatum in illa potentia, concedo, si tantum conveniat illi, ut est ratio signandi talem potentiam, nego, & concessa minori subsumpta, dist. ultimum conseq. secundæ intentioni nequit convenire prædicari signatè, ut quid signatum in potentia prædicandi, concedo; ut ratio signandi talem potentiam, nego. Etenim natura per secundam intentionem est quid signatum in potentia prædicandi, seu fit prædicabilis de pluribus, ideòque exercitè de illis prædicatur: secunda verò intentio tantum est ratio signandi talem potentiam, seu ratio constituens naturam prædicabilem de pluribus, ideòque non prædicatur exercitè.

24 Aliter tamen potest responderi disting. min. & simul conseq. cui convenit potentia prædicandi, seu prædicari signatè, convenit prædicatio actualis, seu prædicari exercitè, eo modo, quo convenit unum, convenit aliud, concedo, alio modo, nego, & disting. min. subsumpt. secundę intentioni non convenit prędicari exercitè, ut *quo*, seu ut ratio formalis, qua natura exercitè prædicatur, nego, ut *quod*, seu ut id, quod exercitè prædicatur, concedo, & disting. conseq. secundæ intentioni non convenit prædicari signatè, ut *quo*, seu ut ratio formalis, qua natura est prædicabilis, nego, ut *quod*; seu ut id, quod est prædicabile, ut *quod*, concedo. Etenim tam in prædicatione signata, quam exercita ingreditur natura, & secunda intentio; nam natura est prædicabilis, & prædicatur, ut *quod*; secunda verò intentio universalitatis est prædicabilis, & prædicatur, ut *quo*, hoc est, est ratio formalis, qua natura est prædicabilis, & prædicatur actualiter de pluribus, ita ut, si natura non esset affecta secunda intentione universalitatis, neque esset prædicabi-

lis, neque actualiter prædicaretur de pluribus. Est tamen maxima differentia inter naturam, & secundam intentionem, quòd naturæ, tam prædicabilitas, quam prædicatio actualis de pluribus, ut *quod*, convenit per accidens, hoc est, ratione secundæ intentionis, quæ ut sæpè dictum est, est accidens rationis applicatum naturæ per intellectum; at verò secundæ intentioni, tam prædicabilitas, quam prædicatio actualis, ut *quo*, convenit per se, per se enim est ratio formalis, quia natura est prædicabilis, & prædicatur de pluribus. Unde cum in præsenti quæstione solum inquiramus, quodnam sit definitum per se, & formale in definitione universalis? Manet firmum, tale definitum solum esse secundam intentionem concernentem naturam, cùm illi per se, & formaliter conveniat prædicabilitas, seu definitio; naturam verò, ut subest secundæ intentioni, solum esse definitum per accidens, & materiale, cum illi tantum per accidens, & materialiter conveniat prædicabilitas, prædicatio, seu definitio.

25 Dices contra; ex prædicta doctrina sequitur, quod secunda intentio tantum est definitum *quo* in definitione universalis, sed in hac quæstione loquitur de definito, *quod*: ergo secunda intentio non est definitum in definitione universalis, modo, quo inquiritur in quæstione. Aliqui respondent, concessa mai. neg. min. & conseq. Quia, inquiunt, in concretis accidentalibus, ut est universale, non datur propriè, & rigorosè definitum formale *quod*, quia cùm prædicta concreta non significent formam, ut per se stantem, id est, ut *quod est*, sed ut alteri adjacentem, idest, ut *quod aliud est*, nihil mirum, quòd propriè, & rigorosè non habeant definitum formale *quod*.

26 Aliter potest responderi neg. mai. Quia ipsa secunda intentio in concreto est definitum

for-

formale *quod*; nam definitum *quod*, nihil aliud est, nisi id, cujus natura per definitionem explicatur, & cùm per definitionē universalis explicetur natura secūdæ intentionis universalitatis in concreto, hinc est, quòd talis secunda intentio in cōcreto est definitum formale *quod* in tali definitione, licet aliàs prædicabilitas tantum conveniat illi, ut *quo*, modo explicato; nam respectu diversorū benè potest aliquid esse *quo*, & *quod*; albedo enim in hac definitione: *Album est disgregativum visus*, est *quod* per se definitur, & est *quo* subjectum est album, similiter secunda intentio univetsalitatis est *quod* per se definitur in difinitione universalis, & est *quo* natura est prædicabilis.

QUÆSTIO IV.

Vtrùm universalia, seu prædicabilia sint tantùm quinque?

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est, quòd quando Porphyrius divisit universale, seu prædicabile in genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens, tantum divisit universale limitatum, & prædicamentale; quia hoc fecit ad intelligentiam prædicamentorum, unde aliquæ conditiones solent assignari, juxta varias sententias ad rationem universalis perdicamentalis, nostri autem communiter quatuor assignant. Prima, quòd sit unum incomplexum; quia prædicamenta sunt voces simplices, & incomplexæ. Unde complexa, etiam si de pluribus prædicentur à ratione universalis prædicamentalis excluduntur, ut *homo albus*: *animal rationale*. Secunda, quòd sit univocum; quia universale debet significare unā naturam communem. Unde æquivoca, & analoga excluduntur à ratione universalis, quia non unicam, sed plures naturas significant.

Tertia, quòd sit finitum, & limitatum, & non sit transcendens. Unde Deus, & transcendentia excluduntur à ratione universalis; de quo amplius in Metaphysica. Quarta, quòd significet naturam abstractam ab individuis. Unde individuum vagum, ut *quidam homo* excluditur à ratione universali, quia non unum commune pluribus, sed plura indeterminatè significat. Quas conditiones, si rectè obervaveris, plura argumenta solves.

2 Dicimus: prædicta divisio universalis, seu prædicabilis in quinque membra assignata est adæquata. Hæc conclusio est communior consensus Philosophorum, quam tenet Scotus quæst. 12. Universal. & in 1. dist. 8. quæst. 3. sub litt. S. licet non desunt aliqui, qui ex una parte tenent, prædictam divisionem esse nimis latam, & alii ex alia, esse valde diminutam, ut in argumentis patebit.

3 Probatur autē sufficientia divisionis ratione deducta ex Scoto citato quæst. 12. univ. Quia universalia, seu prædicabilia inter se differunt per diversos modos, quibus de inferioribus prædicantur: sed quinque tantum modis possunt universalia prędicari de inferioribus: ergo quinque sunt prædicabilia, seu universalia. Probatur min. Quia omne, quod prædicatur, vel prędicatur in *quid*, vel in *quale*; si in *quid*, vel dicit totam essentiam inferioris, & sic est species; vel dicit partem essentiæ, & sic est genus: Si in *quale*, vel essentialiter, & sic est differentia, vel extra essentialiter, seu accidentaliter, & hoc, adhuc dupliciter: vel accidentaliter necessariò, & sic est proprium, vel accidentaliter contingēter, & sic est accidens: sed præter hos modos prædicandi, nullus alius assignari potest: ergo quinque sunt modi, quibus universalia possunt prædicari, & non plures, & consequenter quinque assignata, & non plura, sed pauciora, sunt prædicabilia, seu universalia.

4 In-

4 Intendentes prædictam divisionem esse nimis latam, sic arguunt ex Arist. 1. Topic. c. 2. 3. & 4. ubi tantum numeravit quatuor prædicata, scilicet genus definitionem, proprium, & accidens: ergo tantum sunt quatuor prædicabilia. Patet consequentia; nam tot sunt prædicabilia, quot prædicata. Resp. neg. conseq. & disting. prob. tot sunt prædicabilia, quot prædicata Logica, concedo, quot prædicata topica nego; Aristot. autem solum prædicata topica numeravit, quæ sunt illa, quæ habent subiectum commune, de quo prædicentur, & sic inter illa non numeravit speciem, quia non est prædicabilis de subiecto communi, differentiam autem non numeravit, quia subalterna convertitur cum genere, & infima cum definitione.

5 Arguunt ratione; numerus prædicabilium desumitur ex diverso modo prædicandi: sed tantùm sunt duo modi prædicandi; scilicet, essentialiter, & accidentaliter; ergo tantum sunt duo prædicabilia. Resp. disting. min. Tantùm sunt duo prædicti modi prædicandi, ulterius indivisibiles, nego; ulterius divisibiles, concedo, & neg. conseq. Etenim verum est, universale, seu prædicabile in communi immediatè dividi in prædicari essentialiter, & accidentaliter, seu in *quid*, & in *quale*, & deinde, quilibet modus prædicandi subdividitur modo dicto in nostra ratione, & ulterius nulla datur divisio prædicabilium. Ex quo facilè resolvitur duplex dubium, quod in præsenti occurrit; primum, an divisio universalis in quinque prædicabilia sit immediata? Constat enim ex dictis esse mediatam, cùm prius dividatur in prædicari in *quid*, & in *quale*, & deinde in quinque prædicta membra. Secundum, an quinque prædicabilia enumerata sint species infimæ universalis? Ad quod respondetur etiam ex dictis affirmativè; quia species infimæ sunt illæ, quæ non subdivi-

duntur in alias species: sed quinque prædicta prædicabilia non subdividuntur in alias species universalis, ergo sunt species infimæ.

5 Intendentes prædictam divisionem esse diminutam, arguunt primò, prædicamenta sunt decem: ergo & prædicabilia. Probatur conseq. Quia numerus prædicabilium desumitur ex modo prædicandi: sed etiam numerus prædicamentorum sumitur ex modo prædicandi: ergo tot sunt prædicabilia, quot prædicamenta. Probatur minor; quia modus prædicandi desumitur ex modo essendi: sed prædicamenta desumuntur ex modo essendi: ergo desumuntur ex modo prædicandi. Resp. neg. consequ. cujus prob. neg. minor. & disting. maior. prob. modus prædicandi desumitur ex modo essendi per se, vel in alio, tanquam in subiecto, neg. ex modo essendi in inferioribus, conc. disting. etiam min. prædicamenta desumuntur ex modo essendi per se, vel in alio, tanquam in subjecto, conc. ex modo essendi in inferioribus, neg. & neg. conseq. Prædicamenta enim desumuntur ex modo essendi per se, quod convenit substantiæ, & ex diversis modis essendi in alio, tanquam in subiecto inhæsionis, qui modi, cùm sint novem, ut suo loco dicetur, constituunt novem genera accidentium, & sic sunt decem prædicamenta; at verò prædicabilia desumuntur ex modo prædicandi fundato in modo essendi in inferioribus; & cùm tantùm quinque modis enumeratis possint rationes communes esse in inferioribus, ideo tantum assignantur quinque prædicabilia, seu universalia.

7 Arguunt secundo, differentia infima, & subalterna constituunt duo prædicabilia diversa: ergo non sunt tantum quinque prædicabilia. Prob. antec. Quia ex eo genus, & species constituunt duo prędicabilia diversa, quia genus prædicatur de differentibus specie, & species de differentibus numero; sed differentia subalterna

præ-

prædicatur de differentibus specie, v.g. *sensibile* prædicatur de *homine*, & *bruto*; & differentia infima prædicatur de differentibus numero, v.g. *rationale* prædicatur de *Petro*, & *Paulo*: ergo species infima, & subalterna constituunt duo diversa prædicabilia. Respond. neg. ant. & major. prob. Etenim genus, & species non ex eo constituunt diversa pædicabilia, quia genus prædicatur de pluribus differentibus specie, & species de pluribus differentibus numero, sed ex eo quòd genus tantùm dicit partem essentiæ per modum potentiæ, & contrahibilis, species verò dicit totam essentiam, at verò differentia infima, & subalterna non variant modum prædicandi; nam quælibet dicit partem essentiæ actuantis, & contrahentis de quibuscumque prædicentur, unde non duo, sed unum tantùm prædicabile constituunt.

QUÆSTIO V.

Vtrùm universale sit genus ad quinque prædicabilia?

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est, quòd non loquimur de prædicabilibus materialiter sumptis, seu de naturis, quæ universales denominantur; nam certum est, universale non esse genus respectu illarum; nam aliquando sunt substantiæ, aliquando accidentia; jam entia realia, jam entia rationis, quibus nihil commune genericum assignari potest, loquimur autem de prædicabilibus formaliter sumptis.

2 Dicimus: universale est genus ad quinque prædicabilia. Hæc conclusio est communior consensus Philosophorum. Probatur, quia illud est genus, quod prædicatur in *quid*, & univocè de differentibus specie: sed universale est univocum, & prædicatur in *quid* de quinque

prædicabilibus, quæ inter se differunt specie: ergo universale est genus ad quinque prædicabilia. Minor in qua est difficultas, probat. quoad primam partem, quia univoca sunt, quorum nomen est commune, & ratio significata per illud in omnibus est eadem: sed nomen *universale* est commune quinque prædicabilibus, & ratio significata per illud, scilicet, *prædicabilitas de pluribus*, in omnibus est eadem: ergo universale est univocum respectu quinque prædicabilium.

3 Prob. min. quoad secundam partem; Quia ratio universalis essētialiter includitur in quinque prædicabilibus: sed quod includitur essentialiter, prædicatur in *quid*: ergo universale prædicatur in *quid* de quinque prædicabilibus Prub. minor. quoad tertiam partem; Quia illa differunt specie, quæ habent diversas essentiales differentias: sed quinque prædicabilia habent diversas differentias essentiales, scilicet, diversos modos prædicandi assignatos: ergo quinque prædicabilia differunt specie, & consequenter ex omni parte universale est genus ad quinque prædicabilia.

4 Arguunt primò; universale non est quid commune univocè quinque prædicabilibus: ergo non est genus ad illa. Prob antec. Quia quod convenit aliquibus per se, & aliquibus per accidens, non est commune univocum illis: sed prædicabilitas de pluribus per se convenit aliquibus prædicabilibus, quæ essentialiter prædicantur, ut sunt genus, species, & differentia, accidentaliter verò aliis, quæ extra essentialiter prædicantur, ut sunt proprium, & accidens: ergo universale non est quid commune univocè quinque prædicabilibus. Respond. neg. antec. & minor. prob. Omnibus enim prædicabilibus convenit essentialiter prædicabilitas de pluribus, licet aliqua ex illis sint quid essentiale, si materialiter sumantur, respectu illorum de quibus

bus prædicantur, & alia sint quid accidentale; nam si formaliter sumantur, ut sumuntur in præsenti, tam per se, & essentialiter convenit accidenti prædicari accidentaliter, quam generi prædicari essentialiter.

5 Arguunt secundò: Si universale esset genus ad quinque prædicabilia, esset superius, & inferius respectu suæ speciei: hoc implicat: ergo universale non est genus ad quinque prædicabilia. Prob. major. Nam universale, ut supponitur, est superius ad omnia prædicabilia, tanquam ad species illius: sed etiam esset inferius respectu unius prædicabilis, scilicet generis in communi, sub quo contineretur, ut quoddam genus particulare; ergo esset superius, & inferius respectu suæ speciei. Respond. disting. mai. esset superius, & inferius respectu suæ speciei, secundum eamdem rationem, nego, secundum diversas rationes, concedo; eodem modo distinguendum est totum argumentum. Ut autem hæ diversæ rationes percipiantur.

6 Observandum est, universale dupliciter posse considerari. Primo, essentialiter, quatenus dicit rationem prædicabilitatis de pluribus, abstrahendo ab hoc, vel illo modo prædicabilitatis, & denominativè, seu accidentaliter, quatenus per aliam secundam intentionem prędicabilitatis de pluribus differentibus specie dicitur genus, quia una secunda intentio benè potest fundari super aliam, & in tali casu, secunda intentio, quæ est fundamentum alterius, dicitur prima comparativè ad illam, unde secunda intentio universalis dicitur prima comparativè ad secundam intentionem generis, quam fundat. Unde sequitur, quod universale essentialiter sumptum, est quid superius, & includitur essentialiter in quinque prædicabilibus, sumptum vero denominativè, seu accidentaliter, ut dicit secundam intentionem generis, est inferius, & con-

tinetur sub genere in communi, tanquam quoddam genus particulare. Ecce ergo diversas rationes, sub quibus universale est superius, & inferius, respectu suæ speciei, scilicet generis in communi, nam est superius essentialiter in ratione universalis, & est inferius accidentaliter, & denominativè, ut est quoddam genus particulare.

7 Dices; si universale tantum denominativè, & accidentaliter est genus; ergo non est genus essentialiter ad quinque prædicabilia; sed hoc non est dicendum; ergo ruit doctrina supradicta. Resp. concedendo libenter primam conseq. & neg. min. subsumptam, & ultimam conseq. Etenim universale non est essentialiter, sed tantum accidentaliter genus ad quinque prædicabilia, quod non est peculiare universalis, sed idem est de qualibet alia natura, quæ genus, seu quodlibet aliud prædicabile denominatur, animal enim, & est animal, & est genus respectu hominis, & bruti, sed diversimodè, nam est animal essentialiter, & est genus accidentaliter, & denominativè, sumpta denominatione a secunda intentione generis, quæ accidentaliter illi applicatur ab intellectu, sic similiter universale, & est universale, & est genus, respectu quinque prædicabilium, sed diversimodè; nam est universale essentialiter, & est genus accidentaliter, & denominativè sumpta denominatione a secunda intentione generis, quę accidentaliter illi applicatur ab intellectu.

8 Dices iterum; animal nullatenus continetur sub homine, adhuc accidentaliter; quia animal est genus ad hominem; ergo si universale continetur, saltim accidentaliter sub genere primò prædicabili, non est genus ad illud. Resp. disting. antec. Quia animal est genus ad hominem præcisè, nec accidentaliter continetur sub illo, nego, quia nec animal, nec secunda intentio generis illud denominans, continetur

sub

sub homine, concedo, & nego consequentiam: Etenim, licet universale secundum se, & essentialiter, non contineatur sub genere primo prædicabili, sicut neque animal sub homine; tamen secunda intentio, à qua universale denominatur genus, continetur sub genere in communi primo prædicabili, at vero secunda intentio, qua animal denominatur genus, non continetur sub homine, & sic nihil mirum, quod universale accidentaliter contineatur sub genere primo prædicabili, licet animal, neque accidentaliter contineatur sub homine.

9 Arguunt tertio; si universale esset genus ad quinque prædicabilia, una species prædicaretur de alia; sed hoc non est dicendum; ergo universale non est genus ad quinque prædicabilia. Prob. mai. Quia hæ essent veræ prædicationes; *Genus est species universalis, differentia est species universalis*, & sic de aliis; ergo secundum prædicabile (scilicet species) quod est una species universalis, prædicaretur de aliis prædicabilibus, quæ sunt etiam species universalis. Resp. disting. mai. una species prædicaretur de alia accidentaliter, & denominativè, concedo; essentialiter, nego, quod nullum est inconveniens, ut patet ex supradictis. Aliter potest responderi, neg. mai. Ad prob. Dicimus, quod ratio speciei, quæ prædicatur in supradictis prædicationibus, non est ratio secundi prædicabilis, quia hoc constituitur in esse talis per rationem speciei prædicabilis, quæ ratio nullatenus prædicatur de aliis prædicabilibus; ratio autem, quæ ibi prædicatur, est ratio speciei subiicibilis, quæ convenit quinque prædicabilibus respectu universalis in communi per secundam intentionem subiicibilitatis; quod contingit in quibuscumque aliis speciebus, respectu sui generis, nam homo, & brutum non prædicantur ad invicem, eo quod sint species animalis; benè tamen de quolibet prædicatur

ac-

accidentaliter, quod sint species respectu sui generis per secundam intentionem subiicibilitatis, valet enim: *Homo est species animalis: brutum est species animalis*. Alia argumenta coincidunt cum præcedentibus, ideoque illa omittimus, quia si rectè attendatur ad doctrinam supra datam, non difficilè solventur.

QUÆSTIO VI.

In qua resolvuntur aliqua dubia circa universale.

1 Quia diximus, universale esse prædicabile de pluribus aliqua dubia se offerunt ad majorem illius intelligentiam. Igitur, dubitabis primo, an universale requirat plura inferiora realiter existentia? Resp. negativè; sufficit enim, quod habeat plura inferiora possibilia. Probatur; Quia scientiæ versantur circa universalia secundum rationem, qua sunt necessaria, & non secundum rationem, qua sunt contingentia: sed quævis inferiora, quoad existentiam sunt contingentia, & quoad essentiam sunt necessaria, prout abstrahunt ab existentia: ergo universale non requirit plura inferiora realiter existentia, sed sufficiunt possibilia. Confirmatur; Quia juxta communiorem sententiam, natura Solis, Lunæ, & Fœnicis possunt concipi, ut universales: sed non dantur actualiter existentia plura individua Solis, Lunæ, & Fœnicis, sed tantum possibilia: ergo universale solum requirit plura inferiora possibilia, non autem existentia.

2 Argues contra; ut natura fiat universalis, requiritur, quod abstrahatur: sed si non existunt inferiora a parte rei, non est unde abstrahatur natura: ergo ut fiat universalis, requirit plura inferiora actualiter existentia. Confirmatur; Quia natura non dicitur actu existere,

eo

eo quòd potest existere: ergo natura nequit dici universalis actualiter, nisi actualiter existat in pluribus.

2 Resp. neg. min. Quia natura potest abstrahi ab uno solo individuo existente, & licet nullum existat, potest abstrahi ab individuis possibilibus cognitis. Ad confirmationem resp. neg. parit. Quia ad hoc, ut natura dicatur actu existere, non sufficit, quòd possit existere, seu sit intra causas, sed necessariò requiritur, ut actu ponatur extra illas; at verò, ut natura actu dicatur universalis, nullatenus requiritur, quod actualiter fundamentaliter sumpta existat in pluribus; sed sufficit, quòd in illis multiplicata possit existere; solùm autem requiritur, quòd tam universale, quàm inferiora, formaliter, ut talia sint extra suas causas, hoc est, facta ab intellectu per secundas intentiones superioris, & inferiorum, quòd utique potest esse, absque reali existentia inferiorum; cùm tamen sint possibilia, & cognita.

4 Dubitabis secundò, an ut natura fiat universalis, requiratur, quòd sit multiplicabilis realiter in plura inferiora? Resp. affirmativè. Probatur; Quia licet universale fiat per intellectum, tamen habet fundamentum in re: sed tale fundamentum nequit esse aliud, quàm quod naturæ non repugnet plurificari in pluribus à parte rei: ergo ut natura fiat universalis, necessariò requiritur, quòd sit plurificabilis à parte rei. Probat. min. Quia si repugnet naturæ à parte rei plurificari, nequit per intellectum concipi, auferendo ab illa talem repugnantiam, & illi tribuendo aptitudinem oppositam; aliàs natura Divina, cui repugnat multiplicari, posset concipi sine tali repugnantia, & cum aptitudine ad opposita, & consequenter, ut universalis, quod nullus concedit: ergo fundamentum universalitatis est non repugnantia naturæ, ut plurificetur.

Con-

5 Confirmatur ; Quia natura, cui repugnaret pluralitas, vel conciperetur cum tali repugnantia, vel sine illa, seu cum aptitudine opposita: sed ut fiat universalis, nullo modo ex prædictis potest concipi: ergo natura, cui repugnat pluralitas, nequit fieri universalis. Prob. min. quoad primam partem; quia universale est natura concepta cum aptitudine ad essendum in pluribus: ergo natura concepta cum tali repugnantia, non concipitur, ut universalis. Prob. min. quoad secundam partem; quia tunc natura conciperetur cum opposito suæ essentiæ: sed hoc prorsus repugnat; quia esset aliquomodo destructio suæ essentiæ; ut si intellectus conciperet hominem cum rudibilitate, quæ directè opponitur rationalitati, & sic conciperet destructionem essentiæ hominis: ergo natura, cui repugnat pluralitas, nullatenus potest concipi, ut universalis. Deinde repugnantia pluralitatis nequit præbere fundamentum intellectui ad concipiendam non repugnantiam, seu aptitudinem ad plurificari: ergo natura, cui repugnat pluralitas, nequit concipi, ut apta plurificari cum aliquo fundamento in re; ergo cùm universale fiat ab intellectu cum fundamento in re, nequit natura, cui repugnat pluralitas, fieri universalis ab intellectu.

6 Arg. contra 1. universalitas est relatio rationis; ergo ad illam apprehendendam sufficiunt inferiora apprehẽsa per intellectum, licèt sint impossibilia. Patet conseq. quia sicut relatio realis petit terminũ realem, relationi rationis sufficit terminus rationis; sed inferiora apprehensa per intellectum, licèt sint impossibilia, sunt quid rationis; ergo sufficiunt pro termino universalitatis. Resp. disting. antec. universalitas est relatio rationis cum fundamento in re, concedo; sine fundamento in re, nego, & neg. cõseq. & disting. mai. prob. relationi rationi sufficit

ficit terminus rationis, eo modo quo est relatio concedo; alio modo, nego, id est si relatio rationis est cum fundamento in re, ut est universalitas, sufficit illi terminus rationis cum fundamento in re; non autem terminus rationis sine fundamento in re; disting. etiam min. inferiora apprehensa, licèt sint impossibilia, sunt quid rationis sine fundamento in re, & concedo; cum fundamento in re, nego: sicut enim in natura cui repugnat plurificari, deficit fundamentum, ut concipiatur, ut universalis, seu superior; ita in individuis impossibilibus, seu repugnantibus deficit fundamentum, ut concipiantur, ut inferiora; nam superius, & inferius sunt correlativa rationis idem fundamentum requirentia; unde neg. conseq.

8 Arg. 2. Natura Angelica potest concipi, ut universalis; sed repugnat multiplicari numericè; ergo natura, cui repugnat multiplicari, potest concipi, ut universalis. Confirmatur ex Arist. dicente, corpora cœlestia posse fieri universalia, licèt ut ipse asserit, nequeant multiplicari, eo quod unum quodque illorum constat tota materia, non solùm actuali, sed etiam possibili in sua specie. Resp. neg. min. non enim repugnat, naturam Angelicam numericè multiplicari, ut latè dicitur in materia de Angelis, & etiam colligitur ex dicendis in Physica loquendo de principio individuationis, unde etiam colligitur, quid sit respondendum ad confirmationem. Pro nunc autem resp. ad illam, quod Arist. loquitur de immultiplicabilitate ab extrinseco, non autem ab intrinseco, hoc est, non quia forma, & natura celorum non sit alteri communicabilis, sed quia non datur aliquod agens naturale, quod possit inducere formam illorum in aliquam materiam.

8 Dubitabis 2. An natura universalis per actualem prædicationem amittat universalitatem? Resp. quod natura universalis specificativè sum.

sumpta, hoc est, ipsa natura, quæ actualiter prædicatur, prout est concepta, ut superior, & universalis, non amittit universalitatem; at verò si sumatur reduplicativè, ut actualiter prædicata, amittit universalitatem.

6 Prob. 1. pars; Quia natura, quæ actualiter prædicatur, est quæ repræsentatur, ut superior, & universalis per intellectum; ergo ipsa natura, quæ actualiter prædicatur, prout repræsentatur, ut superior per intellectum, manet universalis, eò vel maximè, quia circa naturam potest simul esse duplex actus intellectus; alter respiciens naturam, ut prædicabilem de pluribus, & alter actualiter prædicans ipsam naturam de aliquo, qui actus nullatenus opponuntur, unde quòd actualiter per unum actum prædicetur de aliquo, non obstat, ut maneat universalis, quatenus per alium actum manet concepta, ut prædicabilis de pluribus. Sic debet intelligi Scotus quando dicit, quod universale est in potentia proxima, ut prædicetur de inferioribus, ita quòd quodlibet sit ipsum, nam si quando prædicatur de uno, non remaneret prædicabile de aliis, iam universale non esset prædicabile de pluribus, sed de uno tantùm. Ubi adverte, quod si natura universalis prædicatur actualiter de omnibus inferioribus possibilibus, tunc non remaneret universalis, quippè non remaneret in potentia ad prędicari; quod est de essentia universalis, cùm quo facilè aliqua argumenta solvuntur.

10 Prob. 2. pars; Quia natura reduplicativè, ut actualiter prædicata; fit determinatè alicuius inferioris, v. gr. natura animalis reduplicativè, ut prædicata in hac prædicatione; *Homo est animal*, fit determinatè speciei humanæ; sed natura, ut est determinatè alicuius inferioris, nequit prædicari de alio: ergo natura reduplicativè, ut actualiter prædicata, non remanet universalis. Minor patet; quia natu-

ra,

ra, ut est determinatè alicujus inferioris, dicit non solum ipsam naturam, sed etiam differentiam illius inferioris: sed natura, prout dicit differentiam alicujus inferioris, nequit de alio inferiori prædicari, ut ex se patet, nam hæc est falsa prædicatio: *Equus est animal, prout animal est simul rationale*; ergo natura, prout est determinatè alicujus inferioris, nequit prædicari de alio, & consequenter, reduplicativè, ut prædicata actualiter non remanet universalis. Cùm hac distinctione naturæ specificativè, & reduplicativè sumpta respondetur facilè ad quælibet argumenta.

11 Dubitabis 3. Quomodo intelligatur Scotus, quondo dicit, universale habere unitatem etiam numeralem; nam in 2. dist. 3. quæst. 1. §. *Sed contra, vers. Ad primum dico* litt. H. loquendo de universali; habet hæc verba; *Quia licet alicui existenti in re non repugnet esse in alia singularitate ab illa, in qua est; non tamen illud verè dici potest de quolibet inferiori, quòd quodlibet est ipsum, hoc est enim solùm possibile de obiecto eodem indifferenti actu considerato ab intellectu, quòd quidem, ut intellectum habet unitatem etiam numeralem obiecti, secundùm quam ipsum idem est prædicabile de omni singulari, dicendo, quòd hoc est hoc*: & ratio dubitandi est quia quod habet unitatem numeralem, seu quod est unum numero, nequit prædicari de pluribus: ergo vel universale non habet talem unitatem numeralem, vel non est prædicabile de pluribus.

12 Pro responsione nota, ut sæpè dictum est, quòd universale duo includit, scilicet, secundam intentionem pro formali, & naturam pro materiali, & de connotato· Hoc notato.

13 Resp. Ad dubium ex Licheto super Scocum citatum, quòd in utroque sensu potest dici, universale habere unitatem numeralem, di-

ver-

versimodè tamen, nam si universale sumatur materialiter, seu pro natura denominata, non dicitur habere unitatem numeralem propriè, & rigorosè, quatenus scilicet, unitas numeralis dicit differentiam numericam, seu individualem; sed quatenus universale in hoc sensu, est unũ de numero intelligibilium, quod sic intelligitur; ens in communi est adæquatum intelligibile, quippè est obiectum adæquatum intellectus; omnia autem entia partialia, ut continentur sub ente, sunt intelligibilia partialia, quippè sunt obiecta partialia intellectus, & cùm quælibet natura sit intelligibilis, ut objectum partiale intellectus, quælibet natura potest dici, esse unum de numero intelligibilium.

14 Si autem universale sumatur formaliter, seu pro secunda intentione universalitatis, tunc universale est unum numero propriè dictum; quia secunda intẽtio universalitatis est una numero. Per quod patet ad rationem dubitandi, distinguimus enim antec. Quod habet unitatem numeralem in primo sensu, nequit prædicari de pluribus, nego; quod habet unitatem numeralem in secundo sensu, subdistinguo; nequit prædicari de pluribus, ut id, quod prædicatur, concedo; ut id, quo aliud prædicatur, nego, & similiter disting. est conseq. Etenim id, quod prædicatur est natura, quæ in hoc secundo sensu non est una numero, sed tantùm in primo; id verò, quo natura prædicatur, seu ratio formalis qua prædicatur natura, est secunda intentio universalitatis: ad quod non obstat, quòd sit una numero, adhuc in secundo sensu, quia prædicari de pluribus multiplicat numero id, quod prædicatur; non tamen id quod est ratio prædicandi; ideoque, licet unitas numerica quæ est immultiplicabilis opponatur ei, quòd per prædicationem multiplicatur, non tamem opponitur ei, quod non multiplicatur per prædicationem.

DISP.

DISP. V.

De Genere primo prædicabili.

Loquuti sumus in præcedentibus de universali, seu prædicabili in communi, nunc autem agimus de universalibus, seu prædicabilibus in particulari, & primò de genere, quod est primum in ordine prædicabilium.

QUÆSTIO I.

An Genus rectè definiatur?

1 Pro intelligentia quæstionis supponendum est primò, quòd non loquimur in præsenti de definitione propriè, & rigorosè sumpta; quia cum hæc explicet naturam rei, illud solum, quod est propriè ens, potest definiri, non autem, quod solum secundum quid est ens, ut est genus, & quodlibet aliud prædicabile, quippe sunt entia rationis; solùm autem loquimur de definitione impropriè, & secundùm quid sumpta, sicut potest applicari entibus rationis ad similitudinem definitionis, quæ applicatur entibus realibus.

2 Supponendum est secundò, quod Porphyrius hic sic genus definivit: *Genus est, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in eo, quod quid.* Circa quam definitionem est præsens difficultas, an per illam rectè genus definiatur?

3 Dicimus; rectè definitur genus per prædictam definitionem. Conclusio est communis, & probatur; Quia illa est bona definitio, quæ constat genere, & differentia: prædicta definitio constat genere, & differentia, ergo optimè per illam definitur genus. Minor probatur expli-

plicando definitionem, nam ly *prædicatur de pluribus*, est genus; quia dicit rationem universalis, quod est genus ad quinque prædicabilia, in quo convenit genus cum aliis prædicabilibus. Cæteræ particulæ sunt differentia, nam per ly *differentibus specie*, differt genus à specie secundo prædicabili, quod prædicatur de differentibus numero. Per ly *in eo quod quid*, differt ab aliis prædicabilibus, à differentia, quæ etiam si prædicetur in *quid*, non tamen *in eo quod quid* sicut genus, sed *in quale quid*; à proprio, & accidenti, quæ non in *quid*, sed in *quale* prædicantur: ergo prædicta definitio constat genere, & differentia; ac per consequens rectè per illam genus definitur.

4 Pro maiori autem claritate, tam hujus definitionis, quam definitionum aliorum prædicabilium, observandum est, quòd particula *quid*, dicit aliquid essentiale, & particula *quale* aliquid accidentale, unde quod prædicatur in *quid*, prædicatur essentialiter, & quod prædicatur in *quale*, prædicatur accidentaliter; prædicari autem in utroque, sensu, adhuc potest provenire dupliciter, vel ex parte rei, quæ prædicatur, vel ex parte modi prædicandi. Illud dicitur prædicari in *quid* ex parte rei, quod est de essentia illius, de quo prædicatur, illud verò dicitur prædicari in *quid* ex parte modi prædicandi, quod prædicatur per modum per se stantis, seu contrahibilis; ideòque dicitur prædicari *in eo quod quid*, exemplo res fiet manifesta; animal v. g. prædicatur de homine in *quid* ex parte rei, quia animal est de essentia hominis, & etiam prædicatur in *quid* ex parte modi, quia prædicatur per modum per se stantis, & contrahibilis; ideoquè prædicatur *in eo quod quid*.

5 Illud autem prædicatur in *quale* ex parte rei, quod est extra essentiam illius, de quo prædicatur; illud autem prædicatur in *quale* ex par-

te

te modi, quod prædicatur per modum alteri adjacentis, vel contrahentis, sive in se sit de essentia, vel non, illius de quo prædicatur, quod patet exemplis, duo ultima prædicabilia, scilicet, proprium, & accidens, prædicantur in *quale* ex parte rei significatæ, quia sunt extra essentiam subiecti, & etiam prædicantur in *quale* ex parte modi prædicandi, quia prædicantur per modum alteri adjacentis: tertium autem prædicabile, scilicet differentia, prædicatur in *quale* ex parte modi prædicandi, quia prædicatur per modum alteri adjacentis, & contrahentis, licet ex parte rei significatæ prædicetur in *quid*; quia differentia est de essentia illius, de quo prædicatur; ideòque differentia dicitur prædicari in *quale quid*, ly *quale* denotante modum prædicandi, & ly *quid* rem, quæ prædicatur.

6 Arguunt 1. Definitio debet constare genere, & differentia: sed generis non datur genus, alias daretur processus in infinitum: ergo genus nequit rectè definiri. Confirmatur 1. Quia si genus definiretur per genus, esset respectu eiusdem superius, & inferius, nam jam genus in communi contineretur sub genere, per quod definiretur, & sic esset inferius; deinde, genus, quod hic definitur, cùm sit genus in communi, contineret sub se illud genus, per quod definiretur, & sic esset superius: sed nihil, respectu ejusdem, potest esse superius, & inferius: ergo genus nequit definiri. Confirmatur 2. Quia sola species constat genere, & differentia; ergo sola species potest definiri; sed genus non est species: ergo genus nequit definiri.

7 Resp. disting. min. generis non datur genus formaliter, ut tale, seu essentialiter, concedo; materialiter, seu denominativè, & accidentaliter, nego, & nego conseq. Etenim genus, quod hic definitur, est formaliter, & essentialiter genus: genus autem per quod defini-

tur,

tur, scilicet, universale, tantum est genus materialiter, denominativè, & accidentaliter per aliam secundam intentionem generis illi accidentaliter ab intellectu applicatam, ut dictum est quæst. 5. disp. antec. unde cessat processus in infinitum, nam hic solum sequeretur, si genus definiretur per genus secundum eamdem rationem; per quod patet ad primam confirmationem, nam genus est superius & inferius respectu generis per quod definitur; non secundum eamdem rationem, sed secundum diversas rationes assignatas, quod nullum est inconveniens. Ad secundam confirmationem respond. neg. minor. subsumpt. Quia genus, ut dictum est quæstione citata, est species subiicibilis, sicut & omnia alia prædicabilia respectu universalis in communi, quod est genus ad illa.

8 Arguunt 2. Prædicta definitio non differt essentialiter à definitione speciei; ergo non est bona. Prob. antec. Quia traditur per prædicari de differentibus species, & definitio speciei per prædicari de differentibus numero; sed hæc differentia est accidentalis in ratione prædicabilis; ergo definitio assignata generis non differt essentialiter à definitione speciei. Prob. min. Quia differentia subalterna prædicatur de differentibus specie, & differentia infima de differentibus numero; sed tantum accidentaliter, & non essentialiter differunt in ratione prędicabilium; ergo definitio generis tradita per prædicari de differentibus specie, non differt essentialiter à definitione speciei tradita per prædicar. de differentibus numero.

9 Resp. neg. antec. & mai. probationis distinguendo; definitio generis traditur per prædicari de differentibus specie, & definitio speciei per prædicari de differentibus numero, ita ut prædictæ definitiones denotent diversum modum prædicandi, concedo; ita ut non deno-

tent

rent diversum modum prædicaadi, nego. Disting. etiam min. talis differentia est accidentalis, quando non denotat diversum modum prædicandi, concedo; quando denotat diversum modum prædicandi, nego, & nego conseq. Similiter disting. maj. prob. differentia subalterna prædicatur de differentibus specie, & infima de differentibus numero, denotando diversum modum prædicandi, nego; non denotando, concedo, & concessa minori, neg. consequentiam.

10 Etenim, genus prædicatur, ut pars essentiæ, species autem prædicatur, ut tota essentia; quæ differentia prædicandi explicatur per definitiones generis, & speciei: nam per prædicari *in eo quod quid de differentibus specie*, datur intelligi, quod id, quod prædicatur, est tantum pars essentiæ; nam cum differentiæ specificæ addant novum gradum essentiæ, nihil potest dari speciebus commune, quod sit tota essentia illarum: per prædicari autem *in eo quod quid de differentibus numero*, datur intelligi, quod id, quod prædicatur, est tota essentia illorum, de quibus prædicatur, nam cum differentiæ individuales non addant novum gradum essentialem, necessariò, quod de individuis prædicatur *in eo quod quid*, seu per modum contrahibilis, dicit totam essentiam illorum. En quomodo definitio generis secum fert diversum modum essentialem prædicandi, ac definitio speciei. Hoc autem non contingit in differentia subalterna, & infima, nam, licèt illa de differentibus specie, & hæc de differentibus numero prædicetur, nulla tamen illarum, ut tota essentia, sed utraque, ut pars essentiæ, prædicatur de pluribus, sive specie, sive numero differant, quod est quid accidentale.

11 Arg. contra, differentia subalterna prædicatur de differentibus specie, ut pars essentiæ: ergo convenit illi definitio generis; & con-

sequenter non est bona. Resp. disting. anteced. differentia subalterna prædicatur de differentibus specie, ut pars essentialis per modum per se stantis, nego; per modum alteri adjacentis, concedo, & nego consequentias. Genus enim prædicatur ut pars essentialis, & in hoc convenit cum differentia subalterna, prædicatur autem per modum per se stantis, in quo differt ab illa, quæ differentia explicatur in definitionibus, nam genus prædicatur *in eo quod quid*, & differentia *in quale quid*. Videatur, quod dictum est num. 4.

12 Arg. contra ex Arist. cap. de substantia, ubi dicit quod secundæ substantiæ, quæ sunt naturæ superiores, significant *in quale quid*, ergo genus, quod est natura superior, significat *in quale quid*; & consequenter non differt à differentia. Confirmatur ex eodem Arist. 7. Topic. cap. 2. ubi dicit, tam genus, quàm differentiam prædicari *in eo quod quid*: ergo ex hac parte non differunt genus, & differentia. Resp. quod Arist. primo loco loquitur contra Platonem asserentem, naturas communes esse separatas, & non inclusas in singularibus, ideòque dixit, secundas substantias significare *in quale quid*, id est, esse inclusas in singularibus. Sic respondent aliqui; tamen hæc responsio non videtur sufficiens, quia *quale quid* non videtur significare naturas inclusas in singularibus; nam potius videtur significare naturam, ut sic, & ut præscindit à singularibus, ad differentiam *hoc aliquid*, quod significat naturam singularem.

13 Ideòque aliter resp. ex Angelico Præceptore, quod secunda substantia, id est, natura communis significat *in quale quid*, eò quòd in propositione prima substantia, scilicet individuum, habet rationem subjecti; secunda verò substantia rationem prædicati, & certum est, prædicatum similitudinariè habere rationem

for-

formæ, cui convenit significare per modum *quale*; non autem dicitur significare *in quale quid*, eo quod prædicetur *in quale*, seu per modum alteri adjacentis, sicut differentia. Ad secundum locum Arist. dicimus, quòd prædicari *in eo quod quid*, sumpsit Arist. pro prædicari quidditativè, seu pro eo quod id, quod prædicatur, sit de essentia illius, de quo prædicatur, quod utique convenit tam differentiæ, quàm generi, non autem sumpsit illud pro prædicari per modum per se stantis, in quo sensu sumitur in definitione generis, & per quod differt à differentia, ut sæpè dictum est.

14 Arg. 3. Genus prædicatur de differentibus genere, & etiam de differentibus numero: ergo malè ponitur in definitione prædicari de differentibus specie. Prob. antec. Quia hæ sunt veræ prædicationes: *Corpus est substantia: spiritus est substantia: Petrus est animal: Joannes est animal*: sed corpus & spiritus differunt genere; Petrus autem & Joannes differunt numero: ergo genus prædicatur de differentibus genere, & differentibus numero. Resp. disting. anteced. Quoad primam partem; genus prædicatur de differentibus genere, ut genera sunt, nego; ut species subjicibiles sunt, conc. & neg. conf. Etenim tam corpus, quàm spiritus possunt considerari, ut dicunt ordinem ad sua inferiora, & ut sic sunt genera, in quo sensu non prædicatur de illis genus substantiæ, & possunt considerari, ut dicunt ordinem ad substantiam in communi, & ut sic non dicunt rationem generis, sed rationem speciei subjicibilis, in quo sensu predicatur de illis genus substantiæ.

15 Disting. etiam antec. Quoad secundam partem, genus prædicatur de differentibus numero, immediatè, nego; mediatè, concedo, & nego conseq. Ideò enim genus prædicatur de individuis; quia prædicatur de specie, nam si animal, v.g. non prædicaretur de homine, nullate-

nus prædicaretur de individuis speciei humanæ, prædicatio autem immediata est de ratione formali universalis, non verò prædicatio mediata. Hæc argumenta non parum conducunt ad alia prædicabilia, & alia, quæ sigillatim circa alia prædicabilia proponentur, etiam ad genus suo modo conducunt.

16 Dubitabis, an prædicta definitio generis sit essentialis, & quidditativa? Resp. affirmativè: Probatur: Quia illa definitio est essentialis, & quidditativa, quæ explicat naturam, & essentiam definiti: sic se habet prædicta definitio respectu generis: ergo est essentialis, & quidditativa. Minor in qua potest esse difficultas, manet probata disp. antec. quæst. 1. ubi diximus, prædicabilitatem est essentiam universalis, qui autem dicunt, prædicabilitatem non esse essentiam universalis, sed tantùm propriam passionem illius, consequenter asserunt, prædictam definitionem esse tantùm descriptivam; unde solutio argumentorum, quæ possunt fieri contra hanc resolutionem, desumenda est ex dictis quæst. cit.

QUÆSTIO II.

An genus prædicetur de speciebus, ut pars; vel ut totum?

1 NOn inquirimus in præsenti, an genus dicat partem essentiæ, vel totam essentiam specierum, de quibus prædicatur? Inanis enim esset talis inquisitio, nam jam constat ex dictis, tantùm dicere partem essentiæ, in alio enim procedit sensu præsens difficultas; Pro cujus intelligentia notandum est, quadrupliciter posse considerari naturam genericam. Primò, ut dicit sua prædicata essentialia sine aliquo ordine, seu respectu ad aliud, & ut sic dicitur totum actuale. Secundò, ut actu simul

cum differentia ipsam contrahente constituit speciem, & ut sic dicitur pars actualis. Tertiò, ut est contrahibilis per hanc, vel illam differentiam specificam ad esse hujus, vel illius speciei, & ut sic dicitur pars potentialis. Quartò, ut est quid sub se continens plures species in potentia subjectiva ratione suæ superioritatis, & universalitatis, & ut sic dicitur totum potentiale. Hoc notato, quod inquirimus est, quæ sit ratio, propterquam genus prædicatur de speciebus.

2 Et ut certa ab incertis separemus, supponitur, ut evidens apud omnes, naturam genericam non prædicari de suis speciebus, ut totum actuale; quia prædicta natura prædicatur de speciebus, ut dicit aliquem ordinem, seu respectum ad illas, & cùm ut totum actuale, nullum respectum dicat natura generica ad suas species, sed tantùm sua prædicata essentialia, ut dictum est, sequitur evidenter, non prædicari de speciebus, ut totum actuale.

3 Aliqui tenent, naturam genericam prædicari, ut partem, vel actualem, vel potentialem, de suis speciebus, ut videre est apud Meriner. capit. de genere q. 4. Communior tamen sententia, tam apud Thomistas, quàm Scotistas, tenet naturam genericam prædicari de suis speciebus, ut totum potentiale, licet diversimodè hanc sententiam explicent.

4 Dicimus 1. claritatis gratia, genus non prædicatur de speciebus, ut pars potentialis; Prob. Quia natura generica, ut prædicatur de speciebus, dicit ordinem ad illas; sed ut pars potentialis non dicit ordinem ad species, sed tantum ad differentias; per quas est contrahibilis: ergo natura generica non prædicatur, ut pars potentialis de suis speciebus. Neque apparet quid contra hanc conclusionem possit obiici, quod aliquam vim secum afferat.

5 Dicimus 2. Natura generica prædicatur de

suis speciebus, ut totum potentiale, id est, ratio totius potentialis est propter quam natura generica prædicatur de speciebus. Pro hac conclusione adducit Merin. citat. Scotum quæst. 16. univers. & 1. Prior. quæst. 23. Etiam potest adduci ipse Scotus citatus disput. antec. qu. 6. num. 11. ubi dicit, quòd universale habet etiam unitatem numeralem, ratione cujus, est prædicabile proximè de pluribus, ex quo potest deduci hæc ratio ad probandam nostram conclusionem. Secundùm Scotum natura prædicatur de pluribus prædicatione exercita dicendo, quòd hoc est hoc, ratione illius unitatis numeralis: sed illa unitas numeralis est unitas conveniens secundæ intentioni universalitatis, ut dictum est quæst. citat. num. 13. ergo ratione secundæ intentionis universalitatis prædicatur natura de suis inferioribus: sed secunda intentio universalitatis constituit naturam inesse totius potentialis; ergo natura generica prædicatur, ut totum potentiale de suis speciebus.

6 Deinde, aliter prob. conclusio. Quia etiam si, ut natura generica prædicetur de speciebus, duo requirantur, scilicet, & quod includatur in illis, ut pars actualis, & quod concipiatur ab intellectu, ut totum potentiale, seu ut quid superius ad species, tamen inter utrumque est maxima differentia, nam quòd natura generica sit pars actualis specierum, est conditio remota, & fundamentalis ad prædicationem, quod autem concipiatur, ut totum potentiale, est conditio formalis, & proxima: ergo licet ratio partis actualis sit ratio remota prædicabilitatis; tamen ratio totius potentialis est ratio proxima. Prob. anteced. & simul consequentia. Quia secundùm illam rationem proximè convenit alicui actus secundus, secundùm quam convenit illi proximè actus primus: sed prædicatio actualis est actus secundus, & prædicabili-

litas de speciebus est actus primus: ergo secundùm illam rationem proximè prædicatur natura generica de speciebus, secundùm quam est proximè prædicabilis de illis: sed est proximè prædicabilis de illis, ut est totum potentiale: ergo ratio proxima, qua natura generica prædicatur actualiter de speciebus, est ratio totius potentialis. Minor est certa: Quia natura generica est proximè prædicabilis de pluribus ratione secundæ intentionis universalitatis, seu genereitatis; hæc secunda intentio constituit naturam in esse totius potentialis; non autem in esse partis actualis specierum, quia hoc supponitur in natura ex parte rei, tanquam fundamentum universalitatis, seu proximè prędicabilitatis: ergo natura generica est proximè prædicabilis de speciebus, ut est totum potentiale, & consequenter, ut totum potentiale prædicatur de illis, non tamen, ut pars actualis, id est, esse totum potentiale est ratio formalis, & proxima, qua natura prædicatur de speciebus, quod autem sit pars actualis illarum, tantum est ratio remota, & fundamentalis, ut prædicetur de illis.

7 Arg. 1. ex Aristot. 1. Poster. cap. 4. ubi dicit, integram definitionem, & singulas ejus partes per se prædicari de definito: sed genus est pars definitionis: ergo sentit Aristot. genus prædicari de speciebus, ut est pars illarum. Resp. neg. conseq. Quia Arist. solum intendit, partes definitionis, scilicet, genus, & differentiam, prædicari de definito, scilicet, de specie, & esse partes illius; non tamen determinat, an prædicentur, ut sunt partes speciei, an ut totum potentiale. Unde Arist. non est contra nos.

8 Arg. 2. Sub illa ratione prædicatur genus de speciebus, quæ est ratio propter quam de illis prædicatur: sed ratio partis actualis est propter quam de illis prædicatur: ergo prædi-

catur sub ratione partis actualis. Prob. min. Quia ratio, propter quam animal prædicatur de homine, & bruto; non verò de lapide, vel de ligno est, quia est pars actualis hominis, & bruti: non autem ligni, vel lapidis: ergo ratio partis actualis est propter quam natura generica prædicatur de speciebus. Resp. disting. maj. Sub illa ratione prædicatur genus de speciebus, quæ est ratio proxima, & formalis, propter quam de illis prædicatur, concedo; quæ est ratio remota, & fundamentalis, nego. Disting. etiam min. ratio partis actualis est ratio proxima, & formalis, propter quam genus prædicatur de speciebus, nego, est ratio remota, & fundamentalis, concedo, & neg. conseq. Probatio autem minoris solum convincit, necessarium esse, naturam genericam includi in speciebus, ut partem, ad hoc, ut possit prædicari de illis, quod nos etiam fatemur, non autem convincit, talem rationem partis esse proximam, & formalem rationem prædicandi, sed tantùm fundamentalem, & remotam necessariò requisitam, ut concipiatur natura generica, ut universalis, seu totum potentiale, in quo stat ratio proxima, & formalis prædicabilitatis, & prædicationis de speciebus, eo vel maximè, quòd universale est ens rationis cum fundamento in re.

9 Arg. 3. Genus differt à specie, quia hæc prædicatur completè, seu ut tota essentia; illud verò incompletè, & ut pars essentię: ergo genus prædicatur ut pars. Respond. disting. antec. ly *completè*, vel *incompletè*, ut *tota essentia*, vel ut *pars essentiæ* denotantibus id, quod prædicatur, seu rationem fundamentalem, & remotam prædicabilitatis, & prædicationis, concedo; denotantibus rationem formalem, & proximam, nego. Similiter disting. conseq. genus prædicatur, ut pars, ly *ut pars* denotante id, quod prædicatur, seu rationem fundamentalem prædicabilitatis, & prædicationis, concedo; denotante

ra-

rationem formalem, & proximam, nego. Hæc solutio clarius patet ex dictis.

10 Argum. 4. Totum potentiale dicitur, quod sub se comprehendit plures species: sed ut comprehendit sub se plures species, non prædicatur prædicatione actuali: ergo non prædicatur, ut totum potentiale. Minor probat. Quia non valet dicere: *Homo est animal, ut animal comprehendit sub se hominem, & brutum*: ergo non prædicatur, ut sub se comprehendit plures species. Confirmatur; Quia natura generica, in prædicatione actuali, amittit universalitatem: ergo non prædicatur, ut universalis, seu ut totum potentiale.

11 Respondet. disting. min. Natura generica non prædicatur actualiter, ut sub se comprehendit plures species, ita ut id, quod prædicatur, reduplicativè, ut prædicatur, non dicat plures species, concedo; ita ut comprehendere sub se plures species, non sit ratio proxima, & formalis prædicandi de illis nego, & neg. conseq. Probatio autem minoris solum convincit in primo sensu distinctionis, non tamen in secundo. Ex hoc resp. ad confirmationem, distinguit antecedent. Amittit universalitatem, reduplicativè, ut prædicata, concedo; ita ut ratio proxima, & formalis, qua prædicatur, non sit universalitas, nego, & disting. conseq. Non prædicatur, ut universalis, ita ut id, quod prædicatur, reduplicativè, ut prædicatum, non remaneat universale, concedo; ita ut ratio proxima, & formalis, qua prædicatur, non sit universalitas, nego. Recolantur, quæ diximus disput. anteced. quæst. 6. à num. 8.

12 Arg. 5. Natura, ut fiat universalis debet abstrahi ab inferioribus, & ad illa comparari: sed nequit natura sic abstracta, & comparata, prædicari de inferioribus: ergo non prędicatur de illis, ut universalis, seu ut totum potentiale: Pro. min. Quia, ut aliquid prædicetur de alio, debet actu

 esse

esse in illo: sed natura abstracta, & comparata ad inferiora, non est actu in illis: ergo natura sic abstracta, & comparata, nequit prædicari de inferioribus. Confirmatur; Quia ab eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa: sed quando prædicatur natura generica de speciebus, affirmatur, quod sit inclusa in illis tanquam pars: ergo prædicatur, ut pars.

13 Respondet. distinguit. min. nequit natura abstracta, & comparata ad inferiora, prædicari de illis, ita quod id quod prædicatur, prædicetur reduplicativè, ut abstractum, & comparatum, concedo; Quia ut sic prædicaretur de inferioribus ratio universalitatis, seu totius potentialis, quæ provenit naturæ ab abstractione, & comparatione, quod nullatenus evenit, ita quod ratio proxima, & formalis, qua prædicatur, non proveniat naturæ ab abstractione, & comparatione, nego. Similiter disting. conseq. non prædicatur, ut universalis, seu ut totum potentiale, ita ut id, quod prædicatur, sit ratio universalitatis, seu totius potentialis, concedo; ita ut ratio universalitatis, seu totius potentialis non sit ratio proxima, & formalis, qua prædicetur, nego. Distinguit. etiam major. probat. minoris; Ut aliquid prædicetur, debet esse actu in illo de quo prædicatur, absolutè loquendo, concedo; ut dicit statum, ratione cujus, est prædicabile proximè, & prædicatur, nego; disting. etiam min. Natura abstracta, & comparata ad inferiora non est actu in illis, absolutè loquendo, nego; reduplicativè, ut dicit abstractionem, & comparationem, ratione cujus, est proximè prædicabilis, & prædicatur de pluribus, concedo. Etenim, absolutè loquendo natura, quæ abstrahitur, & fit universalis, est in illis, de quibus prædicatur, quod est fundamentum, ut concipiatur, ut prædicabilis de pluribus, seu ut per intellectum fiat universalis,

lis, ut autem dicit hanc universalitatem, non est in pluribus actualiter, nam aliàs quodlibet ipsorum esset universale, haberet enim naturam cum universalitate, quod nullatenus dicendum est; cum autem universalitas tribuat naturæ prædicabilitatem proximam de pluribus, quam non habet natura, ut est actu in inferioribus, nam sicut tantùm habet universalitatem remotam, seu fundamentalem, ita tantùm habet prædicabilitatem remotam: ideò dicimus, quod licet utrumque requiratur, ut prædicetur de pluribus, tamen actu esse in illis tanquam pars, tantùm est ratio fundamentalis, & remota, ut prædicetur, & quod concipiatur, ut universalis, seu ut totum potentiale, est ratio proxima, ut prædicetur.

14 Ex hoc facilè resp. ad confirmationem; concessa enim maj. & min. neg. conseq. verum enim est, quod quando prædicatur natura generica de speciebus, affirmatur, esse in illis tanquam pars; non autem sequitur ex hoc, rationem formalem, & proximam prædicandi de speciebus, esse rationem partis, nam benè stat, quod id, quod prædicatur sit pars, & prædicetur sub ratione totius, modo jam dicto.

QUÆSTIO III.

Quomodo genus prædicetur de individuis?

1 PRo intelligentia quæstionis supponendum est, individua esse in duplici differentia, alia dicuntur individua incompleta, & generica, ut sunt rationes genericæ considerata, ut contractæ per differentiam individualem; absque aliqua differentia specifica, v. gr. *Hoc animal*; *hoc corpus*, *&c.* quæ quidem individua, nec dantur, nec dari possunt à parte rei, sed tantum per considerationem intel-

lectus; nam quodlibet individuum existens, vel potens existere, est alicujus speciei determinatæ. Alia dicuntur individua completa, & specifica, ut sunt rationes specificæ contractæ per differentias individuales, ut *Petrus, Joannes, &c.* quæ individua dantur, vel possunt dari à parte rei. In utroque sensu prædicatur genus de individuis; hæ enim prædicationes sunt veræ: *Petrus est animal; hoc animal est animal*. Nunc autem est difficultas, quomodo prædicetur genus de individuis in prædictis prædicationibus.

2 Dicimus 1. Natura generica prædicatur de individuis genericis, & incompletis immediatè, & prædicatione specifica, non autem generica. Prob. 1. pars; Quia individuum genericum, & incompletum nullam dicit differentiam mediam inter naturam genericam, & differentiam individualem, ut dictum est: ergo non prædicatur genus de illo media alia prædicatione correspondente speciei, sed immediatè.

3 Probat. 2. pars; Quia illud prædicatur prædicatione specifica, quod dicit totam essentiam illorum, de quibus prædicatur: sed quando natura generica prædicatur de individuis incompletis, dicit totam essentiam illorum, nam ut dictum est, prædicta individua tantùm includunt naturam genericam, quæ est de essentia illorum, & differentiam individualem, quæ non addit novum gradum essentiæ: ergo genus, seu natura generica prædicatur de individuis genericis, & incompletis prædicatione specifica. Facilè solves quælibet argumenta, si semper præ oculis habeas, quod talia individua solum habent esse in intellectu, quatenus potest concipere gradum genericum, & individuationem, non conceptis gradibus specificis; & similiter, quod gradus genericus tantum est indifferens, ut contrahatur per differentias specificas, si secundum se consideretur; non autem si consideretur, ut contractum per indivi-

dua-

duationem, ut consideratur in individuis genericis, & incompletis. Denique, quod quando dicimus, genus prædicari de individuis genericis prædicatione specifica, non intendimus, quod genus sit species; sed quod in tali casu imitetur speciem in prædicabilitate, seu quod habet modum speciei prædicabilis, licet aliquando non habeat modum speciei subiicibilis, ut contingit, quando genus supremum prædicatur de prædictis individuis, ut cùm dicimus: *Hæc substantia est substantia*, nam genus supremum non continetur sub aliquo alio genere, & sic non imitatur speciem, ut subiicibilem, neque constat genere, & differentia; quia hoc est proprium speciei, ut subiicibilis.

4 Dicimus 2. Natura generica prædicatur de individuis completis, & specificis mediatè, & prædicatione generica. Probat. prima pars, quia illa est prædicatio mediata, in qua inter subjectum, & prædicatum mediat aliquid, quod est superius respectu subjecti, & inferius respectu prædicati hujusmodi est prædicatio generis de individuis completis, & specificis, nam in hac prædicatione, v.g *Petrus est animal*, ideo animal prædicatur de Petro, quia mediat homo, qui est inferior, respectu animalis, & de illo animal prædicatur immediatè, & est superior respectu Petri, & prædicatur immediatè de Petro: ergo natura generica mediatè prædicatur de individuis completis, & specificis.

5 Prob. 2. pars, quia illa est prædicatio generica, in qua prædicatum dicit partem essentiæ illius, de quo prædicatur, & prædicatur *in eo quod quid*: sed genus prædicatur *in eo quod quid* de individuis specificis, & dicit tantùm partem essentiæ illorum; nam prædicta individua, præter naturam genericam, includunt differentiam specificam, quæ etiam est de illorum essentia: ergo natura generica prædicatur de individuis completis, & specificis prædicatione generica.

6 Arg.

6 Arg. contra; Unum prædicabile tantum habet unicum terminum: sed genus in ratione prædicabilis, habet species pro termino: ergo non individua specifica, & consequenter non prædicatur de illis prędicatione generica. Resp. disting. maj. Unum prædicabile tantum habet unicum terminum immediatum, concedo; mediatum, vel immediatum, nego. disting. etiam min. Genus habet species pro termino immediato, concedo; pro termino adæquato, seu excludente alium terminum, neg. Similiter disting. conseq. genus non habet individua specifica pro termino immediato, concedo; pro termino mediato, nego. Aliter potest responderi distinguendo totum argumentum; unius prædicabilis tantum est unicus terminus, si pluralitas terminorum variet modum prædicandi, concedo, si non variet, nego. Species enim, & individua specifica non variant rationem prędicandi in natura generica, nam de omnibus prædicatur *in eo quod quid*, dicens tantum partem essentiæ illorum, licet de speciebus immediatè, & de individuis mediatè prædicetur; quod in simili diximus disp. præsenti quæst. 1. n. 9. scilicet; quod differentia infima, & subalterna non constituūt nisi unicum prædicabile, quia servant eamdem rationem formalem prædicandi, licet una de differentibus numero, & altera de differentibus specie prædicetur, nam hæc differentia per accidens se habet ad rationem prædicabilis.

7 Dubitabis, an genus eadem numero relatione prædicabilitatis respiciat species, & illarum individua. Resp. diversam esse relationem prædicabilitatis, qua genus respicit species, ab illa, qua respicit individua. Probatur, quia nullum majus signum distinctionis, quàm separatio: sed prædicabilitas, qua genus respicit species potest separari à prædicabilitate, qua respicit individua specierum: ergo prædictę prędicabilitates sunt diversæ, seu distinctæ. Minor

in

in qua est difficultas, non melius potest probari, quam attendendo ad ipsam naturam prædicabilitatis, quæ ut suo loco dictum est, est ens rationis, seu relatio rationis; nunc sic: ex parte entis rationis solum datur, quod habet esse objectivè in intellectu: sed potest habere esse objectivè in intellectu relatio prædicabilitatis, qua genus respicit species, quin habeat esse objectivè in intellectu relatio prædicabilitatis, qua respicit individua specierum: ergo potest una prædicabilitas dari sine alia. Minor videtur certa; nam quis dubitat, posse intellectum comparare naturam genericam ad species, & apprehendere illam, ut prædicabilem de speciebus, quin ipsam comparet ad individua specierum, & quin illam apprehendat prædicabilem de talibus individuis? Eo vel maximè, quod intellectus potest concipere quemcumque gradum metaphysicum, quin alterum concipiat: sed in tali casu haberet esse objectivè in intellectu relatio prædicabilitatis, qua genus prædicatur de speciebus, quin haberet esse objectivè in intellectu relatio prædicabilitatis, qua genus respicit individua specierum; ergo potest una habere esse objectivè in intellectu, quin tale esse habeat altera: ergo prædictæ relationes prædicabilitatis possunt separari, & consequenter sunt relationes, saltim numero distinctæ.

8 Advertendum tamen est, quod relatio prædicabilitatis, quam dicit genus ad invidua specierum, supponit relationem prædicabilitatis, quam dicit ad species, eo quod hæc est immediata; & illa mediata, sed hoc nullatenus opponitur dictis.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Quomodo genus contineat differentias?

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est, quod hæc tria: *Esse aliquid, continere aliud*, & *includere aliud*, inter se differunt; nam *esse aliquid* denotat, non esse distinctum ab illo; *continere aliud* denotat, habere illud, vel in potentia effectiva, ut causa efficiens continet suos effectus, vel in potentia materiali, ut materia continet formas, vel in potestate, ut superius continet inferiora: *Includere aliud* denotat imbibere illud in sua quidditate, seu essentia, ut species includit genus, & differentiam. Hoc notato, & quod genus potest sumi, ut totum, tam potentiale, quam actuale, & ut pars, tam actualis, quam potentialis, ut dictum est quæst. 2. hujus disp. num. 1. non est difficilis resolutio quæstionis. Igitur

2 Dicimus 1. Natura generica, in quocumque sensu sumatur, non includit differentias in suo conceptu formali. Probatur, quia si natura generica includeret differentias in suo conceptu formali, ubicumque inveniretur natura generica, invenirentur etiam omnes differentiæ, quas includeret; sed omnes differentiæ non inveniuntur ubi invenitur natura generica; ergo non includit illas in suo conceptu formali. Patet major; nam ubicumque aliquid invenitur, invenitur etiam quidquid est de suo conceptu formali. Minor est certa; nam natura generica, v. g. animal invenitur in homine; in quo non inveniuntur differentiæ aliarum specierum animalis, alias homo esset simul rationale, & irrationale, quod est falsum, unde tenet consequentia.

3 Dicimus 2. Si natura generica consideretur, ut totum actuale, nullatenus continet

diffe-

differentias. Probatur, quia natura generica, ut totum actuale, tantùm dicit sua prædicata essentialia sine aliquo respectu ad differentias: ergo nullatenus illas continet.

4 Dicimus 3. Natura generica, si consideretur, ut totum potentiale, continet differentias potestativè; seu ut superius inferiora, quod intelligendum est, si differentiæ sumantur in concreto, & pro connotato, non tamen si sumantur in abstracto, & pro formali. Prob. 1. pars, quia differentiæ sumptæ in concreto, & pro connotato, idem significant, ac species, nam in hoc sensu, idem est dicere, *rationale*, v. g. *ac homo*; unde sicut ista prædicatio est vera: *Homo est animal*, similiter ista: *Rationale est animal*: sed natura generica continet species potestativè, seu ut superius inferiora: ergo similiter continet differentias in prædicto sensu.

5 Prob. 2. pars, quia differentiæ in abstracto, seu pro formali tantùm dicunt rationes contractivas generis, & nullatenus in sua ratione formali includunt genus, ideoque non potest genus de illis prædicari; hæc enim prædicatio est falsa: *Rationalitas est animal*: sed natura generica solùm continet potestativè illa, in quibus essentialiter includitur, ideòque de illis potest prædicari, ut contingit in speciebus: ergo natura generica non continet, ut totum potentiale in sua superioritate, seu potestate differentias in hoc sensu sumptas. Adverte tamen, quòd natura generica, ut totum potentiale, potest dici, continere differentias in sua potestate, adhuc si sumantur in hoc secundo sensu, si non directè, sed indirectè hoc intelligatur, ut patebit in arbore prædicamentali, in quo differentiæ sub genere collocantur, sed non in recta linea, sed in directa.

6 Dicimus 4. Natura generica nullatenus continet differentias in genere causæ efficientis. Probatur, quia continentia in genere cau-

causæ efficientis dicit potentiam ad producendum; sed natura generica nullatenus potest producere differentias: ergo nullatenus illas continet in genere causæ efficientis.

7 Dicimus 5. Si natura generica consideretur, ut pars potentialis, continet differentias ad modum causæ materialis. Probatur, quia materia prima dicitur continere formas; quia est determinabilis per illas ad esse hujus, vel illius compositi: sed natura generica, ut pars potentialis, est determinabilis per differentias ad esse hujus, vel illius speciei: ergo continet illas ad modum causæ materialis.

8 Dicimus 6. Natura generica, ut pars actualis, est idem realiter cum differentia constitutiva speciei, distinguitur tamen formaliter ab illa. Conclusio quoad primam partem est communis in omni schola; nam genus, & differentia identificantur ratione tertii, quod constituunt: sed natura generica, ut pars actualis, constituit speciem simul cum differentia: ergo ut pars actualis est idem realiter cum differentia. Ex quo sequitur, quòd natura generica in nullo alio sensu est idem realiter cum differentia; quia in nullo alio sensu constituit speciem simul cum illa. Sequitur etiam, quòd natura generica, ut simul cum una differentia constituit unam speciem, distinguitur realiter ab aliis differentiis constituentibus alias species, licet non ratione sui, sed ratione differentiæ, cum qua talem speciem constituit. Hoc patet ex dictis loquendo de unitate formali.

9 Secunda pars conclusionis est communis consensus Scotistarum, & manet probata loquendo de distinctione formali. In nullo alio sensu, præter supradictos, est idem, vel includit, vel continet natura generica, quomodocumque sumatur, differentias, ut patebit scrutanti per rationes identitatis inclusionis, & continentiæ supra positas.

10 Pro

10 Pro complemento disputationis, dubitabis 1. An natura generica possit conservari in unica specie? Resp. Quòd genus potest conservari in unica specie actuali, dummodo aliæ species sint possibiles, non tamen si repugnent. Hoc manet probatum disp. antec. quæst. 6. à num. 4. Ubi diximus naturam, ut concipiatur tanquam universalis, requirere plura inferiora, ad minus possibilia, eadem enim est ratio hic, & ibi. Adverte tamen, quod natura generica, ut dicit sua prædicata essentialia, benè possit conservari in unica specie, licèt aliæ species repugnarent, sed tunc natura non esset genus, neque universalis, adhuc fundamentaliter, quia ut ibi dictum est, solùm natura cui non repugnat multiplicitas, potest denominari universalis, seu est fundadamentum universalitatis.

11 Dubitabis 2. An compositio metaphysica inter genus, & differentiam sit à parte rei, vel per intellectum: Respond. talem compositionem esse à parte rei, absque aliqua intellectus operatione. Probatio hujus resolutionis desumitur ex quæst. de distinctione formali, inter genus, & differentiam, nam cùm compositio sit distinctorum unio, eo modo, quo fuerit distinctio, & unio erit compositio: sed in nostra sententia, ex natura rei distinguuntur formaliter genus, & differentia, & ex natura rei realiter uniuntur, licet non unione physica, sed unione metaphisica: ergo compositio metaphysica illorum est à parte rei, & non per rationem intellectus. Argumenta solùm intendunt probare, genus, & differentiam non distingui ex natura formaliter, sed per intellectum, quæ loquendo de distinctione formali, manent soluta.

12 Dubitabis 3: Quomodo intelligitur illud commune proloquium Philosophorum, *Genus sumitur à materia, differentia verò à forma*? Resp. 1. Non intelligi, ita ut ratio generis sumatur præcisè à materia prima, & ratio differen-

tiæ à forma substantiali, quia tam ratio generis, quàm differentiæ desumuntur à tota entitate compositi, secundùm diversas formalitates, nam genus sumitur à formalitatibus potentialibus, contrahibilibus, & differentia à formalitatibus actuantibus, & contrahentibus. Probatur, nam homo, v. gr. non constituitur in ratione generica, scilicet in ratione animalis, quia habet materiam primam: ergo ratio generica non desumitur in homine à materia prima. Prob. anteced. Quia etiam lapis, v. gr. habet materiam primam ejusdem speciei cum materia hominis: sed in lapide non invenitur ratio generica animalis: ergo neque in homine ratio generica animalis desumitur à materia prima.

13 Si autem dicas, non desumi à materia prima, ut sic, sed ut est determinata per formam hominis; nihil contra nos, imò pro nobis; nam materia prima, ut contracta per formam hominis, dicit totam entitatem hominis: ergo non à materia prima, sed à tota entitate hominis desumitur ratio generica animalis. Confirmatur, quia ratio generis invenitur in carentibus materia prima, ut sunt Angeli; nam habent rationem genericam substantiæ, & spiritus; ergo ratio generis non desumitur à materia prima.

14 Resp. 2. Tale proloquium intelligi similitudinariè; nam sicut materia prima est quid potentiale, & determinabile per formam substantialem, & forma substantialis est quid actuans, & determinans materiam primam, ita ratio generica est quid actuabile, determinabile, & contrahibile per differentiam specificam, & differentia specifica est quid actuans, determinans, & contrahens rationem genericam.

DISP.

DISP. VI.

De Specie secundo prædicabili.

SPecies est in ordine secundum prædicabile; quam non solùm, ut prædicabilem definivit Porphyrius in hoc capite, his verbis: *Species est, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid*; sed etiam, ut subjicibilem, his verbis; *Species est id, quod subjicitur generi, & de quo genus in eo quod quid prædicatur.* Prima definitio solum convenit speciei infimæ, quæ propriè constituit hoc prædicabile, secunda verò convenit, tam speciei infimæ, quàm subalternæ.


Ad cognoscendum autem, quænam sit species infima, & quænam subalterna, disposuit Porphyrius coordinationem prædicamentalem in quolibet prædicamento, in qua coordinatione ponitur genus supremum, & est illud, quod supra se non habet aliud genus, & ponitur species infima, & est illa, quæ sub se non habet alias species; quæ autem ponuntur inter genus supremum, & speciem infimam, habent duos respectus; unum ad superius, & in hoc sensu dicuntur species, & dicuntur subalterna; quia possunt dividi in alias species, & alterum ad inferiora, & in hoc sensu dicuntur genera; quia sunt prædicabilia de differentibus specie in eo quod quid, & omnia genera, præter supremum, & infimum, quod est illud, quod ponitur immediatum speciei, dicuntur genera intermedia; quia mediant inter genus supremum, & infimum, & dicuntur genera subalterna; quia possunt dividi in alia genera; ex quo sequitur, quòd genus supremum tantùm habet unum respectum, scilicet ad inferiora, in coordinatione prædicamentali, & quod species infima licet, ut prædicabili de individuis, dicat

ordi-

ordinem ad illa; tamen, ut collocatur in coordinatione prædicamentali, tantùm dicit ordinem ad superiora, quia talis coordinatio solum constat prædicatis essentialibus, & certum est, individua super speciem nullum gradum, seu prædicatum essentiale addere, & licet individuum ponatur in coordinatione prædicamentali, non ponitur, ut quid ad ipsam essentialiter pertinens, sed ut fundamentum illius, eo quod includit omnia prædicata essentialia, & hæc in illo ultimatè sistunt, sed hoc reducitur ad quæstionem de nomine.

Omne quod dictum est invenies in sequenti figura, quę dicitur, series, coordinatio, seu arbor prædicamentalis; & ponimus exemplum in prædicamento substantiæ, in qua figura tres lineas invenies, in recta, seu media sunt genera, & species à genere supremo usque ad speciem infimam, in dextera sunt propriæ, & positivæ differentiæ, quæ dividunt gradum superiorem, & constituunt inferiorem; in sinistra sunt differentiæ negativæ, quæ ponuntur loco aliarum differentiarum, quæ dividunt gradum superiorem, & constituunt alias species, & repugnant gradui inferiori, qui ponitur in recta linea. Individuum ponitur pro fundamento arboris.

ARBOR



ARBOR PRÆDICAMENTALIS
Subſtan tia
Corpo rea
Incorpo rea
Diuiſiua
Diuiſiua
Conſtitutiua
Repugnat
Corpus
Anima tum
inanima tum
Diuiſiua
Diuiſiua
Conſtitutiua
Repugnat
Viuens
Senſibi le
Inſenſi bile
Diuiſiua
Diuiſiua
Conſtitutiua
Repugnat
Animal
Rationa le
Irationa le
Diuiſiua
Diuiſiua
Conſtitutiua
Repugnat
Homo
Socrates
Hic Homo

QUÆSTIO I.

Utrùm species rectè definiatur à Porphyrio.

1 Dicimus 1. Species prædicabilis rectè definitur à Porphyrio. Probatur, & declaratur definitio, sicut definitio generis; nam ly *prædicatur de pluribus* est genus, in quo convenit species cum aliis prædicabilibus. Cæteræ particulæ sunt differentiæ; nam per ly *de differentibus numero* differt à genere, quod prædicatur de differentibus specie, & per ly *in eo quod quid* differt ab aliis prædicabilibus, ut dictum est loquendo de genere: ergo prædicta definitio constat genere, & differentia, & consequenter est recta. Est etiam essentialis, propter dicta de definitione generis.

2 Plura argumenta huc pertinentia, & similiter ad alia prædicabilia, discussa manent disp. antec. Idiòque, neque hic, neque in disputationibus aliorum prædicabilium, illa proponemus, ne quod semel dictum est pluries repetatur.

3 Argues tamen primò specialiter, sicut genus prædicatur, ut pars essentiæ de speciebus, ita species prædicatur, ut pars essentiæ de individuis, nam sicut species, præter naturam genericam, dicunt differentias specificas, ita individua præter naturam specificam, dicunt differentias numericas; ergo non rectè assignatur differentia inter genus, & speciem, cùm dicitur, genus prædicari de speciebus, ut pars essentiæ, & species de individuis, ut tota essentia. Resp. neg. antec. quia licet verum sit, ut ibi dicitur, individua dicere differentias individuales, præter naturas specificas, sicut species dicunt naturas specificas, præter naturam genericam, est tamen maxima differentia, scilicet, quod differentiæ specificæ pertineant ad quidditatem, & essen-

essentiam, ideoque ad interrogationem; *quid est*? Resp. per illas, ut si inquiratur, *quid est homo*? Benè resp. *animal rationale*, differentiæ vero individuales non pertinent ad quidditatem, & essentiam, nam non respondetur per illas ad prædictam interrogationem, nam cùm inquiritur; *quid est Petrus*? solum resp. *animal rationale*.

4 Ratio autem cur differentiæ individuales non pertinent ad essentiam, est quia solum dicitur de essentia alicujus quod se habet in illo tanquam radix & origo alicujus, specialis passionis; vel operationis, quod non habent differentiæ individuales: nam omnes passiones, & operationes speciales cōveniunt individuis ratione differentiæ specificæ, differentiæ autem individuales tantū sunt determinationes naturæ specificæ, ut existere, & suas operationes exercere valeat.

5 Arg. 2. Species prædicatur de differentibus specie; ergo non benè definitur per prædicari de differentibus numero. Prob. antec. quia hæ sunt veræ prædicationes; *homo est species*: *equus est species*: sed in illis prædicatur species de homine, & equo, qui differunt specie: ergo species prædicatur de differentibus specie. Resp. dist. antec. species prædicatur de differentibus specie, si ly *species* sumatur pro natura, quæ est species, nego; si sumatur pro denominatione speciei, concedo, & neg. conseq. In prædictis autem prædicationibus non prædicatur natura, quæ est, seu denominatur species, v. gr. *homo*; sed tantum prædicatur denominatio speciei, unde prædictæ prædicationes pertinent ad quintum prædicabile, scilicet ad accidens, quia denominatio speciei accidentaliter, & contingenter convenit homini, & equo.

6 Dicimus 2. Definitio speciei subjicibilis tradita à Porphyrio, est exacta. Prob. quia genus, & species subjicibilis sunt correlativa: sed unum correlativum benè definitur in ordine

ad aliud: ergo benè definitur species subiicibilis per hoc, quod sit, quæ subiicitur generi.

7 Arg. 1. Unum correlativum nequit definiri per aliud, sed genus, & species subiicibilis sunt correlativa: ergo nequit species subiicibilis definiri per genus. Prob. maior. quia definitio debet esse clarior, & notior suo definito, sed correlativa sunt æquè nota: nam sunt simul natura cognitione, & definitione; ergo unum correlativum nequit definiri per aliud. Confirmatur, quia in hac definitione, & definitione generis committeretur circulus vitiosus; nam genus definiretur per speciem, & species per genus, quod non est dicendum. Resp. disting. maior. unum correlativum nequit definiri per aliud, tanquam per quid extrinsecè connotatum: nego, tanquam per partem essentialem, conc. Ad prob. dicimus, quod definitio non debet esse clarior suo definito, secundum id, quod dicit de connotato; nam sufficit, quod absolutè sumpta sit aliquomodo clarior, & notior suo definito, quod contingit in omnibus definitionibus relativorum, ut scrutanti patebit; hæc enim definitio, v. gr. *Pater est, qui habet filium*, absolutè sumpta, clarior est suo definito; licet id, quod dicit de connotato, scilicet filius, non sit notior patre, eo quod patet, & filius sunt correlativi. Per quod patet ad confirmationem, nam circulus solum est vitiosus, & vitandus circa id, quod dicunt definitiones, ut quid essentiale: non tamen circa id, quod tantùm dicunt de connotato. Ad alia argumenta similia similiter respond.

8 Arg. 2. Individua etiam subiiciuntur generi; ergo non benè definitur species subiicibilis per hoc, quod generi subiiciatur. Resp. disting. antec. individua subiiciuntur generi, ut dicunt naturas universales: nego, ut sunt individua, concedo: est dicere, individua, ut individua, non dicunt naturas universales, quando

sub-

subiiciuntur generi, ut in his prædicationibus; *Petrus est animal: Joannes est animal*, sed dicunt reduplicativè naturas singularizatas; unde nego conseq. quia in definitione speciei subiicibilis, ly *quod subiicitur*, denotat naturam universalem, quod non fuit necessarium explicari in definitione, quia sufficienter datur intelligi, ex eo quod Porphyrius, ipsam tradens, solùm loquebatur de prædicabilibus, quæ sunt naturæ universales.

9 Quia Porphyrius sic definivit speciem subiicibilem; *Species est id; quod subiicitur generi & de quo genus in eo quod quid prædicatur*, insurgit quoddam dubium: an prædictis verbis, unam tantum, vel duas definitiones tradiderit, quarum una sit quidditativa, & altera descriptiva; Resolutio unius dubii dependet ex dictis circa essentiam universalis; nam qui dicunt aptitudinem ad essendum in multis esse essentiam universalis; aptitudinem vero ad prædicari esse propriam passionem illius; consequenter hic dicunt, in prædictis verbis contineri duplicem definitionem, alteram essentialem, scilicet: *Species est id, quod subiicitur generi*, & alteram descriptivam, scilicet: *Species est id, de quo genus in eo quod quid prædicatur*, qui autem tenent, essentiam universalis consistere in aptitudine ad prædicari, aptitudinem vero ad essendum esse propriam passionem illius, consequenter dicunt, primam definitionem esse descriptivam, secundam verò quidditativam.

10 Nos verò, cùm dixerimus, essentiam universalis consistere, tam in aptitudine ad essendum in multis, quam in aptitudine ad prædicari de illis, & ita definitionem universalis esse unicam, licet diversis verbis tradatur, scilicet, jam per unam, jam per aliam aptitudinem, consequenter dicimus in præsenti, prædictis verbis tantum tradidisse Porphyrium

unicam, & essentialem definitionem speciei subiicibilis, licet diversis verbis; eadem enim est ratio hic, & ibi. Cui resolutioni videtur favere Scotus, dum quæst. 21. Univers. *Vers. Hoc potest concedi*, circa prædicta verba Porphyrii, inquit: *Hoc potest concedi, & dici, quod tantùm ponit unam definitionem in comparatione ad genus.*

QUÆSTIO II.

De specie prædicabili, & subiicibilis inter se comparatis.

1 PLura sub hoc titulo in hac quæstione breviter se offerunt examinanda; quæ per sequentes conclusiones proponemus. Igitur, dicimus primò; nomen *species* est æquivocum, sive analogum ad speciem prædicabilem, & subiicibilem. Quòd sit æquivocum, patet ex eo quòd tale nomen est commune utrique speciei; ratio verò significata est diversa in illis, ut ex se patet: ergo nomen *species* est æquivocum respectu speciei subiicibilis, & prædicabilis.

2 Quod etiam possit dici nomen analogum, patet ex eo quòd, licet species subiicibilis, & prædicabilis nullam proportionem dicant inter se, dicunt tamen proportionem ad unum tertium, scilicet, ad speciem, ut significat pulchritudinem physicam, & realem propriè, & inde translatum est ad significandam similitudinariè pulchritudinem Logicam, ut est species tam subiicibilis, quam prædicabilis, respectu inferiorum, & superiorum; ergo nomen *species* est analogum ad speciem prædicabilem, & subiicibilem. Consequentia patet, quia licet urina; & medicina nullam proportionem dicant inter se, tamen nomen *sanum* dicitur analogicè de illis, eo quòd dicant proportionem ad unum tertium,

tium, scilicet, ad animal, in quo propriè reperitur sanitas.

3 Dicimus 2. Species, ut prædicabilis, est universalis, & constituit hoc secundum prædicabile; non autem, ut subiicibilis. Prima pars conclusionis patet, quia species est universalis, ut dicit ordinem ad plura: sed species, ut prædicabilis, dicit ordinem ad plura: ergo ut prædicabilis est universalis: sed ut est universalis constituit hoc secundum prædicabile: ergo ut prædicabilis constituit illud. Ex quo patet etiam secunda pars, quia species, ut subiicibilis, non respicit plura, sed unum, scilicet genus: ergo ut subiicibilis non est universalis.

4 Arg. 1. Species subiicibilis respicit plura, & prædicatur de illis; ergo species, ut subiicibilis est universalis. Antecedens patet, nam prædicatur de pluribus speciebus subiicibilibus. Resp. disting. antec. Si species subiicibilis sumatur pro natura, quæ est species, nego; nam homo est species subiicibilis, & non prædicatur de pluribus speciebus subiicibilibus, si sumatur pro ratione formali speciei subiicibilis, subdistinguo, prædicatur de pluribus speciebus subiicibilibus, ut species subiicibilis est, id est, ita ut ratio subiicibilitatis sit ratio prædicabilitatis de illis pluribus, nego; prædicatur de pluribus speciebus subiicibilibus ratione secundæ intentionis prædicabilitatis illi de novo accidentaliter applicata, conc. & neg. conseq. Homo enim prædicatur de pluribus individuis, sed non ita, ut ratio essentialis hominis sit ratio talis prædicationis, nam talis ratio solum est secunda intentio prædicabilitatis illi per intellectum applicata, sic similiter in nostro casu. Videantur, quæ diximus disp. 5. quæst. 2.

5 Arg. 2. inferius essentialiter participat rationem superioris; species subiicibilis est inferior respectu universalis; ergo ut subiicibilis est formaliter universalis. Resp. neg. conseq.

Solùm enim probat argumentum, speciem subiicibilem esse universalem, non tamen esse universalem, ut subiicibilem.

6 Dices contra, in tantum species est universalis, in quantum participat suum genus: sed participat suum genus, in quantum illud respicit, & ut sic est subiicibilis; ergo ut subiicibilis est universalis. Resp neg. min. nam potius evenit è contrario, scilicet, quod in tantum respicit suum genus, in quantum illud participat, prius enim est, quod homo participet rationem animalis, quam quod sit formaliter species subiicibilis respectu animalis, ut animal genus, quia fundamentum est prius relatione, & fundamentum, ut homo sit species animalis, & illi subiiciatur, ut generi, est quod participet rationem animalis; similiter contingit in nostro casu, prius enim est, quod species participet suum genus, scilicet universale, quam quod illi subiiciatur, ut generi, nam talis participatio se habet ut fundamentum secundæ intentionis subiicibilitatis.

7 Arg. 3. Species, ut subiicibilis, non est singularis; ergo ut subiicibilis est universalis. Resp. 1. neg. conseq. Quia licet verum sit, speciem, ut subiicibilem, non esse singularem, non inde sequitur, quòd ut subiicibilis, sit universalis, quia cum reduplicatio sit ratio formalis, propter quam alicui aliquid convenit, & subiicibilitas non sit ratio formalis, qua species constituitur in esse universalis, hinc est, quod species, ut subiicibilis, non est universalis; licet non sit singularis; neutrum enim convenit illi ratione subiicibilitatis; verum enim est, ut amplius patebit ex dicendis, quod natura, quæ dicitur species subiicibilis præsuppositivè est universalis, saltim fundamentaliter.

8 Secundò potest resp. disting. conseq. species, ut subiicibilis est universalis formaliter,

ut

ut talis, nego; fundamentaliter, ita ut possit fundare aliam secundam intentionem prædicabilitatis de pluribus speciebus subiicibilibus, ut dictum est ad primum ad argumentum, concedo:

6 Dicimus 3. Respectus subiicibilitatis, & prædicabilitatis formaliter sumpti non sunt essentialiter connexi in specie. Patet conclusio, quia prædicti respectus sunt relationes rationis dependentes à consideratione intellectus: sed potest intellectus considerare naturam specificam in ordine ad inferiora, quin ipsam consideret in ordine ad superius, & è contra, & tunc tribueret naturæ unum ex prædictis respectibus sine alio: ergo prædicti respectus, formaliter sumpti, non sunt essentialiter connexi. Ex quo sequitur, quod acciidentaliter connectuntur in natura specifica; quia accidentaliter, unus vel alius, vel uterque simul illi per intellectum applicatur. Et potest confirmari, quia alias sequeretur, non posse per intellectum constitui primum prædicabile, quin simul, & eodem actu constitueretur secundum, ut benè scrutanti patebit, quod nullatenus est dicendum.

10 Dicimus 4. Rationes subiicibilitatis, & prædicabilitatis in specie absolutè loquendo, adhuc fundamentaliter non sunt essentialiter connexæ. Probatur, quia si essent essentialiter connexi prædicti respectus fundamētaliter sumpti, non posset dari natura communis, quæ non fundaret utrumque respectum: sed dantur plures naturæ, quæ fundant respectum subiicibilitatis specificæ, & nequeunt fundare respectum specificæ prædicabilitatis; ergo prædicti respectus adhuc fundamentaliter sumpti, non sunt essentialiter connexi. Prob. min. Quia omnia genera præter supremum, fundant respectum subiicibilitatis specificæ; nam dicuntur species subiicibiles, respectu generum, quæ supra se habent: sed tamen nequeunt fundare respe-

ctum prædicabilitatis specificæ, quia non sunt prędicabilia de differentibus numero, sed de differentibus specie: ergo dantur naturæ, que fundant respectum subiicibilitatis specificæ, & non specificæ prædicabilitatis, & consequenter, absolutè loquendo, prædicti respectus, adhuc fundamentaliter, non sunt essentialiter connexi.

11 Dicimus 5. Ratio subiicibilitatis, & prædicabilitatis specificæ, si sumatur fundamentaliter essentialiter connectitur in specie infima. Prob. quia nulla datur species infima, quæ nequeat fundare utramque rationem: ergo fundamentum prædictarum rationum in specie infima est necessariò connexum. Contra hoc solùm potest obiici, quòd dicunt aliqui Thomistæ, scilicet, naturam Angelicam esse speciem subiicibilem infimam, & non prædicabilem, eo quod repugnat illi multiplicari in individua, quàm repugnantiam non negamus, ut dicitur in Theologia in materia de Angelis; cujus ratio est pro nunc, quia si natura Angelica constat genere, cui subiicitur, & differentia specifica contrahente, non videtur nude oriatur talis repugnantia, quia non à gradu generico, ut ex se patet, neque à gradu differentiali, cùm talis gradus, adhuc sit communicabilis, cùm non sit individualis.

12 Dicimus 6. Respectus subiicibilitatis, fundamentaliter sumptus, convenit naturæ specificæ prius, quàm respectus prædicabilitatis, etiam fundamentaliter sumptus. Probatur, quia priùs natura specifica participat naturam genericam, quæ participatio est fundamentum subiicibilitatis, quàm non repugnantiam ad essendum in pluribus, quę est fundamentum prædicabilitatis: ergo prædictus respectus subiicibilitatis, fundamentaliter sumptus, prius convenit naturæ specificę, quàm respectus prædicabilitatis, etiam fundamentaliter sumptus. Ex quo sequitur, quòd prædicti respectus formali-

maliter sumpti, attenta natura, & exigentia rerum, eumdem ordinem servant, respectu naturæ specificæ, quia tamen conveniunt naturæ per intellectum, ille erit prior, qui prius illi per intellectum applicatur, sed hoc per accidens se habet.

13 Pro complemento disputationis dubitabis, an genus, & species subjicibilis sint correlativa? Ratio dubitandi est, quia unum correlativum non prædicatur de alio: sed genus prædicatur de specie, ut animal de homine: ergo non sunt correlativa. Deinde quia relativa sunt simul natura: sed genus, v. g. *animal* est prius natura qualibet specie: ergo.

14 His non obstantibus, resp. quòd species subjicibilis, & genus, si sumantur formaliter, sunt correlativa; non verò si materialiter, seu fundamentaliter sumantur. Prima pars probatur, quia genus, & species subiicibilis, formaliter sumpta sunt superius, & inferius formaliter; sed superius, & inferius formaliter sunt correlativa; nam totum suum esse est ad aliud se habere; ergo genus, & species subiicibilis formaliter sumpta sunt correlativa. Et in hoc sensu sut simul natura, & unum non prædicatur de alio, non enim valet; *Species subiicibilis est genus*. Secunda pars benè probatur in ratione dubitandi, quæ est vera, loquendo de genere, & specie subjicibili materialiter sumptis, non verò sumptis formaliter.

D I S P. VII.

De Individuo.

Quia diximus, speciem prædicari de individuis, ideò postquam egimus de specie, naturam individui investigamus, quod sumitur primò intentionaliter, ut dicit naturam specificam, & differentiam individualem, & secundò

intentionaliter, ut dicit naturam individuam pro materiali, & pro formali secundam intentionem subiicibilitatis speciei, vel prædicabilitatis de uno tantum. In utroque sensu procedit præsens disputatio.

QUÆSTIO I.

An individuum rectè definiatur à Porphyrio.

1 PRo intelligentia quęstionis notandum est, quod Porphyirius hic sic definit individuum primo intentionaliter sumptum: *Individuum est, cuius collectio proprietatum alteri convenire non potest*. Secundò verò intentionaliter, ut prædicabile, sic: *Individuum est, quod prædicatur de uno tantum*, ut subiicibile verò, sic: *Individuum est, quod subiicitur speciei, & de quo species in eo, quod quid prædicatur*. Hoc

2 Dicimus 1. Prædicta definitio individui, primo intentionaliter sumpti, non est essentialis, sed tantum quædam accidentalis descriptio individui. Conclusio est communis, & probatur quoad primam partem, nam definitio essentialis debet dari per conceptum quidditativum, & essentialem definiri: prædicta definitio non datur per conceptum quidditativum, & essentialem individui: ergo non est essentialis. Minor patet, probando secundam partem conclusionis, nam proprietates individui, quas adducit Porphyrius, his verbis continentur: *Forma, figura, locus, tempus, cum nomine, sanguis, Patria, sunt septem, quæ non habet unus, & alter*, accidentaliter conveniunt individuo: ergo prædicta definitio non datur per conceptum quidditativum, sed per proprietates accidentales individui: ergo non est essentialis, sed tantum quædam accidentalis descriptio individui.

3 An-

3 Antecedens non melius probari potest, quam explicando prædictas proprietates; etenim, *forma* denotat temperiem qualitatum, quæ dicitur complexio: *figura*, quantitatem, & membrorum dispositionem: *Locus, & tempus* locum, & instans nativitatis: *nomen* appellationem: *sanguis* prosapiam, & cognationem: *Patria* Provinciam, seu Regnum in quo natum est individuum: sed hæc omnia, ut ex se patet, possunt pluribus individuis de potentia Dei absoluta convenire, quia in hoc nulla apparet repugnantia, licet regulariter hoc non contingat: ergo prædicta proprietates accidentaliter conveniunt individuo.

4 Dicimus 2. Individuum secundo intentionaliter sumptum benè definitur per prædictam definitionem, ut prædicabile. Patet conclusio, quia per ly *prædicatur* convenit cum universalibus, & per ly *de uno tantum* differt ab illis: ergo prædicta definitio est bona, quippè explicat illud, ut distinctum ab universalibus.

5 Ex quo sequitur, quod ab individuis secundo intentionaliter sumptis potest abstrahi conceptus communis univocus, quod patet, quia omnia individua conveniunt in prædicari de uno tantum: sed a quacumque convenientia aliquorum potest abstrahi conceptus communis illis univocus; ergo ab individuis, ut prædicabilibus, potest abstrahi conceptus communis univocus. Et potest confirmari, quia non minus conveniunt individua in prædicari de uno tantum, quam quinque prædicabilia in prædicari de pluribus; sed ab his abstrahitur ratio communis prædicabilitatis de pluribus illis univoca; ergo ab individuis abstrahitur ratio communis prædicabilitatis de uno tantum univoca illis.

6 Arg. contra; si daretur ratio communis univoca individuis prędicaretur de pluribus; sed individuum tantum prædicatur de uno; ergo

non datur talis ratio communis illis univoca? Resp. concessa majori in sensu, quo loquimur, disting. min. individuum tantum prædicatur de uno, si sumatur materialiter, seu pro re denominativa, concedo, si sumatur formaliter, seu pro ratione formali, scilicet, secunda intentione prædicabilitatis de uno tantum, nego, & neg. consequ. vel illam similiter disting. Etenim ratio, seu secunda intentio prædicabilitatis de uno tantum facit, quod individuum, materialiter sumptum, tantum de uno prædicetur; sicut ratio, seu secunda intentio universalis facit, quod natura, materialiter sumpta, de pluribus sit prædicabilis, & prædicetur, cum tamen sint plures rationes prædicandi de uno tantum, ab illis potest abstrahi ratio communis prædicandi de uno illis univoca, quæ per aliam secundam intentionem denominatur prędicabilis de omnibus illis rationibus prędicandi de uno tantum.

7 Neque ex hoc inferas, dari aliud prædicabile distinctum a quinque enumeratis, nam illa ratio communis prædicandi de uno tantum, vel potest abstrahi a rationibus prædicandi de uno *in eo quod quid* tanquam pars, ut prædicatur in his prædicationibus: *Petrus est hoc animal*; *Ioannes est hoc animal*, & sic reducitur ad primum prædicabile, scilicet, ad genus, vel a rationibus prædicandi de uno *in eo quod quid*, ut tota essentia, ut in his prædicationibus; *Petrus est hic homo*; *Ioannes est hic homo*; & sic reducitur ad secundum prædicabile, scilicet, speciem; vel a rationibus prædicandi de uno tantum *in quale quid*, ut in his prædicationibus; *Petrus est hoc rationale*; *Ioannes est hoc rationale*, & sic reducitur ad tertium prædicabile, scilicet, differentiam; vel a rationibus prædicandi de uno tantum *in quale necessario*, ut in his prædicationibus; *Petrus est hoc risibile*; *Ioannes est hoc risibile*, & sic reducitur ad

quar-

quartum prædicabile, scilicet, proprium; vel à rationibus prædicandi de uno tantùm *in quale contingenter*, ut in his prædicationibus; *Petrus est hoc album : Ioannes est hoc album*, & sic reducitur ad quintum prædicabile, scilicet accidens. Quod debet intelligi; ita ut prædicti modi prędicandi in individuis primò intentionaliter sumptis, ut in prædictis prædicationibus, imitentur modos prędicandi quinque universalium: non tamen ita ut sint prædicationes universalium, nam hæc prædicantur de pluribus, individua autem de uno tantum.

8 Quia tamen rationes, seu secundæ intentiones prędicandi de uno tantùm in quolibet ex prædictis modis, sint plures numero distinctæ, sicut sunt plura individua, quibus applicantur, ab illis abstrahitur ratio communis prædicandi de uno, quæ denominatur species; nam prædicatur de pluribus rationibus prædicandi de uno numero distinctis; si autem à quinque rationibus communibus prædicandi de uno correspondentibus quinque supradictis modis, abstrahatur alia ratio communis, erit ratio generica respectu illarum; quia prædictæ quinque rationes communes inter se differunt specie per diversos modo assignatos prædicandi de uno, sicut quinque prædicabilia differunt specie per diversos modos prædicandi de pluribus; unde, sicut his assignatur ratio communis univoca, & generica, scilicet ratio prædicandi de pluribus, seu ratio universalis, ita illis assignatur ratio communis univoca, & generica, scilicet, ratio prædicandi de uno ut sic. En quomodo prædicta ratio communis prædicandi de uno, non constituit aliquod prædicabile distinctum à quinque enumeratis; nam vel est species, vel genus, juxta diversas considerationes.

9 Ex dictis numero antecedenti oritur unum du-

dubium, scilicet quomodo quinque prædicabilia in singulari prædicentur de individuo? Resp prædicari prædicatione formali. Probatur; illa enim est prædicatio formalis, in qua prædicatum significatur, ut concernens subiectum, & est formaliter in subiecto: sic se habent quinque prædicabilia in subiectis prædicationibus: ergo sunt prædicationes formales. Minor patet, quia hæc prædicatio, v. g. *Petrus est homo* est formalis, quia prædicatum illius, scilicet *homo* concernit subiectum, scilicet *Petrum*: & est formaliter in illo; sed in hac prædicatione, g. v. *Petrus est hic homo*, prædicatum, scilicet *hic homo* concernit subiectum, scilicet *Petrum*, & est formaliter in illo: ergo est prædicatio formalis. Idem dices de aliis prædicabilibus in singulari, propter eamdem rationem.

10 Arg. contr. quando idem prædicatur de se ipso, prædicatio est identica, & non formalis: sed in prædictis prædicationibus idem prædicatur de se ipso: ergo sunt prædicationes identicæ, & non formales. Resp. dist. mai. si prædicatur idem de se ipso, secundum eundem modum concipiendi, concedo, secundum diversum modum concipiendi, neg. Similiter dist. min. in prædictis prædicationibus prædicatur idem de se ipso, secundum eundem modum concipiendi, neg. secundum diversum modum concipiendi, conc. & neg. cons. Quod patet in simili, nam licet hæc prædicatio, v. g. *homo est homo*, sit identica, non tamen hæc: *homo est animal rationale*, nam est prædicatio formalis, quia licet idem prædicetur de se ipso, hoc non est secundum eumdem modum concipiendi, sed secundum diversum, nam subiectum concipitur implicitè, & prædicatum explicitè. Similiter dicendum est in præsenti.

11 Dices, hoc videtur esse contra Arist. qui cap. de substantia dicit, quod prima substantia,

tia, scilicet individuum, neque in subiecto aliquo est, neque de subiecto aliquo dicitur. Respond. quod Arist. solum intendit, quod individuum primò intentionaliter sumptum, non est in alio, neque de illo dicitur seu prædicatur, tanquam superius de inferiori, unde Arist. non est contra nos.

12 Dicimus 3. Individuum secundo intentionaliter sumptum, ut subiicibile, benè definitur per definitionem supra dictam. Patet conclusio; quia hic loquitur Porphyrius de individuo, ut est correlativum speciei; sed correlativũ benè definitur in ordine ad suum correlativum: ergo per supradictam definitionem benè definitur individuum, ut subiicibile. Videantur, quæ diximus de specie subiicibili, disp. 6. q. 1. & 2. & hic applicentur.

13 Intelligitur conclusio rigorosè in sensu Porphyrii loquentis de individuo propriè, & rigorosè sumpto, ut correlativum est speciei; in quo sensu ab omnibus individuis subiicibilibus potest abstrahi ratio communis subiicibilitatis, quæ hic definitur, & se habet, ut species respectu omnium individuorum secundo intentionaliter: quod patet ex sæpè in antecedentibus dictis. Utrum definitio individui subiicibilis sit essentialis, & unica, patet ex dictis de definitione speciei subiicibilis, nam eadem est ratio hic, & ibi.

14 Adverte tamen, quod aliter potest sumi individuum subiicibile, scilicet, ut subiicitur individuo prædicabili, ut patet in prædicationibus positis num. 7. & tunc debet definiri per ordinem ad tale individuum prædicabile, eo modo, quo fuerit prædicabile, & sicut ibi, & num. 8. diximus, posse abstrahi rationem communem ab individuis prædicabilibus, ita similiter propter eamdem rationem potest abstrahi ratio communis ab individuis subiicibilibus, quæ se habeat, ut species, vel genus, juxta varias

rias

rias considerationes ibi assignatas. Adverte etiam, quòdin individuis; ut prædicabilibus, potest dari prædicatio mediata, & immediata, & similiter in subjicibilibus, subjicibilitas mediata, & immediata, ut dictum est de prædicabilitate, generis, & subjicibilitate, tam speciei, quàm individui respectu illius.

QUÆSTIO II.

Vtrum individuum, primò intentionaliter sumptum, possit quidditativè definiri?

1 DIximus quæstione antecedenti, definitionem individui, primò intentionaliter sumpti, traditam à Porphyrio, non esse essentialem, sed quandam accidentalem descriptionem individui, quapropter inquirimus in præsenti, an possit individuum essentialiter definiri? Et supponimus, quodlibet individuum essentialiter definiri definitione suæ speciei, sed talis definitio non est propria individui, ut individuum est, sed est propria speciei, ut absthahit ab individuis, nunc autem loquimur de individuo, ut individuum est. Præsens difficultas pendet ex alia, an scilicet, ab individuis possit abstrahi aliqua ratio communis definibilis essentialiter? Pro qua difficultate, & ut clarius procedamus.

2 Notandum est, individuum primò intentionaliter sumptum esse quoddam concretum dicens pro materiali ipsam naturam individuam, seu determinatam per hæcceitatem, seu principium individuationis ad esse hujus, & pro formali formam illam, à qua prædicta natura idividua, seu indivisibilis in plura denominatur, quæ solet appellari modus indivisibiliter existendi, & consistit, vel in negatione repugnantiæ divisibilitatis in plura, vel in aliquo mo-

modo positivo, juxta varias sententias. Hoc notato.

3 Dicimus 1. Ab individuis primò intentionaliter sumptis pro materiali nequit abstrahi aliqua ratio communis positiva, quæ de ipsis *in quid* prædicetur. Conclusio est communis inter Scotistas, & deducitur ex Scoto in 1.dist.23. §. *Item arguo, vers. ad primam istorum*, litt. F. & probatur; quia individuum pro materiali solùm dicit naturam specificam,& singularitatem: ergo abstraheretur aliquis conceptus communis positivus proprius individui, ut individuũ est,esset ratione singularitatis: hoc est impossibile: ergo nequit abstrahi talis conceptus communis. Minor probatur; quia singularitates sunt differentiæ ultimò constitutivæ, & distinctivæ: sed ab ultimò constitutivis, & distinctivis nequit abstrahi aliqua ratio communis: ergo à singularitatibus nequit abstrahi aliqua ratio communis. Probatur min. Quia si ab illis abstraheretur aliqua ratio communis, convenirent singularitates in illa, & per aliquid aliud differrent: ergo illud aliud esset ultimò constitutivum,& distinctiuum, & non ipsæ singularitates. Deinde, de illo, per quod differrent, potest inquiri, an possit abstrahi ratio communis, vel non? Si potest abstrahi convenirent in illa ratione, & differrent per aliud, & sic in infinitum. Si non potest abstrahi, cur non idem dicendum est de ipsis singularitatibus? ergo absolutè dicendum est, quòd non potest abstrahi talis ratio communis ab individuis materialiter sumptis, quæ de ipsis *in quid* dicatur, quippè singularitates, seu hæceitates sunt ultimò constitutivæ, & distinctivæ in linea prædicamentali.

4 Et potest confirmari; quia tota ratio hæcceitatis unius individui, ut hæcceitas est, est distinctiva illius à quolibet alio individuo: sed ratio distinctiva, ut distinctiva, nequit esse ratio con-

ve-

veniendi; ergo individua nullatenus conveniunt in hæcceitate, ut hęcceitas est, & consequenter nequit abstrahi ab individuis ratio hęcceitatis, quę sit communis ipsis, & de illis dicatur *in quid*.

5 Dicimus 2. Ab individuis primo intentionaliter sumptis potest abstrahi ratio communis, vel positiva, vel negativa, quæ non *in quid*, sed *in quale* dicatur de illis; quę ratio non est ratio hęcceitatis, seu principii individuationis, sed ipsa ratio formalis individui, quę consistit in modo supradicto indivisibiliter existendi, qui consequitur ipsam naturam singularem. Hæc conclusio, quam tenent plures Scotistæ, videtur expressa Scoti, nam loco citato, dicit; *Certum est autem, quod aliqua negatio communis potest abstrahi ab illis ultimis, & hoc unius rationis.* Ecce conceptum communem negativum abstractum ab ultimis constitutivis ex mente Scoti. Deinde, probatur ex ipso Scoto, quia ut aliqua ratio negationis sit communis, non requiritur, quod illud, ratione cuius convenit, sit quid commune, sed quod forma, quæ negatur, sit eiusdem rationis; sed licet singularitates, seu hæcceitates, quarum ratione cōvenit individuis negatio divisibilitatis in plura, seu modus indivisibiliter existendi, non sint quid commune, imò quid distinctum, & diversum, tamen forma, quæ negatur, scilicet divisibilitas in plura, est eiusdem rationis; ergo ratio talis negationis est communis omnibus individuis.

6 Maior patet hoc exemplo; negatio rationalitatis, v. gr. est communis Lapidi, & Leoni, eò quod forma negata, scilicet rationalitas, est eadem, licet principia, à quibus oritur talis negatio, sint diversa in Leone, & Lapide: ergo licet hæcceitates, quæ sunt principia, quorum ratione convenit individuis supradicta negatio, sint diversæ, tamen negatio erit communis,

eo

eo quod forma negata, scilicet divisibilitas in plura, est eadem. Cum quo resp. ad aliqua argumenta.

7 Quod conceptum positivum, inquit Scotus citatus litt. L. *Potest dici, quod ab individuis, non tantum potest abstrahi species, quæ dicit quidditatem individuorum, sed etiam aliquid quasi proprium*. Et loquitur de conceptu positivo, ut patet in littera ipsius. Ubi benè advertit Lichetus, quod non loquitur Scotus de conceptu communi, qui dicatur *in quid*, seu essentialiter de individuis, nam species dicit quidditatem individuorum, sed tantùm *in quale*, ut denotant illa verba: *quale proprium*, modo quo risibilitas, v.g. convenit individuis naturæ humanæ.

8 Probatur ratione; quia à quacunque convenientia reali aliquorum potest abstrahi ratio communis, & univoca illis: sed omnia individua conveniunt in modo indivisibiliter existendi, sive consistat in negativo, sive in positivo: ergo à tali convenientia potest abstrahi conceptus communis prædicti modi indivisibiliter existendi, licet consistat in positivo, omnibus individuis commui.

9 Argum. contra; si daretur ratio communis modi indivisibiliter existendi, esset quasi propria passio individuorum: sed quælibet propria passio, vel quasi propria, multis communis, supponit aliquod essentiale, à quo dimanet, etiam multis commune: ergo si daretur talis ratio communis, deberet assignari in individuis, ut individua sunt, aliquod commune, à quo dimanaret talis modus indivisibiliter existendi: sed hoc non assignatur, quia prædictus modus sequitur ad differentias individuales, seu hæcceitates; quæ ut dictum est conclusione antecedenti, non dicunt aliquid commune: ergo nequit dari tal s conceptus communis indivisibiliter existendi. Resp. disting. min. Si talis

pas-

passio, vel quasi propria passio convenit multis ratione alicujus, quod sit ratio conveniendi inter illa, concedo, si convenit ratione alicujus, quod non sit ratio conveniendi, imò potius differendi, nego, & neg. conseq. & deinde, concessa minori subsumpta, neg. ultimam conseq. Ratio hujus est; quia quando id, ratione cuius convenit aliquibus talis modus, seu quasi propria passio, est ratio conveniendi, benè potest esse quid commune illis, quibus talis modus convenit; at verò, quando id, ratione cujus convenit talis modus, non est ratio conveniendi, imò potius est ratio differendi, nullatenus potest esse quid commune illis, quibus convenit talis modus, ut contingit in præsenti.

10 Dices contra; ratio qua convenit Petro, v. g. modus indivisibiliter existendi, ut est principium prædicti modi, est similis rationi, cui convenit Joanni, v. gr. similis modus indivisibiliter existendi, ut etiam est principium prædicti modi, ergo utraque ratio convenit in ratione principii talis modi: sed differentiæ individuales, ut tales, sunt principia modorum indivisibiliter existendi; ergo vel non conveniunt prædicti modi in conceptu communi, vel differentiæ individuales, ut tales, similiter conveniunt. Respond. omissis aliis solutionibus, neg. antec. Ratio est, quia ratio, qua convenit Petro modus indivisibiliter existendi, scilicet, differentia individualis ipsius Petri, in tantum est principium modi indivisibiliter existendi, in quantum dicit disconvenientiam respectu rationis, qua convenit Joanni modus indivisibiliter existendi, quæ ratio est differentia individualis ipsius, nam differentiæ individuales ut tales, sunt rationes differendi, & ut tales, fundant modos indivisibiliter existendi; solum autem possunt prædictæ differentiæ dici similes in ratione principii, per quamdam convenientiam, non entitativam,

vam, sed proportionalem; scilicet, quòd sicut una fundat modum indivisibiliter existendi, ita & alia, & sicut una est ratio differendi, ita & alia.

11 Ex dictis facilè resolvitur quæstio; igitur, dicimus tertiò in ordine: individuum primò intentionaliter sumptum, licet non possit definiri definitione propria, secundum id, quod dicit pro materiali; benè tamen secundum id, quod dicit pro formali. Hoc patet; quia ut aliquid possit definiri definitione propria, debet dicere aliquid commune: sed individuum sumptum pro materiali non dicit aliquid commune, benè tamen sumptum pro formali: ergo licet sumptum pro materiali nequeat definiri definitione propria, benè tamen sumptum pro formali. Sic ergo potust definiri: *Individuum est, quod non potest dividi in plura, quorum quodlibet sit ipsum*. Quæ definitio benè explicat rationem communem individui, ut dicit modum indivisibiliter existendi, & ut individuum distinguitur à natura communi. Adverte tamen, quòd hæc definitio non est essentialis, sed descriptiva; quia non datur, respectu alicujus communis, quod essentialiter, & *in quid* dicatur de individuis: sed quod tantùm dicatur de illis *in quale*, seu ut quasi propria passio. Unde constat, quòd essentialiter nequit individuum definiri definitione propria, nam nihil essentiale habet commune, ut individuum est.

12 Ex quo facilè deducitur resolutio cujusdam dubii, scilicet, ad quod prædicabile reducatur illa ratio communis individui. Reducitur enim ad quartum prædicabile, scilicet, ad proprium; quia ut dictum est, talis modus indivisibiliter existendi est quasi propria passio individuorum, & prædicatur de illis *in quale necessario*; qui modus prædicandi pertinet ad quartum prædicabile, ut ibi dicetur. Tamen

men Merinerus dsputat. 2. de specie, quæst. 1. tenet, ad nullum prædicabile reduci, eo quod sit modus intrinsecus entis singularis, & consequenter modus transcendentalis, & certum est, transcendentalia excludi à prædicabilibus. Uterque modus dicendi videtur probabilis, in quo non est multum immorandum, res enim est non magni momenti.

13 Adverte tamen, quòd ratio communis modi indivisibiliter existendi, comparetur, non ad individua, sed ad hunc, & illum modum indivisibiliter existendi, potest denominari species; sicut ratio communis risibilitatis, licet comparata ad individua naturæ humanæ denominetur proprium, tamen comparata ad hanc, & illam risibilitatem, denominatur species, quia ut sic, non *in quale*, sed *in eo quod quid* prædicatur, ut tota essentia inferiorum.

14 Dices; si modus indivisibiliter existendi esset communis, & prædicaretur *in quid* de hoc, & illo modo, necessariò contraherentur per differentias individuales: sed tales differentiæ etiam fundant modos indvisibiliter existendi; ergo ab illis potest abstrahi ratio communis modi indivisibiliter existendi; quæ ratio communis etiam contraheretur per alias differentias individuales, & sic in infinitum, quod non est dicendum. Respond. 1. ex Mastrio disput. 5. de Universal. Articul. 4. Quòd ratio indivisibiliter existendi primo abstracta erit communis omnibus modis indivisibiliter existendi, tam fundatis in hæcceitatibus, seu differentiis individualibus, individuorum, quàm in hæcceitatibus, seu differentiis individualibus contrahentibus talem rationem ad esse hujus, & illius modi indivisibiliter existendi, unde ex parte objecti solùm daretur una, & eadem abstractio, licet in infinitum pro-

procederet ex parte intellectus : in quo nullum est inconveniens ; quia non ponit talis processus in infinitum infinitatem obiectorum , sed tantùm multiplicationem in infinitum abstractionum , seu præcisionum formalium .

15 Aliter respond. neg. processum in infinitum ; quia ratio communis modi indivisibiliter existendi contraheretur ad esse huius , & illius modi per differentias individuales ipsorum individuorum , quorum sunt modi , nam per illas , & non per alias , sunt à parte rei hic , & ille modus , & sic cessat processus , nam in talibus differentiis sistitur , sicut risibilitas in communi contrahitur ad hanc , & illam risibilitatem per differentias individuales Petri & Pauli . v. g. nam per illas , & non per alias , sunt hæc & illa risibilitas , nisi hoc reducatur ad fictionem intellectus .

16 Dubitabis ; quid dicendum sit de individuo vago , v. gr. *Quidam homo*? Respond. quòd tale individuum non datur à parte rei , ut ex se constat , sed tantum per intellectum , & non dicit naturam communem , quia hæc debet abstrahere à rationibus individualibus quod non habet individuum vagum ; potest tamen dici , quòd aliquomodo est commune tantùm per indifferentiam , ita ut si prædicetur de uno , nequeat de alio prædicari , ideoque non constituit universale ; possunt tamen illi applicari secundæ intentiones , tam ut prædicabili ; quam ut subiicibili , modo dicto de individuis determinatis suo modo .

DISP.

DISP. VIII.

De differentia tertiò prædicabili.

POstquam egimus de prædicabilibus *in quid*, agendum restat de prædicabilibus *in quale*, & quia præcipuum est differentia, nempè prædicatum *in quale quid*, seu essentialiter, ideo prius de illa, quàm de aliis prædicabilibus *in quale* sermonem instituimus ordinem Porphyrii sequentes; potest ergo differentia, sicut & alia prædicabilia sumi primo, & secundo intentionaliter, & in utroque sensu procedit disputatio.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit differentia primò intentionaliter sumpta?

1 PRo Intelligentia quæstionis notandum est, quod differentia, primo intentionaliter sumpta, est quoddam concretum dicens pro materiali illam entitatem, quæ facit unum ab alio differre, v. gr. *rationalitatem*, & pro formali munus faciendi differre, quod est forma denominans differentiam prædictã entitatem, & se habet, ut modus intrinsecus, seu quasi propria passio prædictæ entitatis, ut dictum est de modo indivisibiliter existendi, respectu differentiæ individualis. Hoc notato.

2 Dicimus 1. Differentia primo intentionaliter sumpta sic definitur à Porphirio: *Differentia est, qua species excedit genus. Differentia est, quæ suaptè natura separat ea, quæ sub eodem genere collocantur. Differentia, qua differunt singula. Differentias est pars intrinseca constitutiva speciei, & illam separans ab his, quæ sub-*

eo-

eodem genere collocantur. Has quatuor definitiones communiter admittunt Philosophi. Circa quas advertendum est, quod respectu differentiæ materialiter sumptæ, non sunt definitiones essentiales; quia definitio essentialis debet constare genere, & differentia: sed differentiæ non datur differentia: ergo non sunt definitiones essentiales. Advertendum est etiam, quod in ultima definitione continentur aliæ, nam duo sunt munera differentiæ, quæ in prædictis definitionibus explicantur, scilicet constituere speciem simul cum natura generica, & talem speciem ab aliis distinguere: hoc explicatur per ultimam definitionem: ergo in illa cæteræ definitiones continentur.

3 Dicimus 2. Differentia dividitur à Porphyrio in communem, propriam, & propriissimam. Differentia communis dicitur quodlibet accidens separabile; ut albedo in homine, ver. gr. Differentia propria dicitur quodlibet accidens inseparabile, ut nigredo in Corvo. Differentia propriissima est differentia essentialis, & specifica, sive subalterna, ut sensibile in animali, sive infima, ut rationale in homine.

4 Aliter divisit Porphyrius differentiam: alia enim est, quæ facit aliud, id est, diversum in essentia, ut est differentia propriissima, alia est, quæ facit alterum, id est, diversum in accidenti, ut est differentia, tam communis, quam propria. Deinde aliter divisit differentiam inseparabilem, ut est differentia communis, & in inseparabilem, ut est differentia tam propria, quam propriissima. Ulterius divisit differentiam inseparabilem in inseparabilem per se, ut est differentia propriissima, de qua dicit, quod non suspicit magis, & minus, & in inseparabilem per accidens, ut est differentia propria, de qua dicit, quod suscipit magis, & minus. Denique, differentiam inseparabilem per se di-

visit in divisivam generis, & constitutivam speciei.

5 Circa quas divisiones notandum est, quod tres tantum sunt differentiæ, scilicet, communis, propria, & propriissima, quæ in prima divisione continentur; quia tamen variis modis possunt considerari; ideò ponuntur cæteræ divisiones, quarum ultima non est propriè divisio, sed potius assignatio utriusque muneris differentiæ propriissimæ, scilicet, dividere genus, & constituere speciem, quod præstat eadem differentia, v. gr. *rationale*, quæ contrahit, & dividit genus, scilicet, *animal*, & constituit speciem; scilicet, *hominem*. Notandum est etiam, solam differentiam propriissimam pertinere ad hoc prædicabile; nam illa tantum potest prædicari *in quale quid*, seu essentialiter; differentia verò communis, & propria, cùm sit accidens, vel separabile, vel inseparabile, non prædicatur essentialiter, sed accidentaliter, & sic pertinet ad quintum prædicabile, ut ibi patebit.

6 Ex quo sequitur, Porphyrium solùm definiisse per prædictas definitiones differentiam propriissimam; quia loquitur de differentia, ut pertinet ad hoc prædicabile, & deinde patet ex ipsis definitionibus, & solum potest esse difficultas de tertia, scilicet; *Differentia est, qua differunt singula*; sed tamen si rectè intelligatur, solùm differentiæ propriissimæ convenit; nam differre absolutè prolatum, debet sumi pro majori differentia, quæ excogitari potest, quæ quidem est differentia essentialis. Ex dictis oritur sequens difficultas.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An prædicta divisio differentiæ sit adæquata, & qualis sit?

1 DIcimus 1. Pro primò, quod inquirit quæstio; prædicta divisio differentiæ in communem, & propriam, & propriissimam, est exacta, & adæquata. Conclusio est communis, & communiter probatur hac unica ratione; nam illa est divisio adæquata, in qua sufficienter enumerantur membra dividentia: hujusmodi est prædicta divisio; ergo est adæquata. Prob. min. Quia, quæ differunt, vel differunt essentialiter, & hoc per differentiam propriissimam, vel accidentaliter, & hoc ratione alicujus accidentis, quod vel est inseparabile, & sic dicitur differentia, propria, vel est separabile, & sic dicitur differentia communis; sed præter hos modos differendi non est assignabilis alius: ergo in prædicta divisione sufficienter enumerantur membra dividentia, & consequenter est adæquata.

2 Arg. 1. Differentia, qua unum prædicamentum differt ab alio, non est accidentalis, ut ex se patet; neque est differentia propriissima, ut assignatur in divisione: ergo datur alia differentia præter supradictas. Antecedens quoad secundam partem, ex eo constat, quia differentia propriissima assignata, est divisiva generis; sed prædicamenta sunt genera suprema; ergo non habent genus supra se, quod per suas differentias dividatur. Confirmatur, quia differentia individualis, non est propriissima, quia non est constitutiva speciei; neque est communis, aut propria, quia non est accidentalis; ergo est differentia distincta à supradictis.

3 Resp. Totum argumentum esse verum,

sed non contra nos; quia Porphyrius solum loquitur de differentiis, quæ dividunt illa, quæ ponuntur in prædicamento, quales non sunt differentiæ, quibus unum prædicamentum differt ab alio, cùm tantum sint divisivæ entis in communi, quod propter suam transcendentiam excluditur à prædicamento, & hoc, sive tales rationes divisivæ entis sint differentiæ, sive modi intrinseci, de quo alibi. Potest tamen dici, quod prædictæ rationes divisivæ aliquomodo reducuntur ad differentiam propriissimam, quia pertinent ad essentiam illius, quod constituunt, vel in primo, vel in secundo modo dicendi per se, de quo alibi.

4 Ad confirmationem respond. etiam esse veram, sed non contra nos, quia Porphyrius solum loquitur de differentiis, quæ possunt prædicari de pluribus, quales non sunt differentiæ individuales, deinde, potest dici, differentias individuales aliquomodo reduci posse ad differentiam propriissimam; quia & si non sint essentiales, tamen sunt intrinsecæ individuis, sicut differentiæ essentiales, & propriissimæ sunt intrinsecæ speciebus.

5 Argum. 2. In bona divisione unum membrum dividens non includit alia: sed in prędicta divisione unum membrum dividens includit alia: ergo non est bona. Probat. minor. Quia disgregativum visus, v.gr. est differentia propriissima respectu albedinis, & respectu Cicni, est propria, & respectu hominis est communis: ergo unum membrum dividens includit alia. Resp. disting. maior. in bona divisione unum membrum dividens non includit alia entitativè, seu realiter, nego; in suo conceptu formali, concedo. Similiter disting. minor. in prædicta divisione unum membrum dividens includit alia realiter, & entitativè, ut probat exemplum albedinis, conce-

ce-

cedo; in suo conceptu formali, nego, & neg. consequent. Sufficit enim ad bonam divisionem, quod ratio formalis unius membri dividentis non sit ratio formalis alterius; licet alias eidem entitati reali secundum diversas considerationes prædictæ rationes formales conveniant.

6 Arg. 3. Propriæ passiones sunt differentiæ; sed non sunt communes, quia non sunt separabiles a subiecto, neque sunt propriæ, quia hæ ex dictis quæst. antec. cum Porphyrio, recipiunt magis, & minus, & solum sunt inseparabiles per accidens; at vero propriæ passiones non suscipiunt magis, & minus, & sunt inseparabiles per se, neque sunt propriissimæ, quia non sunt essentiales, & specificæ: ergo non continentur in prædicta divisione, & consequenter non est adæquata. Respond. distingu. quoad ultimam partem min. non sunt differentiæ propriissimæ primario, & rigorosè loquendo, concedo, secundario, & reductivè, nego. Etenim propriæ passiones, licet primario non dividant genus, neque constituant speciem, hoc tamen faciunt secundario, quia necessario consequuntur ad differentias specificas, unde in definitionibus, & divisionibus pluries loco differentiarum essentialium ponuntur propriæ passiones, quod sufficit, ut reductivè, & secundario dicantur differentiæ propriissimæ.

7 Pro secundo, quod inquirit quæstio notandum est, quod tam divisum, quam membra dividentia possunt multipliciter inter se comparari. Primo, ita ut tam divisum, quam membra dividentia materialiter sumantur, & in hoc sensu certum est apud omnes, prædictam divisionem esse æquivoci in æquivocata, nam a prædictis differentiis materialiter sumptis, id est, ab entitatibus, quæ differentiæ denominantur, nequit abstrahi aliqua entitas communis,

quæ hoc nomine *differentia* significetur, & sic talis divisio erit solius nominis communis *differentia* in varias, & diversas entitates, per illud immediatè significatas, sicut divisio huius nominis communis *canis* in canem latrabilem, piscem marinum, & sydus cæleste.

8 Secundò, itaut divisum sumatur materialiter, & membra dividentia formaliter. Tertiò: ita ut divisum sumatur formaliter, & membra dividentia materialiter, & ut sic, vel est divisio subiecti in diversos modos faciendi differre; vel divisio modi faciendi differre in diversa subiecta. Hoc etiam communiter recipitur, & præcipua difficultas est, si tam divisum, quam membra dividentia sumantur formaliter, hoc est, non pro entitatibus, quæ differentiæ denominantur, sed pro ipsis modis, seu muneribus faciendi differre; in quo sensu.

9 Dicimus 2. in ordine; prædicta divisio differentiæ in communem, propriam, & propriissimm est analogi in analogata, non autem univoci in univocata. Pro hac conclusione solet citari Scotus quæst. 23. Universal. eam tenet major pars Scotistarum, & plures ex aliis. Probatur; quia tunc divisio est analoga, quando ratio significata per nomen commune, propriè, & simpliciter convenit alicui ex membris dividentibus, cæteris verò tantum secundum quid, & per attributionem ad illud, huiusmodi est prædicta divisio: ergo est analoga. Prob. min. Quia nomen *differentia* propriè, & formaliter significat, & denotat, unum ita ab alio differe, ut non sit illud aliud: sed solum differentia propriissima facit, unum non esse aliud, sed quod idem est, esse diversum ab illo essentialiter; differentiæ vero propria, & communis non denotant, unum non esse aliud, sed tantum denotant di-

ver-

versas alterationes accidentales: ergo ratio differentiæ simpliciter convenit differentiæ propriissimæ, & tantùm secundùm quid, & per similitudinem ad illam, convenit differentiæ propriæ, & communi. Patet consequentia; quia differentia propriissima facit differre essentialiter, diferentia verò propria, & communis solùm accidentaliter: sed differre essentialiter est differre simpliciter, & differre accidentaliter est differre secundùm quid: ergo ratio significata per nomen *differentia* simpliciter convenit differentiæ propriissimæ, & tantùm secundùm quid differentiæ propriæ, & communi, ac per consequens, &c.

10 Arg. 1. Univoca sunt, quorum nomem est commune, & ratio significata per illud in omnibus est eadem; sed differentiæ communis, propria, & propriissima conveniunt in nomine differentiæ, & ratio significata per illud in omnibus est eadem: ergo ratio differentiæ est univoca illis. Prob. minor. Quia ratio significata per nomen *differentia* est facere differre: sed hoc convenit tribus supradictis differentiis; nam omnes faciunt differre: ergo ratio significata per nomen *differentia* in omnibus est eadem. Resp. neg. min. ad cujus prob. dicimus, quòd ratio significata per nomen *differentia* est facere differre simpliciter, quod solùm convenit differentiæ propriissimæ, differentiæ autem communi, & propriæ, tantùm secundùm quid, ut dictum est in nostra ratione, ex quo facilè distinguitur argumentum.

11 Arg. 2. Ratio universalis, seu prædicabilis in communi est univoca quinque prædicabilibus: sed ex illis aliqua essentialiter, aliqua accidentaliter prædicantur: ergo ratio differentiæ est univoca differentię communi, propriæ, & propriissimæ, licèt hæc essentialiter, illæ verò accidentaliter faciant differre. Resp. concessa mai. & min. neg. conseq. & paritatem.

Ratio disparitatis est; quia ratio universalis, seu prædicabilis præcisè stat in respectu ad plura per modum superioris, ut suo loco diximus, & certum est, quod prædicabile accidentaliter, tam simpliciter respicit plura per modum superioris, quàm prædicabile essentialiter; at verò ratio differentiæ stat in facere differe, quod ut dictum est simpliciter convenit differentiæ propriissimæ; differentiæ autem propriæ, & communi solùm secundùm quid: unde prædicari accidentaliter, & essentialiter non variant rationem formalem prædicabilis; benè tamen variant rationem formalem differentiæ differe essentialiter, & deferre accidentaliter. Hoc dictum est, juxta communiorem consensum; tamen si benè attendatur, videtur reduci ad quæstionem de nomine, & sic probabiliter videtur, oppositum posse teneri, pro quo stant aliqui Scotistæ in manuscriptis.

12 Dubitabis, an saltim ratio differentiæ propriissimæ formaliter sumptæ, & ut constituit hoc tertium prædicabile, sit univoca respectu hujus, & illius differentiæ propriissimæ, tam formaliter, quàm materialiter sumptæ? Facilè resp. Ex dictis de modo indivisibiliter existendi respectu differentiarum individualium, quòd talis ratio differentiæ est univoca huic, & illi differentiæ formaliter sumptis, & de illis prædicatur *in quid* tan quam species, & sic reducitur ad secundum prædicabiliter, & similiter, quòd talis ratio differentiæ est univoca huic, & illi differentiæ materialiter sumptis, & de illis prædicatur *in quale*, & ut sic potest reduci ad quartum prædicabile, scilicet, ad proprium.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Vtrùm differentia includat genus?

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est, quòd loquimur de differentia materialiter sumpta, seu pro illa entitate, quæ differentia denominatur, v. g. *rationale*, & de natura, quæ genus denominatur, & contrahitur per differentiam, v. g. *animal*, & non loquimur de differentia sumpta in concreto; quia ut sic supponit pro specie, & includit genus; sed sumpta in abstracto; Neque loquimur de inclusione reali, quæ idem est, ac identitas realis, nam ut sic certum est, differentiam includere genus, nam realiter identificatur cum illo in constitutione speciei; loquimur autem de inclusione formali, ita ut differentia in suo conceptu formali includat genus quod contrahit. Aliis terminis solet hæc quæstio exagitari; an scilicet, & differentia infima includat differentias subalternas? Eadem enim est ratio circa hoc, ac circa titulum quæstionis.

4 Dicimus ad quæstionem; differentia non includit formaliter, & quidditativè genus, quo contrahit, neque differentias subalternas. Hæc conclusio est communis, tam inter Thomistas, quàm Scotistas, quam tenet Scotus 1. Posteriorum quæst. 24. & 7. Metaphys. quæst. 17. & in 4. distin. 11. quæst. 3. §. *Adrationes*, sub litt. CC. & Arist. 4. Topic. cap. 2. ubi dicit: *Manifestum igitur est, quod non participat genus differentia.* Oppositum tribuitur Nominalibus.

3 Probatur ratione; quia actus formaliter, ut talis non includit in sua ratione formali potentiam, cujus est actus: sed differentia est actus, & genus, quod contrahit, est potentia,

& similiter differentia subalterna, quæ includitur in genere: ergo differentia nequit includere in suo conceptu formali genus, quod contrahit, neque differentiam subalternam.

4 Probatur ab inconvenientibus; nam si differentia includeret genus, quod contrahit, primò sequeretur, quòd definitiones quidditativæ essent nugatoriæ, id est, idem in illis bis poneretur, quod non est dicendum. Patet sequela; nam in definitionibus quidditativis ponitur genus, & differentia: ergo si differentia includit genus in suo conceptu formali, poneretur genus in definitione semel pro se, & iterum, ut inclusum in differentia.

5 Secundò sequeretur processus in infinitum. Patet; quia si differentiæ includunt genus, quod contrahunt, conveniunt in illa ratione generis, & necessariò differunt per alias differentias; de illis potest inquiri, an includant genus, vel non? Si non: ergo idem dicendum est de primis, quia eadem est ratio. Si includant, conveniunt in illa ratione, & differunt per alias differentias, & sic in infinitum: ne ergo in infinitum procedatur, dicendum est, differentias non includere genus, quod contrahunt.

6 Arg. 1. Differentiam, v.g. rationalitas, in abstracto sumpta, est substantia; sed non incorpore: ergo corporea, & consequenter corpus: sed non inanimatum. ergo animatum, & consequenter vivens: sed non insensibile: ergo sensibile, & consequenter animal: ergo talis differentia in astracto sumpta, includit, tam genera, quàm differentias superiores, seu subalternas. Resp. Verum esse, talem differentiam in abstracto esse substantiam, falsum tamen, esse corpoream, aut incorpoream, quia tantùm substantia *in quid*, & quæ ponitur in recta linea prædicamentali, dividitur in corpoream, & in incorpoream, quia se habet, ut quid contrahibile potentiale, & determinabile, substantia

verò

verò *in quale* (ut est prædicta differentia) non dividitur in corpoream, & in incorpoream, quia non se habet, ut quid contrahibile, potentiale, & determinabile, neque ponitur in recta linea prædicamentali, sed tantum est quid contrahens, actuans, & determinans ipsam substantiam *in quid*, unde neg. conseq.

7 Arg. 2. Hic syllogismus: *Omnis homo est formaliter sensibilis*: *Omnis homo est formaliter rationalis*: ergo *aliquod rationale est formaliter sensibile*, est legitimus, & sic tenet illius consequentia: ergo differentia infima, scilicet, *rationale*, includit differentiam subalternam, scilicet, *sensibile*. Resp. Totum esse verum, loquendo de differentia in concreto, ut contingit in præsenti, nam ut sic supponit differentia, vel pro specie, vel pro aliquo inferiori speciei, & certum est, tam speciem, quam inferiora illius includere in suo conceptu formali, tam genus, quàm differentias subalternas, falsum autem esse, loquendo de differentia in abstracto, seu secundum suam rationem formalem, præcisè sumpta.

8 Dubitabis, an differentia contractiva generis sit perfectior illo? Resp. Quod communiter differentia est perfectior genere, & solet probari ex eo, quod omnis actus dicitur perfectior sua potentia: sed genus se habet ut potentia, & differentia, ut actus; ergo differentia contractiva generis est perfectior illo. Tamen hæc probatio non est universaliter vera; quia plures potentiæ sunt substantiæ, & actus sunt accidentia, ut patet in actibus potentiarum animæ, & in substantia, quæ immediatè, ut potentia, recipit aliqua accidentia, ut actus. Unde solùm est intelligendum, ita ut totum conflatum ex actu, & potentia dicat aliquam maiorem perfectionem, quam sola potentia, eo quod actus aliquam dicit perfectionem distinctam à perfectione potentię, hoc videtur intentum Porphyrii;

cùm dicit: *Differentia est, qua species excedit genus*, nam certum est, totum conflatum ex genere, & differentia, scilicet, speciem dicere majorem perfectionem, quam genus, eo quod supra genus dicit perfectionem differentiæ. Entitativè autem loquendo, & facta præcisè comparatione inter genus, & differentiam, communiter dicitur, aliquas differentias excedere genus in perfectione, ut sunt differentiæ constitutivæ nobilium specierum, & genus excedere alias, ut sunt differentiæ constitutivæ specierum ignobilium.

QUÆSTIO IV.

De pertinentibus ad differentiam secundò intentionaliter sumptam.

1 PORPHYRIUS in hoc capite sic differentiam secundò intentionaliter sumptam definivit: *Differentia est, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid*, quæ definitio solum convenit differentiæ subalternæ, ut omnes fatentur, non autem differentiæ ultimæ, seu infimæ; hæc enim sic debet definiri: *Est quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in quale quid.* Unde communiter dicitur; quod Porphyrius non definivit differentiam, ut constituit hoc tertium prædicabile, quia hoc continet, tam differentiam subalternam, quam infimam; tamen sufficiens videtur prædicta definitio ad explicationem hujus prædicabilis; quia de essentia illius tantùm est prædicari *in quale quid*, tanquam pars inferiorum, quod continetur in prędicta definitione; prædicari autem de differentibus specie, vel numero, per accidens se habet ad rationem huius prædicabilis; ideòque diximus tractatu de Universalibus disp. 5. q. 1. nu. 10. differentiam infimam, & subalternam non differre essentialiter, quapropter unum tantùm prędicabile

bile constituunt. Videantur ibi dicta, ne quòd semel sufficienter dictum est, iterum repetatur.

2 Dicimus tamen, ne à communi via deviemus, differentia, ut comprehendit, tam subalternam, quàm infimam, & ut constituit hoc prædicabile sic potest definiri; *Differentia est id, quod prædicatur de pluribus in quale quid*. Bonitas hujus definitionis, & quòd sit essentialis, & quidditativa, constat ex dictis circa definitionem generis.

3 Dices; definitio essentialis, & quidditativa debet constare genere, & differentia; sed differentiæ non datur differentia; ergo neque potest dari definitio essentialis. Resp. disting. min. differentiæ primò intentionaliter sumptæ non datur differentia, concedo, secundò intentionaliter sumptæ, nego. Similiter disting. conseq. differentiæ primò intentionaliter sumptæ nequit dari definitio essentialis, concedo, (quapropter diximus quęst. 1. hujus disp. definitiones differētiæ traditas à Porphyrio, nō esse essētiales respectu differentiæ sumptæ pro entitate, quæ differentia dicitur) differentiæ secundò intentionaliter sumptæ nequit dari definitio essentialis, nego, quia ut sic est species universalis in communi, & constat genere, scilicet, *prædicabilitate de pluribus*; & differentia, scilicet, *in quale quid*; per primum convenit cum aliis prædicabilibus, & per secundùm differt ab illis,

4 Dubitabis, in ordine ad quæ differentia constituat hoc prædicabile? Hoc dubium surgit ex eo quòd differentia potest prædicari, vel de genere, vel de specie, ut, *animal est sensibile: homo est rationalis*; vel de inferioribus generis, vel speciei, ut, *homo est sensibilis; equus est sensibilis: Petrus est rationalis; Ioannes est rationalis*. Nunc

5 Resp. ad dubium; quòd differentia subal-

terna, non in ordine ad genus, sed in ordine ad inferiora generis, constituit hoc prædicabile, & similiter differentia infima illud constituit, non in ordine ad speciem, sed in ordine ad inferiora speciei. Probatur, quia universale dicit ordinem ad plura: sed differentia subalterna, & infima non dicunt ordinem ad plura, ut comparantur ad genus, vel speciam, benè tamen, ut comparantur ad inferiora generis, vel speciei: ergo non in ordine ad genus, vel speciem, sed in ordine ad inferiora generis, vel speciei, constituit differentia, tam infima, quàm subalterna, distributione accommoda, hoc prædicabile.

6 Dices; universale constituitur per prædicabilitatem immediatam: sed differentia, vel infima, vel subalterna non est prædicabilis immediatè de inferioribus generis, vel speciei; benè tamen de genere, & specie: ergo in ordine ad genus, vel speciem, non tamen in ordine ad inferiora generis, vel speciei, constituit hoc prædicabile. Resp. disting. mai. Universale constituitur per prædicabilitatem immediatam de uno tantùm, nego; de pluribus, concedo. Similiter disting. min. differentia non est prædicabilis immediatè de inferioribus generis, vel speciei, benè tamen de genere, & specie, prædicatione de uno tantùm, concedo; prædicatione de pluribus, nego, & neg. conseq.

7 Ubi adverte, quòd licet genus, & species contineant virtualiter, seu potentialiter sua inferiora, hoc non sufficit, ut differentia infima, vel subalterna constituat hoc prædicabile in ordine ad speciem, vel genus, nam ad rationem universalis requiritur ordo ad plura formaliter, ut talia. Si autem inquiras, qualis sit prædicatio differentiæ infimæ, vel subalternæ, de specie, vel de genere? Resp. Quòd est prædicatio topica, id est, de subiecto communi convertibili cum prædicato.

DISP-

D I S P. IX.

De proprio quarto Prædicabili.

INter illa, quæ extra essentialiter prædicantur, primum locum obtinet *proprium*; ideòque postquam egit Porphyrius de illis, quæ essentialiter prædicantur, immediate sermonem instituit de proprio, quod & nos ipsum sequentes facimus.

Q U Æ S T I O UNICA

An proprium rectè definiatur à Porphyrio?

1 PRo intelligentia quęstionis notandum est, quòd Porphyrius quatuor modis accepit proprium. Primò, pro eo quod soli alicui speciei convenit, non tamen omnibus individuis illius, ut esse Medicum respectu hominis; quod debet intelligi in actu; nam in aptitudine omnibus individuis convenit. Secundò, pro eo quod omnibus individuis alicujus speciei convenit, non tamen solis illis, ut esse bipedem, quod convenit omnibus hominibus, non tamen solis illis. Tertiò, pro eo quod convenit omnibus individuis alicujus speciei, & solis illis, sed non semper, ut canescere, quod convenit omnibus & solis hominibus, non tamen semper, sed in senectute. Quartò, pro eo quod convenit omni, soli, & semper, quod dividitur in proprium transcendentale, & est illud, quod consequitur principium transcendentale, ut sunt passiones entis in communi, de hoc non loquimur in præsenti, quia transcendentia excluduntur à prædicabili, & in proprium subalternum, quod consequitur gradum subalternum, seu genericum; ut *nutribile* respectu animalis, quod convenit omni-

omnibus animalibus, solis ipsis, & semper, & in infimum, quod consequitur gradum, seu speciem infimam, ut *risibile* respectu hominis, quod convenit omnibus hominibus, solis ipsis, & semper.

2 Proprium in hoc quarto modo, inquit Porphyrius, est maxime, & verè proprium, quia dicitur ad convertentiam, valet enim; *est homo*; ergo *risibile*, & è contra, ex quo sequitur, quòd prædicta divisio in quatuor prædictos modos est analoga. Patet, quia proprium non debet esse commune, nec contingens; sed quod non convenit soli, est commune, & quod non convenit omni, & semper est contingens; ergo quod non convenit omni, soli, & semper, non est proprium simpliciter; ergo ratio proprii simpliciter solum convenit proprio in quarto modo, cæteris autem per similitudinem, & analogiam ad illud, & consequenter prædicta divisio est analoga.

3 Proprium in hoc quarto modo sic definivit Porphyrius; *Proprium dicitur, quod accidit soli alicui speciei, & omni, ac semper*; & certum est, in hac definitione solùm comprehendi proprium infimum, seu specificum, non autem proprium genericum, & subalternum, & sic neque proprium in communi, & ut comprehendit infimum, & subalternum, ut constituit hoc prædicabile. Videantur, quæ diximus disp. antec. q. 4. n. 1. Nunc est difficultas, an per prædictam definitionem rectè definiatur proprium infimum, seu specificum?

4 Dicimus 1. Per prædictam definitionem rectè definitur proprium à Porphyrio. Conclusio est communis, & intelligitur, tam de proprio primò, quàm secundò intentionaliter sumpto, ut tenet Scotus quæst. 31. Universal. Probatur conclusio definitionem explicando cum Scoto citato, nam prædicta verba possunt intelligi primò intentionaliter, ita ut ly *accidit* signi-

significet *extra quidditatem afficere*; ly *omni* significet, *omnia individua*, ly *soli* significet *unius tantum speciei*; & ly *semper* significet *inseparabiliter & necessario*, & ita sensus definitionis fit; *Proprium est, quod extra quidditatem afficit omnibus individuis unius tantùm speciei inseparabiliter, & necessariò*. Quæ definitio, ut ex se patet, rectè explicat naturam proprii primò intentionaliter sumpti, ex qua ad definiendum proprium in communi, prout comprehendit, tam infimum, quàm subalternum, deducitur hæc: *Proprium est ratio extra essentialis dimanans ab essentia, ipsam necessariò, & inseparabiliter consequens*.

5 Possunt etiam prædicta verba intelligi secundò intentionaliter, ita ut ly *accidit* significet *prædicari in quale*; ly *omni* significet *de omnibus individuis*, ly *soli* significet *unius tantum speciei*, & ly *semper* signicet *necessariò, & inseparabiliter*, & ita sensus definitionis fit: *Proprium est, quod prædicatur in quale de omnibus individuis unius speciei necessariò, & inseparabiliter*, seu quod idem est, *proprium est, quod prædicatur de pluribus differentibus numero in quale necessariò*. Quæ definitio ab omnibus admittitur, quia benè explicat proprium infimum seu specificum, ut pertinet ad hoc prædicabile, & distinguitur ab aliis, nam convenit cum aliis prædicabilibus *in prædicari de pluribus*; & per *prædicari in quale* differt à genere, & specie, quæ prædicantur *in quid*, & à differentia, quæ prædicatur, non solùm *in quale*, sed *in quale quid*, & per *prædicari necessariò* differt ab accidenti, quod *prædicatur contingenter*. Hæc definitio est essentialis, ut dictum est de definitione generis.

6 Ex prædicta definitione facilè deducitur definitio proprii subalterni, seu generici: *Est enim, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quale necessariò*, & similiter deducitur defi-

definitio proprii in communi, & ut constituit hoc prædicabile; etenim; *Proprium est, quod prædicatur de pluribus in quale necessario*. Quæ definitiones suppositis dictis circa primam, non indigent explicatione. Adverte tamen, quòd proprium infimum, & subalternum tantùm accidentaliter differunt in ratione prædicabilis, unde non duo prædicabilia, sed unum tantùm prædicabile constituunt, modo dicto de differentia infima, & subalterna, eadem enim est ratio hic, & ibi.

7 Dic. 2. Proprium constituit hoc prædicabile in ordine ad inferiora generis, vel speciei, non tamen in ordine ad genus, vel speciem. Hæc conclusio manet probata in simili de differentia disp. ant. quæst. 4. num. 5. Videantur ibi dicta. Neque Arist. 1. Top. c. 4. dum dicit proprium prædicari convertibiliter, nobis contrariatur; nam ibi loquitur de proprio, ut est prædicatum topicum, & ut sic prædicatur convertibiliter, vel de genere, si est subalternum, vel de specie, si est infimum, non temen loquitur de proprio, ut est universale, ut sic enim nequit prædicari convertibiliter, non enim valet: *est risibile: ergo est Petrus*; licet valeat è contra. Cujus ratio est, quia de ratione universalis est, quòd sit superius, & certum est superius, non converti cum aliquo inferiori; nam dici ad convertentiam propriè, & solùm convenit æqualibus. Alia ad proprium primò intentionaliter pertinentia, in libris de Anima proponuntur.

DISP. X.

De accidenti quinto prædicabili.

UNiversale, seu prædicabile quintum in ordine est accidens, quippè imperfectius omnibus aliis; ideòque ultimo loco, de illo cum Prophyrio sermonem instituimus.

QUÆ-

QUÆSTIO UNIC.

An rectè à Porphyrio definiatur accidens?

1 PRo intelligentia quæstionis supponẽdum est, Porphyrium in hoc capite sic accidens definiisse: *Accidens est, quod inesse, & non inesse eidem potest*; seu quod idem est: *Accidens est, quod potest adesse, & abesse sine subiecti corruptione*. Circa quam definitionem est dubium, an rectè per illam accidens definiatur? Notandum tamen est, quod accidens dupliciter considerari potest; primo, ut est accidens prædicamentale, & distinguitur à substantia, in quo sensu comprehendit novem genera accidentium, de quibus suo loco. Secundò, ut accidens prædicabile, in quo sensu non solum comprehendit novem prædicta genera accidentium, sed etiam omnia illa, quæ licet sint substantiæ, tamen accidentaliter se habent respectu alicuius, seu ita sunt extra rationem illius, quod tam à priori, quam à posteriori salvatur sine illis eius essentia, eo quod nullam necessariam connexionem cum illis habet, ut *rationale*, v. g. respectu animalis.

2 Notandum est etiam, quod illa verba *adesse*, & *abesse* posita in definitione possunt accipi dupliciter, scilicet, vel primo intentionaliter, ita ut sensus sit, quod accidens possit physicè, & realiter inhærere, & non inhærere subjecto, vel secundo intentionaliter, itaut sensus sit, quod accidens potest affirmari, vel negari de aliquo, salva illius essentia.

3 Dicimus 1. Si prædicta verba *adesse* & *abesse* sumantur primò intentionaliter, non bene definitur accidens per prædictam definitionem, seu quod idem est, non definivit Porphyrius per illam accidens prædicamentale. Conclusio est com-

communis inter Scotistas, & plures alios contra Rubium hic quæst. 3. & Torrejon quæst. 1. Eam tenet Scotus quæst. 35. Universal. & etiam citatur pro illa D. Thomas de spiritualibus creaturis Artic. ultim. ad 7. Probatur ratione, quia si prędictæ particulæ intelligerentur physicè, & realiter, seu primo intentionaliter, talis definitio non conveniret omni suo definito: ergo si ita intelligantur, prædicta definitio non est bona. Prob. antec. Quia accidens inseparabile ideo dicitur tale, quia physicè, & realiter nequit separari a subiecto sine illius physica, & reali corruptione: ergo illa particula *abesse* physicè, & realiter nequit convenire accidenti inseparabili, & consequenter, si physicè, & realiter intelligatur, talis definitio non convenit omni suo definito.

4 Dicimus 2. Si prædicta verba intelligantur secundo intentionaliter, benè definitur accidens per prædictam definitionem, seu quod idem est, Porphyrius definivit per illam accidens, ut prædicabile. Conclusio est communis, sicut præcedens. Probatur, quia in hoc sensu convenit definitio omni suo definito: ergo est bona. Antecedens patet, quia tam accidens separabile, quam inseparabile, & etiam quod accidentaliter, modo dicto num. 1. prædicatur de aliquo, licet alias sit substantia, potest affirmari, vel negari de subiecto sine illius corruptione: ergo si prædicta verba intelligantur secundo intentionaliter, bene definitur per illam accidens, & consequenter in hoc sensu debent intelligi, & in illo dicendum est, loqui Porphyrium. Neque obstat, quod Porphyrius divisit accidens in separabile, & in inseparabile, quæ divisio debet intelligi de separabilitate, & inseparabilitate physica, nam in diverso sensu loquitur Porphyrius in divisione, quam in definitione supradicta, alias ipse sibi contradiceret, si enim, tam definitio, quam divisio intelligeren-

gerentur de separatione, reali, jam quod affirmavit in definitione, scilicet, accidens posse separari, negaret in divisione, cum dicat, dari accidens inseparabile, quod nullatenus est dicendum.

5 Arg. 1. Si prædicta definitio non intelligeretur primo, sed secundo intentionaliter, conveniret aliis à suo definito; ergo ut sic non esset bona definitio. Prob. antec. Quia proprium potest per intellectum adesse, & abesse sine subjecti corruptione; ergo prædicta definitio secundo intentionaliter sumpta conveniret proprio. Pro responsione nota, quod abesse à subjecto per intellectum, dupliciter potest contingere. Primo, per cognitionem præcisivam, quæ dicitur illa, qua unum cognoscitur sine alio: non tamen illud negando. Secundo, per cognitionem negativam, quæ dicitur illa, qua aliquid de alio negatur. Nunc.

6 Resp. neg. antec. & disting. antec. probationis, proprium potest per intellectum abesse absque subiecti corruptione: cognitione pure præcisiva, concedo, cognitione negativa, nego, & neg. conseq. Hæc cognitio negativa est propria accidentis.

7 Replic. Tam falsa est hæc propositio: *Corvus non est niger*; sicut hæc: *homo non est risibilis*; ergo sicut nequit proprium negari de subjecto, ita neque accidens, & consequenter non tenet prædicta solutio. Resp disting. antec. est enim verum absolutè loquendo, falsum tamen, si attendatur ad principia falsitatis. Pro cujus intelligentia observandum est, quod licet illa propositio; *Corvus non est niger* sit falsa; non tamen est contra essentiam ipsius corvi, quia nigredo non oritur à principiis essentialib. corvi, sed à principiis materialibus, sicut nigredo Æthiopis, licet sit inseparabilis ab illo, oritur à principiis materialibus, scilicet, à

tali

à tali dispositione materiæ, & à tali temperamento, non tamen a principiis essentialibus illius, unde licet hæc propositio sit falsa; *Aethiops non est niger*: non tamen est contra illius essentiam, at verò illa propositio; *homo non est risibilis*, non solùm est falsa, sed etiam opponitur essentiæ hominis; quia oritur necessariò risibilitas à principiis essentialibus hominis. Quod adhuc materialiter loquendo, in via Scotistarum patet, quia proprium, nec de potentia Dei absoluta, potest separari ab essentia, accidens vero inseparabile solum dicitur tale, quia naturaliter nequit à subjecto separari, supernaturaliter tamen ab illo separari potest.

8 Arg. 2. Universale consistit in posse prædicari de pluribus, non autem in posse negari; sed juxta prædictam explicationem, *adesse* denotat prædicari, & *abesse* negari: ergo sic explicata non est bona definitio. Resp. disting. min. quoad secundam partem, *abesse* denotat negari absolutè, ita ut pertineat ad rationem universalis, nego; denotat negari, prout negari dicit modum accidentalem prædicandi, qui convenit huic prædicabili, concedo, & neg. conseq. Etenim ratio formalis universalis in communi stat in prædicari de pluribus; ratio autem specialis hujus quinti prædicabilis stat in prędicari contingenter, quod denotatur per illam particulam *abesse*, seu *negari*; unde sensus definitionis est; *accidens est quod potest adesse* (id est prædicari) *& abesse* (id est, ita ut possit abesse per intellectum, seu negari, quod denotat prædicari contingenter) *sine corruptione subjecti*. Cùm quo similiter resp. ad aliud argumentum, scilicet, quòd prædicta definitio non est bona, eo quòd datur per opposita, scilicet *adesse*, & *abesse*, nam dicimus non esse opposita, sed *abesse*; seu negari, esse quasi contractionem, ly *adesse*, seu prædicari ad rationem hujus quinti prædicabilis, nam ut dictum est, ly *abesse* denotat,

præ-

prædicationem esse contingentem.

9 Arg. 3. Mors, & existentia sunt accidentia prædicabilia: sed existentia nequit abesse, neque mors adesse, adhuc per intellectum, sine corruptione subjecti; ergo adesse, & abesse, adhuc per intellectum, non convenit omni accidenti prædicabili. Resp. disting. min. est enim vera loquendo de corruptione subjecti quoad existentiam; falsa autem de corruptione subjecti quoad essentiam. Unde neg. conseq. quia mors, & existentia tantùm sunt accidentia hominis, v. g. quoad essentiam, & hæc salvatur incorrupta, sive homo existat, sive non.

10 Ex dictis facilè deducitur, supradictam definitionem coincidere cum alia, quæ communiter datur, hujus quinti prædicabilis, scilicet: *Accidens est, quod prædicatur de pluribus in quale contingenter*, quæ suppositis dictis circa definitionem generis, non indiget ampliori explicatione. Alia definitio, quæ adducitur à Porphyrio, scilicet: *Accidens est, quod neque est genus, neque species, neque differentia, neque proprium semper tamen est in subiecto*: tantum est quædam descriptio negativa accidentis, & illud *semper tamen est in subjecto* non debet intelligi actualiter, sed aptitudinaliter, ita ut sensus sit, semper tamen potest accidentaliter prædicari de subjectis, modo supra explicato.

Dubia incidentia.

11 Pro majori claritate hujus prædicabilis, aliqua dubia resolvenda sunt. Primò ergo dubitatur, an accidens constituat aliquod universale, seu prædicabile ab aliis distinctum? Resp. affirmativè. Resolutio est communis contra Torreion. cap. de accidenti disp. 5. quæst. 2. Probatur, quia hæ prædicationes: *Paries est albus: Petrus est albus, &c.* sunt prædicationes universalis, quia non tantùm non *albus*, sed

etiam

etiam ratio significata per illud prædicatur de pluribus: sed prædictæ prædicationes non pertinent ad aliquod ex quatuor antecedentibus præd cabilibus, cùm nullum ex illis prædicetur contingenter, ut evenit in prædictis prædicationibus: ergo quod in illis prædicatur, constituit universale, seu prædicabile distinctum à quatuor supradictis.

12 Arg. contra; universale prædicatur de pluribus univocè: sed accidens non prædicatur de subjectis uni vocè, sed tantum denominativè: ergo accidens non est universale. Resp. disting. min. accidens non prædicatur univocè, prout prædicari univocè dicit prædicari essentialiter, concedo, prout prædicari univocè opponitur prædicari æquivocè, & analogicè, nego; hoc enim sufficit ad rationem universalis, unde neg. conseq. Alia argumenta facilè solvuntur ex dictis circa omnia præd.cabilia.

13 Secundò dubitatur, in ordine ad quæ accidens constituat hoc quintum prædicabile? Resp. Illud constituere in ordine ad subjecta. Probatur, quia quintum prædicabile prædicatur contingenter: sed accidens de subiectis prædicatur contingenter: ergo in ordine ad subiecta constituit accidens hoc quintum prædicabile.

14 Ex quo deducitur, quod si accidens in communi comparetur ad plures species inferiores, ut coloratum ad album, & nigrum pertinet ad primum prædicabile, scilicet ad genus, si autem accidens specificum comparetur ad plura individua inferiora, ut album ad hoc, & illud album, pertinet ad secundum prædicabile scilicet ad speciem, quod ex se patet.

15 Deducitur secundò, accidentia in abstracto non constituere hoc quintum prædicabile, sed tantùm in concreto, quod patet, quia accidentia solùm in concreto, & non in abstracto possunt prædicari de subiectis, in ordine ad quæ hoc prædicabile constituunt.

TRACTATUS

In librum categoriarum Aristotelis.

AD intelligentiam omnium, quæ in hoc tractatu dicenda sunt, aliqua opprtet præ oculis habere. Primum hoc nomen *categoria* esse græcum,]& idem est, ac latinè *prædicamentum*, & licet ex sua prima impositione tantùm supremum prędicatum, seu genus significet, ex communi tamen consensu dialecticorum extenditur ad significandam totam seriem, seu coordinationem prædicamentalem prædicatorum essentialium, quæ a super mo genere usque ad speciē infimam inveniuntur. Unde sequitur, objectum huius tractatus esse categoriam, seu prædicamentum in communi, ut sub se comprehendit omnes categorias, seu omnia prædicamenta.

Secundò, quòd finis Arist. in hoc tractatu fuit adducere facilem, & distinctam cognitionem omium rerum, illas ad decem classes reducendo, & coordinando secundùm rationem subjecti, & prædicati, superioris, & inferioris, quæ sunt termini ad constituendas propositiones in ordine ad syllogismum, qui est objectum totius Logicæ Aristotelis, ut suo loco diximus: unde sequitur.

Tertiò, materiam hujus tractatus secundùm diversas rationes pertinere ad Metaphysicam, & ad Logicam. Ad Metaphysicam spectat in ratione entis realis, quod est objectum Metaphysicæ: ad Logicam autem, ut potest subesse secundis intentionibus subjecti, prædicati, generis, speciei, &c. in coordinatione prædicamentali. Divisit Arist. hunt tractatum in

quatuordecim capita, quæ in tres partes solent proponi, videlicet, in antepredicamenta, in prædicamenta, & in postprædicamenta, quem ordinem sequentes, similiter in tres partes præsentem tractatum dividemus.

PARS PRIMA

De Anteprædicamentis.

PEr quatuor capita, quæ continentur in hac prima parte, egit Arist. de aliquibus necessariò præmittendis ad intelligentiam prædicamentorum.

DISP. I.

De univocis, æquivocis, analogis, & denominativis.

IN primo capite egit Arist. de univocis, æquivocis, & denominativis, quorum definitiones tradidimus 1. parte Sumularum lib. 1. cap. 1. num. 22. & similiter definitionem analogorum, quæ dicuntur æquivoca à consilio, & forte propter hoc non egit in hoc capite Arist. de analogis in speciali sub hoc nomine, tamen aliis in locis adducuntur ab Arist. præcipuè 1. Ethic. cap. 5. & 4. Metaphysicæ cap. 2. & lib. 7. cap. 4. ubi enumerat aliqua, quæ ut nomine communi significantur, nec sunt univoca, nec æquivoca, strictè sumpta, sed æquivoca ad unum, vel ab uno, aut dicentia comparationem proportionis inter se, cùm autem cognitio analogorum valdè conducat ad prædicamentorum intelligentiam, hic communiter de illis agitur, & præter dicta in Sumulis loco citato, restant difficultates sequentes.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

De pertinentibus ad univoca, æquivoca, & denominativa.

1 Circa definitiones univocorum, & æquivocorum potest dubitari, quid intelligatur per illam particulam *ratio substantiæ* in illis posita? Resp. Quòd intelligitur, non ita ut univoca, vel æquivoca necessariò sint de prædicamento substantiæ, neque ita ut ratio significata per nomen sit de essentia illorum, quibus est communis, sed ita ut ratio, quæ essentialiter, seu propriè per nomen significatur, sit eadem, vel diversa respectu univocorum, & æquivocorum, unde *ratio substantiæ* idem est, ac ratio significata per nomen, sive sit, sive non de essentia illorum, quibus nomen est commune.

2 Circa nomen univocum potest dubitari, quotuplex sit? Resp. esse duplex, scilicet, propriissimum, & est, quando ratio significat per nomen est de essentia illorum, quibus est commune, ut animal, v. gr. respectu hominis, & bruti, & minus proprium, est, quando ratio significata per nomen accidentaliter convenit illis, quibus est commune, ut album, v. g. respectu hominis, & parietis. Ubi aliqui notant, quod licet utrumque possit dici univocum prædicatum, solùm tamen univocum propriissimum dicitur univocè prædicari, nam inquiunt, *prædicari univocè* idem est, ac prædicari essentialiter, sed tam hoc, quàm alia infra dicenda, videntur reduci ad quæstionem de nomine. Alia de univocis in Metaphysica traduntur.

3 Circa definitionem æquivocorum est dubium, quia videtur, æquivoca non posse definiri, nam ut inquit Arist. 6. Topic. cap. 2. & 5. & est commune proloquium Philosophorum; *Aequivoca prius sunt dividenda, quam definienda*

 & ra-

& ratio est, quia æquivoca æquivocata, quæ definiuntur, sunt plures res nullam naturam communem habentes: ergo malè assignatur definitio æquivocorum. Hoc tamen non obstante, dicimus, definitionem æquivocorum rectè assignari, quia ex dictis in Sumulis loco citato, benè explicantur æquivoca, ut distincta ab univocis. Unde.

4 Ad rationem dubitandi resp. Quòd æquivoca dupliciter possunt considerari. Primò, materialiter, seu pro ipsis rebus dissimilibus in natura, quæ eodem nomine significantur. Secundò, formaliter, seu pro illa notione communi, quam omnia æquivoca participant. In primo sensu vera est ratio dubitandi, nam sydus cœleste, piscis marinus, & animal latrabile, cùm habeant diversas naturas, nequeunt unica definitione definiri, unde, quando inquiritur, quid sit canis? (hoc enim nomine tria prædicta appellantur) prius est distinguendum, quàm definiendum; nam cùm nomen *canis* tria prædicta æquivocè significet, prius sciendum est, de quonam illorum fiat interrogatio, quàm responsio, & definitio tribuatur.

5 In secundo verò sensu falsa est ratio dubitandi, quia omnia æquivoca conveniunt in notione æquivocorum, & in hoc sensu definiuntur, nam ut sic, non æquivoca materialiter sumpta; sed ipsa ratio formalis æquivocationis definitur; quod patet hoc exemplo, in definitione universalis, ver. gr. quam omnes admittunt, non definiuntur naturæ, quæ universales demoninantur materialiter sumptæ quia ut sic (ut ex se patet) non dicunt aliquam rationem communem; sed definiuntur formaliter sumptæ in ratione universalis, seu melius, definitur ipsa ratio formalis universalitatis, in qua omnes conveniunt.

6 Circa denominativa potest dubitari, an habeant aliquam divisionem? Pro responsione notandum est, quod in denominativis tria inveniun-

niuntur, scilicet, forma, quæ dicitur denominans subjectum, quòd dicitur denominatum, & conflatum ex subjecto, & forma, & dicitur denominativum, v.g. in *albo albedo* est forma denominans subjectum, v.g. *paries*, est denominatum, & totum conflatum, scilicet, *album*, est denominativum Ex quo facilè intelligitur Arist. cùm in hoc capite dicit, quòd denominativum solo casu differt ab illo, à quo recipit denominationē: nam denominativum est concretum, & denominans est abstractum, & abstractum & concretum solum differunt in hoc, quòd concretum significat formam cum cadentia, seu concernentia ad subjectum, & abstrectum dicit formam sine tali cadentia, aut concernentia.

7 Resp. ad dubium, quòd denominativum, ratione formę denominantis, dividitur in denominativum solùm in re, & est illud, quod recipit denominationē ab aliqua forma significāte eamdem rem, licet non habente idem nomen, ut *studiosus* recipit denominationem à *virtute*, quæ idem significat, ac *studiosus*, licet diverso nomine, & in denominativum solùm nomine & voce, & est illud, quod recipit denominationem ab aliqua forma habente idem nomen, licet diversam significationem, ut *studiosus* recipit denominationem ab *studio*, quod habet idem nomen, ac *studiosus*, sed diversam significationē, nā *studium* significat diligentiam in edíscendis litteris, *studiosus* verò sinificat habens virtutem, & in denominativuum re & nomine, & est illud, quod recipit denominationem ab aliqua forma idem significante, & idem nomen habente, ut *album* recipit denominationem ab *albedine*, quæ idem nomen habet, & idem significat, ac *album*.

8 Denominativum autem, ratione rei denominatæ, dividitur in essentiale, & est illud, quod recipit denominationem ab aliqua forma essentiali, ut *rationale* recipit denominationem à *rationalitate*; quæ est de essentia

hominis denominati. Huc possunt reduci denominativa a propriis passionibus, ut dictum est de differentia propriissima, & in denominativum accidentale, & est illud, quod recipit denominationem a forma accidentali, ut *album* recipit denominationem ab *albedine*, quæ est forma accidentalis respectu subiecti illam habentis. Aliqui intendunt, quod solum denominativa accidentalia sint propriè denominativa, falso tamen nituntur fundamento, scilicet, quod forma denominãs debet realiter distingui a re denominata, quod non facile probatur, nos autem dicimus, quod etiam denominativum essentiale est propriè denominativum, nam ad hoc sufficit, vel distinctio rationis, vel formalis ex natura rei, inter formam denominantem, & rem denominatam.

9 Advertendum tamen est, ad auferendam æquivocationem, & ad solvenda aliqua argumenta, quæ magis apparentiæ, quam realitatis habent, quod univocum differt à denominativo in hoc, quod denominativum tantum dicit recipere denominationem ab aliqua forma, sive ratio significata per illam sit communis pluribus, sive non, unde, si *albedini*, v.g. repugnaret multiplicari in pluribus, adhuc *album* diceretur denominativum, quia reciperet denominationem ab *albedine*; univocum autem, cum sit quid commune pluribus, necessario exigit plura, quibus nomine, & re conveniat, ad minus possibilia.

QUÆSTIO II.

Quid, & quotuplex sit analogia.

1 DIximus in Sumulis loco citato in initio huius disp. analoga aliquomodo coincidere cum æquivocis a consilio, nunc autem pro majori illorum intelligentia, aliqua ad ana-

analogiam pertinentia exagitantur, quæ valdè lato sermone, qui maximam confusionem adducit, ab aliquibus disputantur, non autem illa plus per modum simplicis recitationis, quam per modum disputationis, brevitate possibili attingemus, quia judicamus, ferè omnia reduci ad quæstionem de nomine. Igitur.

2 Dicimus 1. pro primo, quod inquirit quæstio, *analogia* nomen est græcum, quod latinè idem sonat, ac *proportio*, unde sic communiter definitur: *Analogia est proportio aliquorum idem nomen participantium*. Quæ definitio ferè ex terminis patet, & amplius patebit ex dicendis

3 Dicimus 2. pro secundo, quod inquirit quæstio: analogia dividitur in analogiam attributionis, in analogiam proportionis, seu proportionalitatis, & in analogiam inæqualitatis Analogia attributionis dicitur, quando nomen ita est commune, ut ratio significata per illud, participetur ab analogatis per ordinem unius ad aliud, v. g. hoc nomen *sanum* dicitur analogum analogia attributionis, quia analogata, scilicet, *animal*, *urina*, & *medicina*, ita participant rationem sanitatis significatam per *sanum*, ut propriè conveniat animali, cæteris autem per attributionem ad illud, & hoc intendit Arist. cum dicit, analoga dici *ab uno*, & *ad unum*.

4 Analogia proportionis, seu proportionalitatis dicitur, quando nomen commune significat aliquam rationem diversam in analogatis, cum aliqua tamen similitudine inter illa, v. g. hoc nomen *risus* dicitur analogum analogia proportionis, seu proportionalitatis, quia analogata, scilicet, *homo*, & *rivulus* habent diversas rationes risus, cum aliqua tamen similitudine inter se.

5 Analogia inæqualitatis dicitur, quando

nomen commune significat aliquam rationem, eamdem essentialiter in analogatis, & tantum diversam accidentaliter, ratione inæqualium differentiarum, seu proprietatum, v. g. hoc nomen *animal* dicitur analogum analogia inæqualitatis; respectu hominis, & bruti, quia tale nomen est commune illis, & ratio significata per illud, essentialiter, & quantum est ex se, est in illis eadem; & tamen propter differentias inæqualiter existit in illis, nobilius, scilicet, in homine propter rationalitatem, & ignobilius in bruto propter irrationalitatem. Hoc modo potest dici ens analogum Deo, & creaturis, substantiæ, & accidenti, quia perfectiori modo est in Deo, quam in creaturis, & in substantia, quam in accidenti, de quo in Metaphysica.

6 Prima, & secunda analogia communiter ab omnibus admittitur, & circa illas notandum est, quod versatur hæc differentia, scilicet, quod analogia attributionis solum exigit duos terminos; quia cum sit proportio inter rationes diversarum rerum, ut significantur nomine communi, solum pro terminis habebit ipsas rationes diversarum rerum, inter quas est analogia; analogia autem proportionalitatis exigit quatuor terminos, quia est proportio inter rationes diversarum proportionum, ut significantur nomine communi, & certum est, quamlibet proportionem habere duos terminos; sic enim explicatur analogia proportionalitatis: *Sicut se habet risus ad pratum, similiter se habet risus ad hominem.*

7 Advertendum tamen est, quod ratio significata per nomen analogum, propriè, & formaliter reperitur in uno ex analogatis, in aliis vero, impropriè, & metaphoricè, seu per ordinem ad illud, quod patet in omnibus exemplis supra positis, unde infertur, divisionem analogiæ, traditam ab aliquibus, in propriam,

& in

& in impropriam, non videri rectè traditam; impropriam enim appellant, quando ratio significata per nomen analogum, alteri ex analogatis convenit propriè, cæteris verò impropriè, modo dicto: propriam autem appellant, quando ratio significata per nomen propriè convenit omnibus analogatis, ut inquiunt, ratio significata per hoc nomen principium propriè convenit puncto lineæ, & fundamento domus, quæ sunt analoga proportionalitatis; nam sicut se habet in ratione principii primum punctum ad lineam, ita se habet fundamentum ad domum, hæc tamen explicatio analogiæ non excludit univocationem; nam in ratione principii, punctum lineæ, & fundamentum domus conveniunt univocè, licèt materialiter æquivoca sint, ut in simili diximus loquendo de differentiis. Similiter dicendum est de tertia analogia, scilicet, inæqualitatis, quæ, ut patet, non excludit univocationem, sed hoc, ut sæpè dictum est, reducitur ad quæstionem de nomine, quapropter in illo non amplius est immorandum; solùm adverte, quòd communiter dicitur: *Analogum per se sumptum stat pro famosiori significato*, id est pro illo, cui ratio significata propriè convenit, & quòd ab analogatis propriè dictis nequit abstrahi aliqua ratio communis significata per illud nomen; cùm in quolibet illorum sit diversa.

QUÆSTIO III.

In qua aliqua dubia circa analogiam resolvuntur.

1 DUbitabis 1. An analogia attributionis, & analogia proportionalitatis differant specie? Communis consensus Scotistarum est, quòd non differunt specie, quod patet ex eo, quòd ut dictum est, ratio formalis

analogicæ consistit in hoc, quòd unum ex analogatis ita participet rationem significatā per nomen, quòd cætera analogata per ordinem, seu attributionem ad illud illam participent: hoc eodem modo invenitur in analogia attributionis, & proportionalitatis: ergo in ratione analogiæ non differunt specie. Solùm autem differunt materialiter, quatenus una versatur inter res, & sic tantùm exigit duos terminos, altera verò versatur inter proportiones rerum, & sic necessariò quatuor terminos exigit, ut dictum est quæst. antec. & certum est, differentias materiales non facere differre specificè.

2 Dubitabis 2. Utrùm analogum sit medium inter univocum, & æquivocum. Pro responsione notandum est, quod æquivoca sunt in dupli. ci differentia, alia purè æquivoca, & sunt æquivoca à casu, & dicuntur purè equivoca, quia ita habent naturas diversas, ut nullum ordinem, neque proportionem habeant inter se: alia non purè æquivoca, & sunt æquivoca à consilio, & dicuntur non purè æquivoca, quia licet habeant naturas diversas, habent tamen inter se aliquem ordinem, seu proportionem, ut dictum est in Sumulis.

3 Similiter univoca sunt in duplici differentia, alia purè univoca, & sunt illa, in quibus ratio communis signficata per nomen, est eadem, & idem modus essendi talis rationis in illis, & idem ordo essentialis, ita ut talis ratio non sit prius in uno, quàm in alio, & eadem perfectio essentialis, ita ut talis ratio non sit perfectiori modo in uno, quàm in alio. In hoc sensu solùm dicuntur univoca individua unius speciei.

4 Alia non purè univoca, & sunt illa, quibus deficit aliqua ex prædictis conditionibus ad puram univocationē, & sunt in triplici differentia, alia quibus deficit tantùm quarta conditio, in quo sensu dicuntur univoca species
ali-

alicuius generis, nam ratio animalis, v. gr. perfectior est essentialiter in homine propter suam differentiam, quàm in bruto. Alia sunt, quibus deficit tertia, & quarta conditio, in hoc sensu dicuntur univoca species numeri, nam ratio numeri prius, & perfectius est in binario, quàm in ternario. Alia denique sunt, quibus deficiunt secunda, tertia, & quarta conditio, in hoc sensu, ut tenet communis Scotistarum consensus, & dicitur in Metaphysica, ratio entis est univoca Deo, & creaturis, substantiæ, & accidenti, quia eadem est ratio entis in illis, tamen majorem perfectionem habet in Deo, quam in creaturis, prius est in Deo, quàm in creaturis, & diversum modum essendi habet in Deo quam in creaturis, similiter dicendum est est de substantia, respectu accidentis. Prædictos quatuor modos univocationis afferunt, & admittunt omnes Scotistæ, & ultimum dicunt esse imperfectiorem aliis, qui se excedunt per suos gradus.

5 Nunc resp. ad dubium, primò, si fiat comparatio inter purè univoca, & purè æquivoca, analogum, quomodocumque sumatur, potest dici medium inter illa. Probatur, quia illud potest dici medium inter aliqua, quod aliquomodo participat rationem illorum; sic se habet analogum, quomodocumque sumatur, inter purè univoca, & purè æquivoca: ergo potest dici medium inter illa. Prob. min. Quia tam analogum attributionis, quàm proportionalitatis significat naturas simpliciter diversas, in quo convenit cum purè æquivoco, & tales naturæ sunt idem secundùm quid seu per proportionem, & similitudinem, in quo aliquomodo convenit cùm purè univocis, deinde analogum inæqualitatis significat eamdem naturam in pluribus, in quo convenit cum purè univocis, & talis natura inæqualiter est in illis, scilicet, cùm majori perfectione essentiali in uno, quàm

in alio, in quo convenit cùm purè æquivocis ; ergo analogum, quomodocumque sumatur, aliquomodo participat rationem purè univoci, & purè æquivoci, & consequenter est medium inter illa.

6 Resp. 2. Si fiat comparatio inter non purè univoca, & non purè æquivoca, analogum, quomodocumque sumatur, non est medium inter illa. Patet, quia analogum necessario debet esse, vel æquivocum non purum, si est analogum attributionis, vel proportionalitatis, vel debet esse univocum non purum, si est analogum inæqualitatis, quod manifestum est ex dictis de non purè æquivocis, & non purè univocis ; ergo analogum, quomodocumque sumatur, nequit esse medium inter non purè univoca, & non purè æquivoca.

DISP. II.

De Prædicamentis in communi.

ANtequam de prędicamentis in speciali sermonem instituamus, aliqua Arist. sequentes, de prædicamentis in communi præmittemus. Sit ergo.

QUÆSTIO I.

An rectè dividatur ens in decem prædicamenta?

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est 1. quod Arist. in 2. cap. tradidit duas divisiones. Prima eorum, quæ dicuntur, in complexa, & in incomplexa. Circa quam divisionem est advertendum, quod complexum dicitur tripliciter. Primò, quando tantum est complexum voce, non autem re, ut *animal rationale*. Secundo, quando tantùm est comple-

xum

xum re; non tamen voce; ut *album*. Tertiò, quando est complexum voce, & re; ut *homo albus*. Similiter incomplexum dicitur tripliciter. Primò, quando est incomplexum tantum voce, non autem re; ut *album*. Secundò, quando est incomplexum tantum re, non tamen voce; ut *animal rationale*. Tertiò, quando est incomplexum re, & voce; ut *substantia, accidens*, &c. Ex quo sequitur, quòd idem est complexum voce tantum, ac incomplexum tantum re; & similiter idem est complexum re tantum, ac incomplexum tantum voce. Communiter autem ferè omnes Philosophi intelligunt, Arist. divisisse incomplexum re, & voce in decem prædicamenta, quando talis divisio dicitur divisio incomplexorum.

2 Secunda divisio Aristot. est eorum, quæ sunt; illorum enim, quæ sunt (inquit) quædam de subjecto dicuntur, & in subjecto non sunt, ut substantię universales, quę non sunt in subjecto per inhærentiam; & tamen dicuntur, seu prædicantur de subjectis, & scilicet de individuis, ut superius de inferioribus; quædam autem sunt in subjecto, & de subiecto non dicuntur; ut accidentia singularia, quæ sunt in subjecto per inhæsionem, & de subjecto non dicuntur, quia non prædicantur, ut superius de inferiori, quædam denique neque sunt in subjecto, neque de subiecto dicuntur, ut substantiæ singulares, quæ neque sunt in subjecto per inhærentiam, neque prædicantur, ut superius de inferiori. In hæc tria membra tantùm divisit Arist. ea, quę sunt, per quod datur intelligi, quòd per *dici de subiecto* intelligit Arist. prædicari quidditativè, aliàs deberent ponere aliud membrũ, scilicet, ea, quæ sunt in subiecto, & de subiecto dicuntur; ut sunt naturæ accidentales in cõmuni, quæ à parte rei sun in subiecto inhæsionis, & prædicantur de subiectis, tanquam de aliquomodo inferioribus. Hæc divisio aliquo-

modo

modo coincidit cum divisione entis in substantiam, & accidens.

3 Notandum est 2. Aristot. in 3. cap. tradere triplicem regulam ad intelligentiam coordinationum prædicamentalium non parum conducentem. Prima est, quando aliquod prædicatum dicitur de aliquo, tamquam de subjecto, necessario, quæ dicuntur de prædicato, etiam dicuntur de subjecto, v. gr. quia de Petro, tamquam de subjecto; prædicatur homo, quidquid prædicatur de homine, necessariò prædicatur de Petro, quod idem est, ac dicere, quòd prædicata, coordinationis prædicamentalis, ita se habent, ut inferiora in recta linea includant in suo conceptu superiora.

4 Secunda regula est, quod diversorum generum, non subalternatim positorum, diversæ sunt essentiales differentiæ. Tertia est, quod diversorum generum subalternorum, possunt esse eædem essentiales differentiæ. Pro harum regularum intelligentia advertendum est, quod genera diversa possunt dici subalterna dupliciter. Primo, ita ut unum ponatur sub alio in recta linea prædicamentali, ut *animal*, & *vivens*. Secundo, ita ut utrumque sub aliquo tertio contineatur, ut *corpus*, & *spiritus* continentur sub *substantia*. Similiter genera non subalterna stant dupliciter. Primo, ita ut unum non sit sub alio, licet utrumque sit sub aliquo tertio, ut sunt *corpus*, & *spiritus*. Secundò, ita ut neque unum sit sub alio, neque utrumque sub aliquo tertio, ut sunt *animal*, & *scientia*.

5 Deinde, etiam differentiæ dupliciter sumuntur, quædam sunt superiores, ut *corporeum* respectu animalis; quædam vero inferiores, ut *rationale* etiam respectu animalis. Similiter, quædam sunt constitutivæ, ut *sensibile*, quod constituit animal, quædam sunt divisivæ, ut *rationale*, & *irrationale*, quæ dividunt idem animal,

mal. Nunc non difficilè intelliguntur prædictæ regulæ.

5 In prima regula genera non subalterna sumuntur pro illis, quorum, neque unum est sub alio, neque utrumque sub aliquo tertio; nam prædicta genera, cùm pertineant ad diversa prædicamenta, nullam differentiam possunt habere communem, sive differentia sit superior, sive inferior, sive constitutiva, sive divisiva, quod patebit scrutanti quælibet genera non subalterna, in sensu supradicto.

7 In secunda regula pro generibus subalternis, non solùm intelliguntur illa, quorum unũ est sub alio, sed etiam illa, quæ sub aliquo tertio continentur, licèt unum sub alio non sit. De primis patet, nam genus, quod continetur sub alio semper habet differentiam superioris, non solùm constitutivam, sed etiam aliquam divisivam, *animal* enim non solùm habet differentiam constitutivam corporis, scilicet, *corporeum*, sed etiam aliquam divisivam corporis, scilicet, *animatum*: quas differentias etiam habet *vivens*, & sic sunt differentiæ communes animali, & viventi, quæ sunt genera subalternata, respectu corporis, quia sub illo continentur.

8 De secundis generibus etiam patet, quòd aliquando habent easdem differentias communes, nam *quantitas continua*, & *discreta*, v.g. quæ sunt genera subalternata, quia continentur sub *quantitate in communi*, tamquam in tertio, habent differentiam constitutivam quantitatis, & etiam differentias divisivas, ut sunt *successiva*, & *permanens*; & dicitur *aliquando*, quia non semper prædicta genera habent differentias communes, præcipuè loquendo de differentia divisiva nam *corpus*, & *spiritus* nullam differentiam habent ipsis communem ex differentiis divisivis substantiæ, quæ est genus, sub quo continentur, quod etiam exemplificari potest

test in pluribus aliis generibus; & hoc fuit intentum Arist. quia non dixit, quòd genera subalterna in prædicto sensu semper habent differentias easdem, sed tantùm dixit: *Subalternorum generum nihil prohibet, easdem esse differentias.*

9 Notandum est 3. Arist. in 4. lib. divisisse ens incomplexum in decem prædicamenta, scilicèt, in *substantiam, quantitatem, ad aliquid*, seu relationem, *qualitatem, ubi quando situm, habere*, seu habitum, *agere*, seu actionem, & *pati*, seu passionem. Circa hanc divisionem est difficultas, an rectè, & adæquatè sit tradita?

10 Dicimus ergo: divisio entis incomplexi in decem prædicamenta numerata, est exacta, & adæquata. Hæc conclusio est communior Philosophorum consensus; eam tenet Scotus in 4. dist. 10. quæst. 1. §. *Quantum ergo, vers. Et si omnino arguas*, litt. K. & dist. 13. quæst. 1. § *Ad huius, versic. Vlterius*, litt. C. Conveniunt tamen omnes, non posse demonstrari à priori; à posteriori verò diversis rationibus solet probari; unam tantùm proponemus; quæ magis propositum videtur ostendere, præcipuè inter Scotistas, qui tenent, sex ultima prædicamenta consistere in respectu extrinsecùs advenientе, ut suo loco dicimus; ratio autem talis est.

11 Præter prædicamentum substantiæ, quod omnes fatētur esse unicum tantùm possunt assignari novem prædicamenta accidentium: ergo talis divisio est adæquata. Prob. antec. quia accidentia differunt inter se per diversos modos afficiendi substantiam: sed tantùm possunt assignari novem modi afficiendi substantiam: ergo tantùm possunt assignari novem prædicamenta accidentium. Prob. minor, quia, val accidens afficit substantiam absolutè, id est, in ordine ad se, vel respectivè, id est,

in ordine ad aliud? Si absolutè, vel ut extendat substantiam, quod solet dici, afficere ratione materiæ, & sic est *quantitas*: vel ut illam qualificet, quod solet dici, afficere ratione formæ, & sic est *qualitas*. Si respectivè; vel ut respectus intrinsecus adveniens, & sic est *ad aliquid*, seu *relatio*; vel ut respectus extrinsecus adveniens; & hoc, vel ratione causalitatis activæ, & sic est *actio*; vel ratione causalitatis passivæ, & sic est *passio*; vel ratione mensuræ quantitatis permanentis, & sic est *ubi*: vel ratione mensuræ quantitatis successivæ, & sic est *quando*; vel ratione ordinis totius, & sic est *habitus*: vel ratione ordinis partium; & sic est *situs*; sed præter hos modos afficiendi substantiam, non est assignabilis alius: ergo tantum sunt novem modi afficiendi substantiam; & consequenter tantum sunt novem prædicamenta accidentium; & sic prædicta divisio entis in decem prædicamenta, est adæquata.

12 Aliqui intendunt, tantum dari unicum prædicamentum, scilicet, ens in communi, eo quod prædicamentum constat genere supremo, ita ut supra se nullum genus habeat: sed quælibet genera, quæ possunt assignari, habent supra se ens, quod est genus respectu illorum, & ens non habet supra se aliud genus: ergo tantum ens est genus supremum: & consequenter tantnm datur unicum prædicamentum. Alii autem intendunt, tantum dari duo prædicamenta, scilicet, prædicamentum substantiæ, & prædicamentum accidentis in communi, eo quod novem genera accidentium assignata habent supra se accidens in communi, quod est genus respectu illorum, & accidens nullum genus habet supra se: quia ens non est genus respectu substantiæ, & accidentis: ergo tantum substantia, & accidens in communi sunt genera suprema: & consequenter tantum dantur hæc duo prædicamenta. Respond.

spond. pro nunc negando, quod ens sit genus respectu substantiæ, & accidentis, & similiter negando, quod accidens in communi sit genus respectu novem generum accidentium; cuius negationis ratio latè assignatur in Metaphysica. Adverte tamen, quod divisio entis in decem prædicamenta, non est immediata, de quo etiam in Metaphysica, ut in proprio loco.

QUÆSTIO II.

Quænam sint, quæ in prædicamento collocantur?

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est sex conditiones requiri ad hoc, ut aliqua in prædicamento collocentur, quæ his versiculis ab aliquibus explicantur.

Ens per se, non mentis opus, cui terminus, atque
Completum, univocum, cuius sit notio simplex.

id est, ens prædicamentale debet esse ens per se, ens reale, ens finitum, ens completum, ens univocum, & ens simplex, seu incomplexum. Juxta quas conditiones.

2 Dicimus 1. Ens per accidens non collocatur in prædicamento. Probatur, quia quod collocatur in prædicamento debet habere unicam essentiam: sed ens per accidens, non unicam, sed plures essentias includit: ergo ens per accidens non collocatur in prædicamento. Major patet; quia Arist. instituit prædicamenta, ut quælibet res possit per suos gradus quidditativè definiri: sed solum quod habet unicam essentiam potest quidditativè definiri: ergo quod collocatur in prædicamento debet habere unicam essentiam, & consequenter tantum ens per se,

se, non verò ens per accidens, collocatur in prædicamento:

3 Dicimus 2. Ens rationis non collocatur in prædicamento. Probatur, quia Aristot. divisit ens reale in decem prædicamenta: ergo solum quod participat rationem entis realis collocatur in prædicamento, & consequenter ens rationis in illo non collocatur.

4 Dicimus 3. Ens infinitum non collocatur in prædicamento. Probatur: quia quod ponitur in prædicamento debet habere rationem generis, & differentiæ; sed hoc repugnat enti infinito; quia ratio generis dicit imperfectionem, scilicet, potentialitatem, quæ repugnat enti infinito: ergo solum ens finitum, non verò infinitum, collocatur in prædicamento. Propter hoc, inquit Scotus in 1. dist. 8. qu. 3. §. *Teneo opinionem meam*, litt. G. *Deus non ponitur in prædicamento*.

5 Dicimus 4. Complexum nullatenus ponitur in prædicamento, etiam si tantum sit complexum voce, & incomplexum re, ut *animal rationale*. Conclusio patet ex Arist. qui solum incomplexum divisit in decem prædicamenta. Deinde probatur ratione; quia illa solum ponuntur in prædicamento; a quibus abstrahi potest aliqua ratio communis, quæ de ipsis dicatur *in quid*: sed a genere, & differentia, quibus constat prædictum complexum, nequit abstrahi aliqua ratio communis, quæ de ipsis dicatur *in quid*, & se habeat, ut genus respectu illorum, cum differentia non includat genus: ergo prædictum complexum non ponitur in prædicamento. Neque obstat, quod definitio, & definitum idem sint; nam licet hoc sit verum ex parte rei, non tamen ex parte modi significandi, nam definitio significat clarè, & complexè, quod definitum significat incomplexè, & confusè; quod sufficit ad hoc, ut definitum ponatur in prædicamento; non verò definitio. Sed

hæc

hæc conclusio videtur reduci ad quæstionem de nomine, tamen, sic ponitur, ut à communi consensu non deviemus.

6 Dicimus 5. Tantùm univoca, non verò æquivoca, & analoga, collocantur in prædicamento. Probatur; quia solùm illa collocantur in prædicamento, à quibus potest abstrahi aliqua ratio communis, quæ de ipsis prædicetur *in quid*: constat, quod talis ratio communis solùm potest abstrahi ab univocis; non verò ab æquivocis, & analogis: ergo tantùm univoca, non verò æquivoca, & analoga, collocantur in prædicamento.

7 Pro sequentibus notandum est, quòd aliquid potest collocari in prædicamento, vel per se, vel reductivè; vel in recta linea, vel in indirecta, seu ad latus. Deindè, aliæ sunt partes metaphysicæ, ut genus, & differentia; aliæ sunt partes physicæ, & hæ, vel essentiales, ut materia, & forma; vel integrales, & hæ, vel homogeneæ, seu ejusdem rationis, ut partes aquæ; vel etærogeneæ, seu diversæ rationis, ut caro, ossa, pes, manus, &c. Nunc

8 Dicimus 6. in ordine; partes metaphysicæ, scilicet, genus, & differentia collocantur in prędicamento; genus in recta linea, differentia verò tantùm in indirecta, seu ad latus. Patet conclusio; quia in recta linea prædicamentali collocantur, quæ directè, & *in quid* de inferioribus prædicantur; in indirecta autem, seu ad latus, rationes divisivæ gradus superioris, & constitutivæ gradus inferioris: sed genus directè prædicatur *in quid* de inferioribus; differentia autem est divisiva gradus superioris, & constitutiva inferioris, ut patet in arbore prædicamentali: ergo partes metaphysicæ modo dicto ponuntur in prædicamento.

9 Dicimus 7. Partes physicæ essentiales, ut sunt materia, & forma, non collocantur per se in recta linea prædicamentali totius, quod consti-

stituunt, sed tantùm reductivè. Probatur; quia coordinatio prædicamentalis constat prædicatis, quæ possunt denominari species, & genera completa; sed prædicata, quæ possunt abstrahi à prædictis partibus, nequeunt denominari species, & genera completa; ergo prædictæ partes non collocantur in recta linea prædicamentali totius, quod constituunt per se. Quod autem reductivè collocentur, ex eo patet; quia omnia, quæ includuntur in composito; ipsum necessariò sequuntur; partes essentiales includuntur in composito; ergo ipsum necessario sequuntur: & consequenter ubi illud per se collocatur, illæ collocantur reductivè. Hæc conclusio etiam debet intelligi de partibus physicis integralibus etærogeneis, ut sunt caro, ossa, pes, manus, &c. propter eamdem rationem.

10 Dicimus 8. Partes physicæ integrales homogeneæ, ut partes aquæ, collocantur in recta linea prædicamentali, si considerentur secundùm se. Probatur; quia licèt prædictæ partes, ut tales sint entia incompleta physicè, respectu totius; tamen secundum se consideratæ, habent rationem totius completi, & à qualibet possunt abstrahi eadem prædicata metaphysica completa, quæ possunt abstrahi à toto composito, ergo prædictæ partes secundum se consideratæ collocantur in recta linea prædicamentali.

11 Dicimus 9. Individuum collocatur in recta linea prędicamentali, ut fundamentum illius. Patet; quia omnia prędicata essentialia, quę collocantur in recta linea prędicamentali, prędicantur directè de individuo; ergo individuum est fundamentum totius rectæ lineæ prędicamentalis. Neque obstat, quod Porphyrius dixerit cap. de specie, speciem infimam esse terminum rectę linę prędicamentalis; nam solum loquitur Porphyrius de

naturis, quæ possunt denominari universales, quod non competit individuo.

12 Advertendum tamen est, ad auferendas aliquas æquivocationes, quod benè potest ab intellectu disponi prædicamentum, seu coordinatio prædicamentalis entium rationis per similitudinem ad coordinationem prædicamentalem entium realium, & similiter potest disponi coordinatio prædicamentalis negationum, entium per accidens, & entium incompletorum; sed hoc non præjudicat nostris conclusionibus, quia solùm loquimur juxta Arist. de coordinatione prædicamentali decem generum, quæ debent esse entia positiva realia per se, & completa.

13 Dubitabis, an entia collocentur in prædicamento sumpta in concreto, vel in abstracto? Resp. quòd loquendo de prædicamento substantiæ, collocantur in prædicamento entia in concreto, v. gr. *homo*; non verò in abstracto, v. gr. *humanitas*. Probatur, quia quæ collocantur in prædicamento, possunt denominari genera, aut species, & formaliter prædicari de inferioribus; hoc convenit naturis substantialibus in concreto, non verò in abstracto; ergo non in abstracto, sed in concreto collocantur in prædicamento. Minor patet ex dictis de prædicationibus, nam ad prædicationem formalem requiritur, quod prædicatum concernat subjectum.

14 Loquendo autem de prædicamentis accidentium, non collocantur in prædicamento entia in abstracto ultima abstractione, v. gr. *albedeneitas*; neque in concreto rigorosè loquendo, ver gr. *album*; collocantur autem in abstracto non ultima abstractione, v. gr. *albedo*. Prima pars patet ex dictis de prædicamento substantiæ. Secunda pars etiam patet ex prima conclusione huius quæst. quia concreta accidentalia sunt entia per accidens. Tertia pars pro-

probatur; quia accidentia abstracta non ultima abstractione possunt denominari genera, & species, respectu suorum inferiorum, & prædicari de illis formaliter; quia licet, ut sic non concernant subjecta; concernunt tamen sua inferiora, ut dictum est loquendo de prædicationibus: ergo accidentibus abstractis non ultima abstractione nihil deficit, ut in prædicamento collocentur.

15 Dices contra, prædicamenta accidentium distinguuntur ex diverso modo afficiendi subjectum; sed in concreto, & non in abstracto, afficiunt subiectum; ergo in concreto, & non in abstracto, collocantur in prædicamento. Resp. neg. conseq. Quia etiam si diversitas prædicamentorum accidentium desumatur ex diverso modo afficiendi subjectum; tamen omnia accidentia, quæ ad unum prædicamentum pertinent, eo quod eodem modo afficiant subjectum, non collocantur in prædicamento, seu in coordinatione prædicamentali, quatenus subjectum afficiunt, sed quatenus unum de alio essentialiter prædicatur, & unum alteri essentialiter subiicitur, quæ ut ex se patet, conveniunt accidentibus abstractis non ultima abstractione.

QUÆSTIO III.

Quomodo distinguantur inter se prædicamenta?

1 Conveniunt omnes, prædicamenta inter se aliquomodo distingui, quod patet ex eo quòd illa, quæ diversis definitionibus explicantur, & diversis conceptibus apprehenduntur, aliquomodo inter se differunt; sed omnia prædicamenta diversis definitionibus explicantur, & diversis conceptibus apprehenduntur; ergo omnia prædicamenta aliquomodo

do inter se distinguuntur. Solum autem est difficultas, an talis distinctio sit realis?

2 Dicimus: omnia prædicamenta realiter inter se distinguuntur. Hæc conclusio est communior inter Scotistas, quam tenet Scotus 5. Metaphysicæ, q.6. Probatur 1. quia illa distinguuntur realiter, quæ genere, specie, & numero distinguuntur; sed omnia prædicamenta distinguuntur genere, specie, & numero; ergo omnia prædicamenta realiter distinguuntur. Minor quoad primam partem apud omnes est certa; nam decem prædicamenta sunt decem genera diversa. Quoad secundam partem etiam patet; quia illa possunt dici differre specie, quæ in nullo principio essentiali constitutivo conveniunt: (non loquimur de distinctione specifica propriè dicta: hæc enim tantum invenitur inter illa, quæ sub aliquo genere continentur, qualia non sunt prædicamenta, cùm sint genera suprema) sed decem prædicamenta non conveniunt in aliquo principio essentiali constitutivo: ergo possunt dici differre specie.

3 Prob. min. quoad tertiam partem: quia quæ habent diversas singularitates, distinguuntur numero: sed omnia prędicamenta habent diversas singularitates: ergo distinguuntur numero. Prob. min. Quia individuum cujuscumque ordinis prædicamentalis habet singularitatem propriam illius ordinis; sed singularitas propria unius ordinis prædicamentalis nequit esse propria alterius ordinis prædicamentalis: ergo omnia prædicamenta habent diversas singularitates, & consequenter distinguuntur numero. Minor patet à paritate; quia sicut se habet differentia specifica ad naturam genericam, ita se habet differentia numerica ad naturam specificam: sed repugnat, eamdem differentiam specificam contrahere plures naturas genericas oppositas: ergo repugnat, eamdem dif-

differentiam numericam contrahere plures naturas specificas oppositas; ergo cuilibet speciei, & cuilibet generi debent assignari diversæ differentiæ numericæ: ergo omnia genera distinguuntur numero, & consequenter realiter.

4 Secundo probatur conclusio ex Scoto citato, nam si aliqua prædicamenta non distinguerentur realiter, maximè, quæ ab aliquibus assignantur, scilicet *quantitas*, & *substantia*: *relatio*, & *extrema*; *actio*, & *passio*; *ubi*, & *situs*; sed hæc omnia inter se realiter distinguuntur, ut patebit loquendo de prædicamentis in speciali; ergo omnia prædicamenta inter se realiter distinguuntur.

5 Arg. 1: Prædicamenta accidentium differunt ex diverso modo afficiendi substantiam; sed idem accidens secundùm diversas rationes potest diversimodè afficere substantiam: ergo idem accidens potest pertinere ad diversa prædicamenta. Prob. min. quia superficies terminata lineis pertinet ad prædicamentum quantitatis, & etiam pertinet ad prædicamentum qualitatis, ut importat terminationem linearum, nam ut sic dicitur figura, quæ est species qualitatis. Resp. neg. min. ad probationem dicimus, quòd figura duo realiter distincta continet; primùm superficiem terminatam lineis, & ut sic pertinet ad prædicamentum quantitatis: secundum distributionem, seu dispositionem linearum, & ut sic pertinet ad prædicamentum qualitatis; hæc autem duo inter se realiter distinguuntur.

6 Arg. 2. Relatio dependentiæ, quam dicit creatura ad Deum creatorem, identificatur realiter cum illa: sed talis relatio pertinet ad prædicamentum ad aliquid; creatura autem potest esse substantia: ergo prædicamenta non necessariò distinguuntur realiter. Resp. neg. minor. nam prædicta relatio, non est prædicamentalis,

sed transcendentalis, & pertinet reductivè ad prædicamentum illius, cum quo identificatur, unde neg. conseq.

7 Arg. 3. ex Scoto in 2. dist. 1. quæst. 4. vel 5. §. *Ad argumenta*, *vers. Ad secundam*, litt. P. ubi in responsione ad quoddam argumentum videtur tenere, posse concedi, relationem non distingui à fundamento, nisi tantùm formaliter. Sed resp. Scotum in tali responsione non loqui ex propria mente, sed ex aliorum opinione: quod patet ex eo quod in eadem quæstione pluribus rationibus probat, relationem distingui realiter à suo fundamento, & si posteà ex propria mente oppositum assereret, sibi ipsi contradiceret, quod non est dicendum. Deinde, etiam colligitur ex eo, quod aliam solutionem adducit Scotus loco citato, in qua clarè videtur ipsum non sentire, relationem prædicamentalem esse idem realiter cum fundamento: sed hoc tantùm competere relationi transcendentali.

PARS SECUNDA

De Prædicamentis in speciali.

IN hac secunda parte egit Aristot. per sex capita de prædicamentis in speciali, de quibus nos, ipsum sequentes, similiter agemus.

DISP.

DISP. I.

De Substantia primo prædicamento.

INter omnia prædicamenta primum locum obtinet substantia, ideòque prius de illa, quàm de prædicamentis accidentium, sermo instituitur.

QUÆSTIO I.

Quænam sit ratio formalis substantiæ.

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est, quòd substantia potest sumi latè, & strictè. Latè sumitur pro essentia cujuscumque rei: in quo sensu loquitur de sustantia Arist. in definitionibus univocorum, & æquivocorum, & non pertinet ad hoc prædicamentum, sed per omnia prædicamenta divagatur; nam omnia prædicamenta habent suas essentias. Strictè sumitur prout distingitur ab accidente, in hoc sensu loquimur de substantia, quia ut sic pertinet ab hoc prædicamentum.

2 Notandum est secundò, quòd cum *esse per se*, & *esse in alio* sint opposita, quot modis dicitur unum, etiam dicitur & aliud. Tripliciter autem potest dici *esse in alio*. Primò, tanquam in supposito substentante: in quo sensu humanitas Christi Domini dicitur esse in supposito Verbi Divini, unde *esset per se* dicitur primò, ut opponitur *esse in alio*, tanquam in supposito, in quo sensu omnes naturæ completè subsistentes dicuntur *esse per se*. Secundo, dicitur aliquid *esse in alio*, tanquam in subiecto informationis, in quo sensu forma substantialis est in materia prima, unde *esse per se* dicitur secundò, ut opponitur *esse in alio* per informatio-

nem; in quo sensu naturæ substantiales completæ, & materia prima dicuntur *esse per se*. Tertiò, dicitur aliquid *esse in alio*, tamquam in subjecto inhæsionis, seu, quod idem est, tamquam in subjecto, cum quo unum per accidens constituit; in quo sensu omnia accidentia dicuntur *esse in alio*; unde *esse per se* dicitur tertiò, ut opponitur *esse in alio*, tamquam in subjecto inhæsionis; in quo sensu omnes substantiæ, tam completæ, quàm incompletæ, dicuntur *esse per se*.

3 Notandum est tertiò, quòd, cùm pro hoc statu multæ rerum essentiæ sint nobis ignotæ, solùm intendimus inquirere proprietates intimiores nobis notas; huiusmodi est essentia substantiæ; ideòque, cùm in præsenti inquirimus, quænam sit ratio formalis constitutiva substantiæ? Tantùm loquimur de proprietate intimiori nobis nota. Et omissis pluribus sententiis, quæ magis confusionis, quàm realitatis præseferunt iam communiter ad duas sententias reducitur præsens quæstio; altera, tenens, *substare accidentibus* esse primum conceptum substantiæ nobis notum; alterna verò, *esse per se*, ut opponitur *esse in alio per inhærentiam*, esse talem primum conceptum.

4 Dicimus 1. *Substare accidentibus* non est primus conceptus, seu prima proprietas substantiæ. Probatur; quia prius est, quòd aliqud sit in se, quàm quòd aliquomodo ordinetur ad aliud: sed *substare accidentibus* in substantia est ordo ad aliud: ergo prius intelligitur substantia in se, quàm intelligatur *substare accidentibus*.

5 Dicimus 2. *Esse per se*, prout opponitur *esse in alio per inhærentiam*, est primus conceptus substantiæ nobis notus. Hæc conclusio est communior, quam tenet Scotus quæst. 3 quodlibetica, §. *Respondeo*, *vers. Respondeo secundum Avicenam*, litt. S. & D. Thomas 1. part.

part. quæst. 3. art. 5. ad primum, & aliis in locis. Probatur; quia prius concipitur in substantia *esse per se*, prout opponitur *esse in alio per inhærentiam*, quam *substare accidentibus*: ergo primus conceptus substantiæ nobis notus est *esse per se*. Antecedens patet ex conclusione antecedenti. Confirmatur; quia substantia, ut hic sumitur, opponitur accidenti; sed quod prius concipitur in substantia, ut opponitur accidenti est *esse per se*; nam accidens explicatur per *esse in alio*: ergo prima proprietas substantiæ; ut a nobis concipitur, est *esse per se*.

6 Arg. contra; nomen *substantia* desumitur a *substare*; ergo quod primo concipitur in substantia, est *substare accidentibus*. Confirmatur; quia *esse per se* potest convenire accidentibus, ut contingit in accidentibus Eucharistiæ, quæ existunt sine inhærentia in subiecto: ergo *esse per se* nequit esse de ratione substantiæ. Respond. concesso antecedenti, neg. consequ. quia non benè ex etymologia nominum deducitur essentia rerum; lapis enim dicitur a lædendo pedem, & tamen lædere pedem non est constitutivum lapidis. Similiter, licet substantia dicatur a substare; tamen substare non est constitutivum substantiæ. Ad confirmationem resp. dist. antec. *esse per se* potest convenire accidentibus, cum repugnantia *ad esse in alio per inhærentiam*, nego: sine tali repugnantia, imo cum aptitudine; & exigentia ad inhærendum; concedo; & neg. conseq. quia *esse per se*, quod dicimus, esse primum conceptum substantiæ, habet annexam repugnantiam *ad esse in alio per inhærentiam*.

7 Alia argumenta facilè solvuntur ex dictis in 2. notabili; ideoque illa omittimus. Adverte tamen, quod *esse per se*, prout opponitur *esse in alio per inhærentiam*, si sumatur radicaliter, id est, pro radice, a qua dimanat ipsum formale *esse per se*, seu quæ modificatur per ip-

sum *esse per se*, est ratio formalis nobis ignota, constitutiva substantiæ; sicut radix risibilitatis, scilicet, *rationalitas*, est ratio formalis constitutiva hominis.

QUÆSTIO II.

Qualis sit divisio substantiæ in primam, & secundam?

1 PRo intelligentia quęstionis notandum est quod Aristot. in hoc cap. divisit substantiam in primam, & secundam. *Prima est, quæ neque de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est:* quæ definitio sic communiter explicatur; non est in aliquo subiecto per inhærentiam, in quo differt ab accidente, & convenit cum secunda substantia, neque dicitur de aliquo subiecto, tanquam superius de inferiori, in quo differt a secunda substantia. Unde per primam substantiam intelligitur substãtia singularis, v.g *Petrus*. Secunda substantia ex eodem Arist. *est, quæ de subiecto dicitur, in subiecto autem non est*. Quæ similiter sic explicatur, non est in subiecto inhæsionis, in quo convenit cum prima, & differt ab accidenti; de subiecto autem dicitur id est prædicatur ut superius de inferiori. Unde secunda substantia idem est, ac substantia universalis. Inquit etiam Aristot. quod prima substantia est maximè substantia. Nunc est dubium, qualis sit prædicta divisio? Et similiter quare prima substantia dicatur maximè substantia.

3 Omissis variis modis dicendi ad auferendam æquivocationem, pro primo, quod inquirit quæstio, dicimus primo: hæc divisio potest dici generis in species, si tam divisum, quam membra dividentia sumantur secundo intentionaliter. Probatur quia substantia secundo intentionaliter sumpta dicit ordinabilitatem in prædicamento in communi, & prima substantia

op-

ordinabilitatem per modum inferioris, secunda verò per modum superioris; sed ordinabilitas in prædicamento in communi potest dici genus, respectu ordinabilitatis per modum inferioris, & per modum superioris; ergo si tam divisum, quam membra dividentia sumantur secundò intentionaliter, prædicta divisio potest dici generis in species.

3 Dicimus 2. Prædicta divisio potest dici analogi in analogata, si tam divisum, quam membra dividentia sumantur primo intentionaliter ratione substandi accidentibus. Probatur, quia illa dicitur divisio analogi in analogata, in qua ratio communis uni ex membris dividentibus convenit primò; & per se, alteri verò secundò, & ratione illius primi: sed substare accidentibus primò; & per se convenit primæ substantiæ, scilicet singulari; secundæ verò substantiæ, scilicet naturæ communi, convenit secundò, & ratione primæ; ideò enim homo est albus quia Petrus est albus, non verò è contra: ergo prædicta divisio in hoc sensu potest dici analogi in analogata.

4 Dicimus 3. Hæc divisio potest dici subjecti in accidentia rationis, si divisum sumatur primò intentionaliter, & membra dividentia secundò intentionaliter, Probatur, quia hæc est divisio substantiæ in secundas intentiones particularis, & universalis, sed hæ secundæ intentiones sunt accidentia rationis, respectu substantiæ primò intentionaliter sumptæ; ergo in hoc sensu talis divisio est subjecti in accidentia rationis.

5 Ubi advertendum est, quod in hoc ultimo sensu communiter intelligitur Arist. & ratio est quia talis divisio est propria prædicamenti substantiæ secundum suam coordinationem; sed si divisum non esset substantia primo intentionaliter sumpta, talis divisio non esset propria, & specialis huius prædicamenti, nam quodlibet

accidens secundò intentionaliter sumptum; potest dividi in universale, & particulare; ergo in prędicta divisione debet sumi divisum primò intentionaliter, & hoc etiam intendit Scotus, dum quæst. 12. prædicamentali, in fine, dixit: *Nota, quod divisio substantiæ in primam, & secundam non est divisio generalissimi in species, sed subiecti in accidentia: quia substantia secundùm quòd intelligitur (secundùm quam consideratio-nem pertinet ad logicum) dividitur in intentiones sibi accidentes.*

6 Dicimus 4. pro secundo, quod dubitatur, ex eo Arist. dixit, primam substantiam esse maximè substantiam, quia si sumatur primò intentionaliter, propriùs, & immediatius substat accidentibus, quam secunda, accidentia enim immediatè subnectantur in individuo, & ratione illius in natura communi: si autem sumatur secundò intentionaliter, magis subiicitur in prædicatione, quam secunda; individuum enim subiicitur omnibus gradibus communibus, non verò natura communis. Undè inter naturas communes non potest dici maximè substantia, quæ magis subiicitur gradibus communibus.

QUÆSTIO III.

Quænam sint proprietates substantiæ?

1 Dicimus; sex sunt proprietates substantiæ, quas in hoc capite enumerat Arist. Prima est, *non esse in subiecto*, & intelligitur, ut sæpè dictum est, de subjecto inhæsionis. Hæc proprietas convenit primę, & secundę substātię.

2 Secunda proprietas est, *prædicari univocè de subiecto*; circa quam proprietatem observandum est, quod per ly *subiecto* intelligitur prima substantia, & per ly *prædicari univocè* intelligitur, prædicari essentialiter directè, & formali-

liter. Hæc proprietas solùm convenit secundæ substantiæ.

3 Tertia proprietas est, quod prima substantia significat *hoc aliquid*; secunda verò substantia significat *quale quid*. Pro cuius intelligentia observandum est; quod qualitas habet duas quasi proprietates. Prima est, ita afficere subjectum, ut ad interrogationem, quale sit subiectum? Benè respondetur per illam. Per similitudinem hujus proprietatis dixit Porphyrius, differentiam, non autem genus, & speciem, prædicari *in quale*; quia sola differentia, ita afficit speciem, ut ad interrogationem, qualis sit species essentialiter? Benè respondetur per differentiam; Secunda proprietas qualitatis est, quòd aliquomodo determinetur à subjecto, quantùm ad actualem inhærentiam, & per similitudinem hujus proprietatis, dicit Arist. in præsenti, secundam substantiā, & non primam, assimilari qualitati, seu significare *quale quid*, quia secunda substantia determinatur per primam ad actualem subsistentiam, & individuationem, unde *quale quid* idem sonat, ac determinabile; & *hoc aliquid* idem, ac determinativum ad esse singularis.

4 Quarta proprietas est, *non habere contrarium*. Circa quam observandum est, quod intelligitur de contrarietate propriè, & rigorosè sumpta, in quo sensu contraria sunt, quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subjecto mutuo se expellunt; quæ contrarietas solū invenitur inter qualitates oppositas, ut sunt *calor*, & *frigus*, quæ inhærent subjecto, à quo gradatim mutuo se expellūt, quod nullatenus convenit substantiis cùm non inhæreant subiectis, & licet formæ substantiales sint in subiecto informationis, scilicet in materia prima, à qua mutuo se expellunt, hoc non est divisibiliter, seu gradatim, sed indivisibiliter. Non tamen intelligitur hæc proprietas de contrarietate latè

ſumpta, ſcilicet, pro quacumque oppoſitione; nam in hoc ſenſu ſubſtantia habet contrarium; nam privatio opponitur formæ ſubſtantiali. Hæc proprietas convenit, tam primæ, quam ſecundæ ſubſtantiæ.

5 Quinta proprietas eſt, *non ſuſcipere magis, & minus*; quod debet intelligi ſecundum intenſionem, & remiſſionem per oppoſitum ad qualitatem, quæ recipit magis, & minus ſecundùm intenſionem, & remiſſionem, non autem intelligitur ſecundùm extenſionem, nam optimè poteſt una ſubſtantia eſſe magis, vel minus extenſa, quam alia; licet hoc non conveniat ei ratione ſui; ſed de hoc amplius propriis locis. Hæc proprietas convenit, tam primæ, quam ſecundæ ſubſtantiæ.

6 Sexta proprietas eſt, *quod ſubſtantia eadem numero manens ſit ſuſceptiva contrariorum*: Circa quam proprietatem advertendum eſt, quod contraria non ſumuntur hic propriè; & rigorosè, ſed latè, ſcilicet pro illis, quæ habent aliquam oppoſitionem, & ſic hæc proprietas convenit etiam ſubſtantiis incorruptibilibus (non loquimur de Deo) ut ſunt Angeli, qui recipiunt contraria in intellectu, ſcilicet, veritatem, & falſitatem, & in voluntate amorem, & odium; & cœli, qui recipiunt motus contrarios, ſcilicet motum ab oriente in occidens, & è contra. Deinde intelligitur proprietas de ultimato ſubjecto receptivo contrariorum, à quo omnia accidentia dependent, quod ſubjectum ſolum eſt ſubſtantia; non verò quantitas, nam licet hæc recipiat contraria, ſed non ultimatè, nam etiam ipſa quantitas dependet à ſubſtantia, tanquam à ſubjecto; ſeu ut aliqui dicunt, intelligitur de ſubiecto *quod*; non autem de ſubiecto *quo*, ut eſt quantitas.

QUÆ.

QUÆSTIO IV.

Quænam sint, quæ in hoc prædicamento collocantur?

1 SUpponitur tanquam certum, omnes substantias finitas, & corruptibiles collocari in hoc prædicamento, similiter dicendum est de substantiis incorruptibilibus finitis, ut sunt Angeli, & corpora cælestia, ut jam communiter circumfertur inter Philosophos, licet aliqui ex antiquis oppositum tenuerint nixi auhoritate Arist. 10. Met. cap. ultimo, ubi dicit: corruptibile, & incorruptibile genere differre. Ratio autem pro communiori consensu est; quia illa, à quibus potest abstrahi ratio generis, & differentiæ, ponuntur in prædicamento: sed ab omnibus substantiis finitis potest abstrahi talis ratio, ut ex se patet: ergo collocantur in hoc prædicamento. Authoritas Aristot. non intelligitur de genere logico, ut hic loquimur; sed de genere physico; in quo sensu solùm illa dicuntur ejusdem generis, quæ sunt ad invicem transmutabilia; qualia non sunt incorruptibilia; sed hoc non obstat, ut sub eodem genere logico, & sub eodem prædicamento collocatur. Unde difficultas solùm est de substantia infinita, ut est solus Deus, & de Christo Domino.

2 Dicimus 1. Deus non ponitur in prædicamento substantiæ. Hæc conclusio est communio, tam inter Philosophos, quàm inter Sanctos Patres, quorum plures citantur à recentioribus, & possunt videri apud Merin. cap. 5. categori. disp. unica de subst. q. 4. Eam tenet Scotus citatus 1. p. hujus tract. disp. 2. quæst. 2. num. 4. ubi etiam manet probata. Videantur ibi dicta, ne semel dictum, iterum repetatur. Etiam tenet eam Angelicus Præceptor 1. p.

quæst. 13. art. 1. & 3. contra gentes cap. 25. Sed contra illam.

3 Arg. 1. ex D. August. serm. 1. de Ephiphania, & 5. de Trint. cap. 8. ubi dicit, substantiam, & relationem esse in Deo propriè, & formaliter, alia autem prædicamenta tantum metaphoricè: ergo ex mente D. Aug. Deus ponitur in prædicamento substantiæ. Resp. neg. conseq. quia D. Aug. tantum intendit, substantiam, & relationem verè, & propriè inveniri in Deo, ex hoc tamen minimè colligitur, Deum collocari in prædicamento substantiæ, imò oppositum docuit ipse D. Aug. lib. de cognitione veræ vitæ cap. 3. & 7. de Trint. cap. 5. aliàs 32.

4 Arg. 2. Ratio substantiæ in communi, prout abstrahit à finita, & infinita, est genus: ergo sicut substantia finita ponitur in prædicamento, ita substantia infinita. Confirmatur; quia si daretur linea infinita, collocaretur in prædicamento quantitatis: ergo licet Deus sit substantia infinita, collocatur in prædicamento substantiæ. Resp. neg. antec. quia substantia, ut abstrahit à finita, & infinita, est conceptus transcendentalis, non verò genericus; quia ab ente infinito, propter suam perfectionem, nequit abstrahi aliqua ratio potentialis, ut requiritur ad rationem generis, de quo ampliùs in metaphysica. Ad confirmationem resp. neg. consequ. & paritat. quia non quælibet infinitas obstat, ut aliquid in prædicamento collocetur, sed tantùm infinitas simpliciter, cui repugnat compositio ex actu, & potentia, & tantùm convenit Deo; infinitas verò secundùm quid, ut esset in hypothesi infinitas lineæ, compatitur cum compositione actus, & potentiæ, quia compatitur cum finitate simpliciter, seu essentialiter.

5 Dicimus 2. Christus Dominus, secundùm naturam humanam, collocatur in prædicamen-

mento substantiæ. Conclusio est communis, & patet ex eo quòd juxta fidem, Christus est verus homo: ergo secundum hanc rationem ponitur in prædicamento substantiæ, sicut cæteri homines.

6 Dices, ex hoc sequitur, quòd deus ponatur in prædicamento, quod est contra conclusionem præcedentem, Prob. seq. quia Christus ponitur in prædicamento substantiæ: Christus est Deus: ergo Deus ponitur in prædicamento substantiæ. Resp. neg. seq. Ad probationem dicimus, deficere syllogismum, variatur enim suppositio, seu appellatio; nam *poni in prædicamento* appellat in majori supra Christum, ratione naturæ humanæ, & in consequentia appellat supra ipsum ratione naturæ Divinæ, & sic non tenet consequentia.

7 Ex dictis facilè deducitur quomodo coordinetur hoc prædicamentum, etenim substantia finita, & completa est genus supremum, & dividitur per corporeum, & incorporeum in corpus, & spiritum. Deinde *corpus* per corruptibile, & incorruptibile, in cœleste, & sublunare. *Sublunare* in vivens, & non virens, & deinde, ut in arbore prædicamentali.

DISP. II.

De accidenti prædicamentali in communi.

QUia in sequentibus capitibus egit Arist. de novem generibus accidentis, ad illorum majorem intelligentiam, in hac disputatione naturam accidentis in communi investigamus,

QUÆSTIO I.

Quænam sit ratio formalis accidentis.

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est, accidens esse quoddam concretum dicens pro materiali entitatem, quæ denominatur accidens, seu inhærens, quæ entitas, vel est absoluta, ut *quantitas*, & *qualitas*, vel est respectiva, ut sunt cætera prædicamenta, & pro formali ipsam rationem accidentiæ, seu inhærentiæ, respectu subjecti, quæ inhærentia potest sumi tripliciter. Primò, actualiter, scilicet pro ipsa actuali unione accidentis cum subjecto. Secundò aptitudinaliter, scilicet pro respectu, seu aptitudine ad inhærendum. Tertiò radicaliter, scilicet pro radice, à qua dimanat prædicta aptitudo. Nunc est difficultas, quomodo inhærentia conveniat accidenti, tam absoluto, quàm relativo? Ut cognoscatur ratio accidentis in communi.

2 Et ut certa ab incertis separemus; conveniunt omnes, quòd si accidens sumatur pro formali, & per se significato, inhærentia est de essentia accidentis distributione accommoda, hoc est, inhærentia actualis est de essentia accidentis actualiter inhærentis, & inhærentia aptitudinalis est de essentia accidẽtis aptitudinaliter inhærentis. Et ratio est, quia per se significatum concreti est de essentia illius formaliter sumpti: Inhærentia est formale significatum hujus concreti *accidens*: ergo est de essentia illius formaliter sumpti distributione acommoda.

3 Similiter, est communis consensus, quòd actualis inhęrentia non est de essentia accidentis absoluti materialiter sumpti; inhærentia verò aptitudinalis ad minus est propria passio accidentis in communi. Ratio primi est, quia nihil potest existere sine illo, quod est de essentia illius:

lius; accidens absolutum potest existere sine actuali inhærentia, ut contingit in Eucharistia; ergo actualis inhærentia non est de essentia accidentis absoluti. Propter eamdem rationem inhærentia actualis nequit dici propria passio accidentis absoluti. Ratio secundi est, quia illud dicitur propria passio alicuius, sine quo nequit existere, neque intelligi sub opposito illius; accidens nequit existere sine aptitudine ad inhærendum, neque intelligi sub opposito talis aptitudinis; ergo inhærentia aptitudinalis ad minus est propria passio accidentis in communi. His tanquam certis, præmissis, quæ ad controversiam reducuntur, per sequentes conclusiones proponemus. Igitur.

4 Dicimus 1. Inhærentia aptitudinalis non est de essentia accidentis in communi. Hæc conclusio est communis inter Scotistas contra Thomistas communiter, quam tenet subtilis Doctor in 4. dist. 12. quæst. 1. Probatur ratione deducta ex ipso Scoto, nulla relatio est de conceptu essentiali, & quidditativo alicujus absoluti, alias, idem secundum eamdem rationem, esset ad se, & ad aliud, quod est impossibile; sed inhærentia aptitudinalis est relatio; ergo nequit esse de essentia accidentis absoluti. Confirmatur, quia omnis aptitudo formalis præsupponit aliquid, ratione cuius competat rei, cuius est aptitudo, sicut aptitudo ad ridendum in homine præsupponit rationalitatem, à qua dimanat, & ratione cuius convenit homini talis aptitudo; ergo aptitudo ad inhærendum in accidente absoluto, præsupponit in illo aliquid, à quo dimanet, & ratione cujus illi conveniat, & consequenter talis aptitudo nequit esse ratio essentialis accidentis absoluti, quippè non est primum, quod illi convenit.

5 Neque obstat, quod aliqui respondent, scilicet, respectum transcendentalem benè posse esse de ratione essentiali absoluti, licet non respectum

pectum prædicamentalem, aptitudinalis autem inhærentiam est respectus transcendentalis, non autem prædicamentalis. Hoc, inquam, non obstat, quia sicut est de ratione respectus prædicamentalis ordinare unum ad aliud, ita est de ratione respectus transcendentalis: ergo sicut est inconveniens, quòd respectus prædicamentalis sit de essentia absoluti, similiter est incõveniens, quod sit de essentia absoluti respectus transcendentalis. Patet consequentia, quia idem, quod sequeretur ex primo, sequeretur etiam ex secundo, scilicèt, quod secundum idem esset ad se, & ad aliud, quod est inconveniens.

6 Arg. 1. Accidens secundùm Arist. 7. Met. cap. 3. nequit definiri sine ordine ad substantiam; ergo aptitudinalis inhærentia, per quam dicit ordinem ad substantiam, est de essentia accidentis. Confirmatur ex ipso Arist. 1. Physic. dicente: *Intellectus quærens segregationem accidentis à subjecto, quærit impossibile:* ergo nequit concipi accidens sine ordine ad subjectum, & consequenter talis ordo, seu inhærentia aptitudinalis, est de essentia accidentis.

7 Resp. neg. conseq. aliud enim est, quod accidens non possit definiri sine ordine ad substantiam, & aliud, quod talis ordo sit de essentia accidentis, primum enim est verum, sed oritur ex nostro imperfecto modo concipiendi, nam cùm essentias rerum non cognoscamus, non possumus quidditativè illas definire, quapropter per proprias passiones, seu proprietates illas explicamus, ideoque dixit Aristot. accidens non posse definiri sine ordine ad substantiam. Ex quo non sequitur secundum, scilicet, quod inhærentia aptitudinalis, seu ordo ad substantiam sit de essentia accidentis, sed tantùm sequitur, quod sit proprietas, seu quasi propria passio illius. Ex quo similiter resp. ad confirmationem.

8 Di-

8 Dices contra; materia prima est quid absolutum, & similiter forma substantialis, sed de essentia materiæ primæ est ordo ad formas, & de essentia formæ substantialis est ordo ad materiam; ergo benè potest esse de essentia accidentis absoluti ordo ad subjectum, seu inhærentia aptitudinalis. Respond. neg. min. quia ordo materiæ primæ ad formas, non est de essentia illius, sed tantùm propria passio, & similiter ordo formæ substantialis ad materiam primam, dicuntur tamen, tam materia, quam forma, entitates partiales, seu incompletæ, quia ad entitates absolutas illarum necessariò sequitur prædictus ordo ad constitutionem totius completi. De quo amplius in Physica, ut in proprio loco.

9 Arg. 2. *Esse per se* est de essentia substantiæ: sed accidens opponitur substantiæ: ergo *esse in alio*, ut opponitur *esse per se*, est de essentia acccidentis. Resp. ex Scoto citato, §. *Ad argumenta*, quod accipiendo *esse per se*, & *esse in alio* uniformiter, ita ut esse per se neget aptitudinem inhærendi, quam dicit *esse in alio*, ita convenit *esse per se* substantiæ, sicut *esse in alio* accidenti, unde solùm sequitur, quod sicut *esse per se*, ut dicit repugnantiam ad inhærendum, est proprietas substantiæ, ita *esse in alio*, ut dicit aptitudinem ad inhærendum, est proprietas accidentis, & sicut *esse per se*, radicaliter sumptum, id est, pro radice, a qua dimanat repugnantia ad inhærendum, est de essentia substantiæ, ita *esse in alio*, radicaliter sumptum, id est, pro radice, à qua dimanat aptitudo ad inhærendum, est de essentia accidentis. Unde nihil contra nostram conclusionem concludit argumentum.

10 Dicimus 2. Inhærentia actualis non est de essentia relationis, ut relatio est neque ejus propria passio, loquendo de inhærentia respectu subiecti. Probatur, quia dantur aliquę relationes, quæ nullatenus inhærent subjecto, ut

sunt

sunt relationes Divinæ; ergo inhærere subiecto actualiter non est de essentia, neque propria passio relationis, ut relatio est. Idem dicendum est de inhærentia aptitudinali, & radicali, propter eamdem rationem.

11 Dicimus 3. Inhærentia actualis respectu fundamenti, seu esse in alio, tanquam in fundamento, est de essentia relationis, ut relatio est. Probatur, quia tam de ratione relationis est ordo actualis ad terminum, quam ad fundamentum: sed ordo ad terminum est de essentia relationis; ergo etiam ordo ad fundamentum. Hæc conclusio est expressa Scoti in 4. dist. 12. quæst. 1. §. *Ad quæstionem*, *Vers. Secunda conclusio*, sub litt. D. ubi dicit: *Respectus est essentialiter habitudo inter duo extrema, & ideò sicut tollere terminum ad quem est respectus, est tollere, vel destruere respectum, ita tollere illud, cuius est respectus, est tollere respectum, & destruere rationem respectus, non ergo quia accidens respectivum est accidens, ideò requirit subiectum, vel fundamentum, sed quia respectus est respectus, ideò requirit cuius sit, & ad quod sit etiam in Divinis.* Et quæst. 2. §. *Ad argumenta*, *Vers. Respondeo*, litt. M. ubi dicit; *Dependentia relationis ad fundamentum est essentialissima, ita quod sine ea non potest esse ratio relationis.*

12 Dic. 4. Inhærentia actualis, in ordine ad subjectum, non est de essentia relationis creatæ, ut talis est. Tamen est quasi propria passio illius, quippè cum illa realiter identificatur. Prima pars probatur, quia secundum D. Aug. 7. de Trin. c. 2. & 3. *Quod relativè dicitur est aliquid, excepta relatione*; sed accidens relativum, v. gr. *paternitas* relativè dicitur ad subiectum per inhærentiam, qua illi inhęret; ergo accidens relativum est aliquid, excepta inhęrentia, & consequenter ipsa actuali inhęrentia non est de essentia, seu de conceptu quidditativo accidentis relativi.

13 Secunda pars probatur, quia in communi Scotistarum sententia, quando fundamentum est talis naturæ, quod nequeat esse sine relatione, relatio identificatur realiter cum illo, sed accidens relativum, quod est fundamentum relationis actualis inhærentiæ, est talis naturæ, quod nequit esse sine tali relatione actualis inhærentiæ: ergo actualis inhærentia est idem realiter cum accidenti relativo. Prob. min. quia ex dictis conclusione antecedenti cum Scoto, relatio, ut relatio, necessario est in fundamento: sed relatio accidentalis est in fundamento tanquam in subiecto inhæsionis: ergo relatio accidentalis, seu accidens relativum est fundamentum talis naturæ, quod nequeat esse sine relatione actualis inhærentiæ: ergo non distinguitur realiter ab illa, & consequenter actualis inhærentia est quasi propria passio accidentis relativi.

14 Aliqui intendant, disputationis gratia, posse defendi, accidens relativum posse dari sine actuali inhærentia respectu fundamenti, vel subiecti, dicentes, accidens relativum distingui ab absoluto in hoc, quod absolutum afficit subiectum in ordine ad se, & relativum afficit subiectum illud ad aliud ordinando, & sicut accidens absolutum potest de potentia Dei absoluta esse sine subiecto, licet dicat aptitudinem ad esse in illo, illud afficiendo in ordine ad se, ita accidens relativum potest de potentia Dei absoluta esse sine subiecto, seu fundamento, licet dicat aptitudinem ad esse in illo, illud afficiendo in ordine ad aliud. Utrum autem hoc possit defendi? Quisque videat. Certum enim, quod Scotus expresse tenet oppositum, ut patet in locis supra citatis, & similiter tenent omnes Philosophi.

15 Dicimus 5. Inhærentia radicalis, id est, illa ratio nobis ignota, a qua dimanat, seu quam sequitur inhærentia formalis, est de essentia acciden-

cidentis in communi. Hæc conclusio est communis inter Scotistas, & deducitur ex dictis, nam talis inhærentia radicalis convenit, tam accidenti absoluto, quam relativo pariformiter, ut accidentia sunt.

16 Ex dictis facile deducitur, quod accidens, in communi sic potest definiri: *Accidens est, quod natum est inhærere.* Quæ definitio est descriptiva, quia datur per inhærentiam aptitudinalem, quæ est propria passio accidentis in communi, sicut definitio substantiæ, scilicet, *est ens per se* dicitur descriptiva, quia datur per modum perseitatis, qui est quasi propria passio substantiæ.

QUÆSTIO II.

Utrum inhærentia actualis pertineat ad aliquod determinatum prædicamentum?

1 HAnc quæstionem in terminis proponit Scotus citatus quæstione antecedenti, §. *Ad quæstionem, Vers. Et si quæras,* litt. C. his verbis: *Et si quæras, ad quod genus pertineat illud, quod per se significat, hoc, quod est accidens, vel inhærens?* Ad quod respondet his verbis: *Respondeo, ad genus aliquod respectus extrinsecus advenientis, patet enim, quod dicit respectum, quia non potest intelligi ratio eius ad se. Non autem dicit respectum intrinsecus advenientem, quia non necessariò consequentem positionem extremorum, quia sicut patebit in ultima conclusione, fundamentum eius, & terminus possunt manere sine isto respectu. Si quæras, ad quod genus: Videsi fortè ad genus passionis, ut sic passio dicat non tantum respectum passi ad agens, sed ad formam, vel si fortè ad genus actionis; ut sic actio dicat non tantum respectum agentis ad patiens, sed formæ informantis ad illud, quod informatur, sed utroque modo erit respectus extrinsecus*

secus adveniens. Hæc Scotus, ex cuius verbis facilè deducitur, qui sit respondendum. Igitur claritatis gratia.

2 Dicimus 1. Inhærentia accidentis absoluti est accidens, ut *quo*, & ut *quod*, ut *quo* respectu subiecti accidentis absoluti, siquidem est ratio formalis, qua accidens absolutum inhæret subiecto, & in hoc sensu non pertinet ad aliquod prædicamentum determinatum, sed est quid commune omnibus accidentibus, & eiusdem rationis cum inhærentia accidentis relativi in modo denominandi accidens, ut *quod* respectu ipsius accidentis absoluti, & in hoc sensu pertinet ad prædicamentum actionis. Hæc conclusio quoad primam partem à nemine negatur, quad secundam verò deducitur ex supradictis verbis Scoti, & quòd loquatur de inhærentia accidentis absoluti, patet ex illis verbis: *Quia sicut patebit in ultima conclusione, fundamentum eius, & terminus possunt manere sine isto respectu*, quæ verba solùm possunt intelligi de accidenti absoluto, & illius subiecto, quæ possunt esse sine actuali inhærentia, de quibus loquitur Scotus in ultima conclusione ab ipso citata.

5 Et deinde colligitur ex ipso Scoto citato, *Vers. ad rationem illam*, litt.I. ubi dicit: *Dico, quod inhærentia inhæret albedini alioquin albedo non esset formaliter inhærens illa inhærentia*. En quomodo loquitur de inhærentia accidentis absoluti, ut est albedo: sed inhærentia non inhæret albedini, ut *quo*, quia non est ratio formalis, qua aliquid inhæret albedini, sed qua albedo inhæret subiecto: ergo inhæret albedini, ut *quod*.

4 Deinde probatur ratione, quia tam accidentalis est albedini inhærentia, sicut est albedo subiecto: sed albedo inhæret, ut *quod* subiecto; ergo inhærentia inhæret, ut *quod* albedini. Prob. mai. quia sicut potest esse subiectum

sine

sine albedine, ita albedo sine inhærentia; sed ex eo quòd subiectum potest esse sine albedine, cognoscitur, albedinem convenire illi accidentaliter: ergo tamen accidentaliter convenit inhęrentia albedini, sicut albedo subjecto: sed quolibet accidens ut *quod* pertinens ad aliquod determinatum prædicamentum: ergo inhærentia accidentis absoluti, sumpta ut *quod*, pretinet ad aliquod determinatum prędicamentum. Hoc prædicamentum est actio, vel passio, juxta verba Scoti, si sumatur inhærentia ex parte accidentis, pertinet ad prædicamentum actionis, si autem sumatur ex parte subjecti, ad prædicamentum passionis.

5 Arg. 1. Illud, quod est determinati generis, non potest competere pluribus generibus: sed inhærentia convenit novem generibus accidentis; ergo non pertinet ad aliquod determinatum genus. Resp. ex Scoto disting. mai quod est determinati generis, nequit cōvenire pluribus generibus, quidditative, concedo, denominativè, nego. Similiter disting. min. inhærentia convenit novem generibus accidentis, quidditativè, nego, denominativè, concedo, & neg. conseq. Aliis terminis respondetur infra.

6 Arg. contra, *esse in* non cònstituit aliquod speciale genus, quia unum *esse in* est omnium novem generum. Resp. ex Scoto similiter, quòd vel *esse in* accipitur denominativè, & sic circuit omnia genera accidentium, sicut hoc, quod est inherere, vel accipere, vel accipitur pro ipsa habitudine per se significata per *esse in*, & hoc modo accipitur aliquod genus ab *esse in*, quia est specie determinata in uno genere. Hæc Scotus. Videatur loco citato, *Vers. Sed si contra hoc, quod* sub litt. D. ubi clarè prosequitur pro nostra conclusione.

7 Arg. 2. Si inhærenti a accidentis absoluti, v. g. albedini, est accidens, ut *quod*, ergo inhæret

hæret albedini per aliam inhærentiam. De illa alia inhærentia inquiro, an inhæreat per aliam inhærentiam primæ inhærentiæ; vel non? Si non inhæret, ergo hæc secunda inhærentia non est accidens primæ inhærentiæ: ergo similiter dicendum est de prima, quod non est accidens albedinis, neque illi inhæret per aliam inhærentiam. Si secunda inhærentia inhæret primæ per aliam, idem inquiram de illa tertia, & sic in infinitum. Ne ergo in infinitum abeamus, dicendum est, inhærentiam accidentis absoluti non esse accidens, ut *quod*.

8 Ad hoc argumentum respondetur ex Scoto citato, *Vers. ad rationem illam*, litt. I. & quia littera Scoti est clara, tam pro responsione hujus argumenti, quam pro nostra conclusione, verbis illius respondetur, inquit enim: *Ad rationem illam dico, quòd inhærentia inhæret albedini, alioquin albedo non esset formaliter inhærens illa inhærentia, & cùm quæris de illa inhærentia, qua inherentia albedinis inhæret albedini, dico, quòd illa est eadem inhærentia albedinis. & tantùm ibi est status. Ratio hujus patet lib. 2. dist. 1. quæst. 5. Quia illa relatio est idem fundamento, sine qua fundamentum esse includit contradictionem: huiusmodi est ista inhærentia inhærentia, quia contradictio est, inhærentiam albedinis ad superficiem esse actu, & non inhærere actu, vel non habere inhærentiam, sed propter rationem oppositam nulla inhærentia forma absoluta est sibi eadem, quia non est simpliciter repugnantia, illam formam simpliciter esse, & non inesse.* Hæc Scotus.

9 Ecce quomodo cessat processus in infinitum; nam inhærentia, qua inhærentia albedinis inhæret albedini, nō distinguitur realiter ab illa, & sic non indiget alia inhærentia, qua inhæreat inhærentiæ albedinis, nam solum accidens, quod realiter distinguitur à subiecto, indiget inhærentia, ut tali subjecto inhæreat.

Quid

Quid autem sit dicendum de illa inhærentia secunda, respectu primæ colligitur ex dictis quæst. antec. loquendo de inhęrentia respectu accidentis relativi. Videantur ibi dicta, quia eadem est ratio hic, & ibi.

10 Arg. contra, si daretur secunda inhærentia identificata realiter cum prima, sequeretur, quod idem respectus esset intrinsecus, & extrinsecus adveniens. Patet sequela, nam illa inhærentia secunda esset respectus intrinsecus adveniens, siquidem necessariò esset, posito fundamento, & termino, & deinde illa secunda inhærentia esset respectus extrinsecus adveniens, siquidem prima inhærentia, cum qua identificaretur, est respectus extrinsecus adveniens. Resp. 1. quod illa secunda inhærentia, secundùm se, neque est respectus intrinsecus, nec extrinsecus adveniens, quia solùm ille respectus dicitur intrinsecus, vel extrinsecus adveniens, qui distinguitur realiter à suo fundamento, qualis non est illa secunda inhærentia, cum identificetur realiter cum prima, quæ est fundamentum illius.

11 Secundò potest responderi, quod illa secunda inhærentia, secundùm se, & formaliter est respectus intrinsecus adveniens, identicè tamen est respectus extrinsecus adveniens, quod nullum est inconveniens. Adverte tamen, quod illa secunda inhærentia, secundum se non pertinet ad aliquod prædicamentum, quia hoc solùm convenit respectibus realiter distinctis, fundamento, pertinet autem reductivè ad prædicamentum actionis, ad quod per se pertinet, ut dictum est prima inhærentia, cum qua realiter identificatur, quod universim evenit in omnibus, quæ identificantur cum aliquo, quod per se pertinet ad aliquod prædicamentum, illa enim pertinet ad aliquod prædicamentum illius, cum quo identificantur.

12 Arg. 3. Inhærentia actualis accidentis absoluti est ipsum actualiter inhærere, seu ratio for-

formalis inhærendi actualiter: ergo tantum est accidens ut *quo*, & consequenter non pertinet ad aliquod determinatum prædicamentum. Prob. conseq. quia eo modo aliquid est accidens quomodo inhæret; sed inhærentia accidentis absoluti solum inhæret ut *quo*: ergo solum est accidens ut *quo*. Resp. neg; consequ. & distingu. min. probationis, inhærentia accidentis absoluti solum inhæret ut *quo*, respectu subiecti ipsius accidentis absoluti, concedo, respectu ipsius accidentis, nego, & nego consequ. *Etenim* verum est, inhærentiam accidentis absoluti esse rationem formalem, quia accidens inhæret subjecto, & in hoc sensu tantum est accidens ut *quo*, & non pertinet ad aliquod determinatum prædicamentum, tamen non est ratio formalis, quia ipsa inhæret accidenti absoluto, sed est accidens ut *quod* ipsius accidentis absoluti, & illi inhæret per aliam inhærentiam, quæ licet non realiter, formaliter tamen distinguitur ab ipsa inhærentia accidentis absoluti, & in hoc sensu pertinet ad prædicamentum actionis, & hoc intendit Scotus, cum dicit, quod inhærentia accidentis absoluti inhæret ipsi accidenti, quia alias ipsum accidens non posset inhærere subiecto.

13 Arg. 4. Accidens in communi definitur per ordinem ad inhærentiam: ergo inhærentia non est accidens. Patet consequentia, quia connotatum definitionis non est res definita, neque participat essentialiter definitionem. Resp. distingu. antec. accidens definitur per ordinem ad inhærentiam sumptam ut *quo*, concedo, sumptam ut *quod*, nego. Similiter distingu. consequ. inhærentia non est accidens (intellige prædicamentale) sumpta ut *quo*, concedo, sumpta, ut *quod*, nego. Eodem modo disting. prob. connotatum definitionis non est definitũ, eo modo, quo est connotatum concedo; alio modo, nego. Accidens enim prædicamentale definitur per ordinem

ad inhærentiam, sumptam ut *quo*, & in hoc sensu inhærentis est connotatum in definitione accidens, & ita non est definitum in tali definitione, quia ut sic non participat rationem accidentis in communi, non autem definitur accidens per ordinen ad inhærentiam sumptam ut *quod*, neque in hoc sensu inhærentia est connotatum in definitione accidentis, & ut sic dicimus, esse propriè accidens prædicamentale, & participare rationem accidentis in communi.

14 Dicimus 2. Inhærentia actualis accidentis relativi tantum est accidens ut *quo*, & in hoc convenit cum inhærentia accidentis absoluti, non tamen est accidens ut *quod*, in quo differt ab inhærentia accidentis absoluti, & sic non pertinet ad aliquod determinatum prędicamentum, sed reducitur ad prædicamentùm illius, cuius est inhærentia. Probatur, quia inhærentia accidentis relativi non distinguitur realiter ab illo, ut dictum est quæst. antec. sed quod non distinguitur realiter ab aliquo, non est accidens respectu illius, neque pertinet ad aliquod prædicamentum per se, sed tantum reductivè ad prædicamentum illius, cum quo identificatur; ergo inhærentia accidentis relativi non pertinet ad aliquod determinatum prędicamentum per se, sed tantum reductivè ad prædicamentum ipsius accidentis relativi, & tantum est accidens, quo accidens relativum inhæret subiecto, non tamen est accidens quod inhæret accidenti relativo.

15 Pro aliis argumentis observa, quod quando communiter dicitur, *inhærentia non datur inhærentia*, sic debet intelligi, quod inhærentiæ sumptæ ut *quo*, non datur inhærentia, quia ut sic non inhæret, sed tantum est ratio formalis inhærendi: non tamen intelligitur de inhærentia sumpta ut *quod*, quia ut sic non est ratio formalis inhærendi, sed est quid inhærens, & sic datur alia inhærentia media, qua inhæreat,

quæ

quæ ut dictum est, non distinguitur realiter, sed tantum formaliter ab illa, & in hoc sensu etiam potest dici, quod inhærentiæ non datur inhærentia realiter ab illa distincta.

DISP. III.

De quantitate secundo prædicamento.

POstquam egit Arist; de substantia, immediatè cap. 6. sermonem instituit de quantitate, quia hæc est accidens proximum substantiæ inter omnia alia accidentia, quippè immediatè recipitur in substantia, & media illa, recipiuntur alia accidentalia.

QUÆSTIO I.

Quænam sit ratio formalis quantitatis?

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est primo cum Scoto in 1. dist. 19. qu. 1. §. *Ad argumenta* litt. F. quantitatem esse in duplici differentia. Altera dicitur quantitas virtutis, & est perfectio rei, secundum quam res dicitur magna, vel parva, seu constituta in magno, vel parvo gradu perfectionis. De quantitate in hoc sensu non loquimur in præsenti, quia non pertinet ad aliquod determinatum prædicamentum, sed est quid transcendens per omnia prædicamenta, & etiam convenit, Deo, qui in nullo prædicamento collocatur, propter quod dicitur Psalm. 47. *Magnus Dominus*. Altera dicitur quantitas molis, & est quoddam accidens absolutum, ratione cuius substantia materialis, & corporea est divisibilis, impenetrabilis, & extensa, & in hoc sensu loquimur de quantitate in præsenti.

2 Notandum est secundò, quod quantitas potest sumi in concreto, & in abstracto. In

concreto sic eam definivit Arist. 5. Met. cap. 13. *Quantum est divisibile in ea, quæ insunt, quorum utrumque, vel unumquodque, unumquid, & hoc aliquid aptum est esse*. Quæ definitio, seu proprius descriptio sic communiter explicatur ab Scotistis ex Scoto 5. Met. cap. 12. In illa præsupponunt omnes, *accidens*, seu aliquid accidentale, in quo convenit cum aliis accidentibus, & differt a substantia. Dicitur *divisibile*, per quod differt a punctis, & aliis indivisibilibus. Dicitur, *in ea, quæ insunt*, per quod differt, ut aliqui dicunt cum Scoto citato, a divisione mixti, nam licet dividatur in elementa, non dividitur in ea, quæ insunt, id est, quæ sunt formaliter in illo, nam elementa, non formaliter, sed tantum virtualiter manent in mixto, ut suo loco dicetur, partes autem, in quas dividitur quantum, sunt formaliter in illo. Alii autem dicunt, quod illa verba: *In ea, quæ insunt*, ita intelliguntur, ut quantum sit divisibile in partes extensas, quæ per se, & ex natura sua exigunt esse extra se invicem in ordine ad locum physicè, & naturaliter, per quod differt quantum a substantia, quæ licet sit divisibilis, non tamen divisione physica, & naturali, de quo alibi. Dicitur, *quorum utrumque*, &c. id est, quod quælibet pars ex his, in quas dividitur quantum, nata est esse per se singularis, ac eiusdem rationis cum ipso toto diviso, per quod differt a toto physico, cuius partes, scilicet materia, & forma, non sunt eiusdem rationis cum ipso toto. Et deinde non sunt natæ per se existere extra totum physicum, sicut sunt natæ existere per se partes quanti.

3 Ex hoc sequitur quod quantitas in abstracto sic potest definiri: *Est accidens absolutum ratione cuius, quantum est divisibile in ea, quæ insunt*, &c. Ubi advertendum est, quod quantum potest dupliciter sumi. Primo accidentaliter, & est concretum ex quantitate tanquam for-

ma,

ma, & ex substantia tamquam subjecto. Secundò essentialiter, & est ipsa quantitas in concreto, quia hoc est peculiare quantitatis, quod non tantùm est principium *quo*, sed etiam principium *quod*, id est, non solum est ratio divisibilitatis extensionis, &c. substantiæ, sed etiam ipsa est divisibilis, & extensa, &c. Utrumque quantum comprehenditur in definitione Arist. distributione accommoda, quæ definitio rigorosè sumpta, tantùm convenit quanto homogeneo, ut patebit scrutanti.

4 Notandum est 3. plura esse, de quibus potest dubitari, an sint rationes cōstitutivæ quantitatis scilicet rationem mensuræ, divisionem, impenetrabilitatem, & extensionē? Mensura nihil aliud est, secundum Philosohum 10. Me t. cap. 1. nisi id, quo quantum cognoscitur, seu id, quo de magnitudine quanti certificamur, hoc intelligitur de mensura activa, unde mēsura passiva nihil aliud erit, nisi id, de cujus magnitudine certificamur. Divisibilitas intelligitur modo dicto in explicatione definitionis quāti. Impenetrabilitas est incōpossibilitas unius partis cū alia in eodē loco. Extensio potest sumi, vel in ordine ad se, ita ut una pars nō sit entitati ve alia, seu sit ab alia realiter distincta, vel in ordine ad locum, ita ut una pars exigat occupare diversū locum, ac alia, quæ extensio coincidit cum impenetrabilitate.

5 Ubi advertendū est, quod spatiū est triplex, scilicet spatium loci, in quo sensu dicitur aliquid esse in spatio unius palmi, spatium durationis, in quo sensu dicitur aliquid durare per spatiūunius horæ, & spatiū discretionis, in quo sensu dicitur, in spatio centenarii esse quinquaginta binarios, unde extensio partium potest dici tripliciter, scilicet, vel in ordine ad spatiū loci, vel ad spatium durationis, vel ad spatium discretionis, & similiter tripliciter potest dici impenetrabilitas. His suppositis, & quod omnia supradicta possunt accipi, vel actualiter, vel aptitudinaliter, vel

radicaliter, pro quolibet ex dictis sunt sententiæ affirmantes, in illis stare rationem formalem quantitatis, quæ sententiæ possunt videri apud recentiores; nos autem brevitatis gratia Authores pro illis non adducimus, & quid videatur tenendum per sequentes conclusiones proponemus. Igitur.

6 Dicimus 1. Ratio formalis quantitatis non consistit in mensura actuali, neque in divisione actuali, neque in actuali extensione in ordine ad locum, seu in actnali impenetratione. Conclusio est communis inter catholicos, & fundatur in Sacrosancto Eucharistiæ Mysterio, nam quod est de essentia alicujus, nequit ab illo separari: sed quantitas Corporis Christi Domini in Eucharistia nequit mensurari, neque dividi actualiter, neque actualiter est extensa in ordine ad locum, & consequenter neque actualiter impenetrata: ergo tenet conclusio. Propter eandem rationem dicendum est omnia prædicta, actualiter sumpta, non esse proprias passiones quantitatis, quia propriæ passiones nequeunt separari ab illo, cujus sunt, sicut separantur à quantitate omnia supradicta.

7 Dicimus 2. Omnia supradicta, aptitudinaliter sumpta, non sunt de ratione formali, seu de essentia quantitatis. Probatur generaliter de omnibus, nam omnia supradicta, aptitud inaliter sumpta, dicunt respectum, seu relationem, sed respectus nequit esse de essentia, seu de ratione formali absoluti, ut est quantitas; ergo omnia supradicta, aptitudinaliter sumpta, nequeunt esse de essentia, seu de ratione formali quantitatis.

8 Probatur specialiter de divisibilitate, quia divisibilitas supponit partium extensionem, nam ideo quantitas potest dividi divisione quantitativa, quia habet partes extensas: ergo talis divisibilitas nequit esse de ratione formali quantitatis, siquidem non est, quod primò quantitati

titati convenit. Neque obstat, quòd Arist. definierit quantitatem per divisibilitatem, nam talis definitio nō est essentialis, seu tradita per rationem formalem, sed descriptiva, & tradita per propriam passionem, quod expressè dixit Scotus cit. n. 2. his verbis: *Contra authoritates probant, quòd divisibilitas est proprium quantitatis, sed non quòd sit de essentia eius, quia divisibilitas est respectus, respectus non est de essentia absoluti*. Similiter probatur de mensurabilitate tam activa, quàm passiva.

9 Probatur de extensione aptitudinali in ordine ad locum, quia prius est quantitatem habere partes in se, quàm prædictas partes habere aptitudinem, ut extendantur in ordine ad locum: ergo aptitudinalis extēsio in ordine ad locum non est prima ratio quantitatis. Similiter probatur de impenetrabilitate aptitudinali, quæ coincidit cum aptitudinali extensione in ordine ad locum.

3 Dicimus 3. Omnia prædicta, radicaliter sumpta sunt de ratione formali quantitatis, id est, illud à quo omnia prædicta dimanant, est ratio formalis constitutiva quantitatis. Probatur, quia radix omnium proprietatum alicuius rei, est essentia illius: sed omnia supradicta sunt proprietates quantitatis: ergo radix omnium prædictorum est ratio formalis, & essentialis quantitatis. Hæc conclusio sic proposita est ferè communis consensus, si rectè intelligatur, & solùm est difficultas in assignanda ratione formali talis radicis, & aliqui dicunt, stare in hoc, quod quantitas habet partes in ordine ad se, seu realiter distinctas, sed cum hoc etiam conveniat substantiæ materiali, ut quæstione 3 dicemus nequit in hoc poni ratio formalis quantitatis, sed in aliquo nobis ignoto, ratione cuius partes quantitatis exigunt occupare locum, seu esse in loco absque penetratione, ita ut dicamus rationem quantitatis esse habere partes in ordine ad

se, ita ut dicant ordinem ad spatium occupandum, vel loci, vel durationis, vel discretionis, distributione acommoda, cùm impenetratione inter se, in quo sensu debet explicari Scotus, dum in 4.dist. 10. q. 1. dicit rationem quantitatis stare in habere partes in ordine ad se, nam aliàs sibi ipsi contradiceret, cùm dicat, etiam substantiam materalem habere partes in ordine ad se, & solùm potest esse distinctio inter quantitatem, & substantiam, quòd partes substantię non sunt impenetrabiles, seu extensæ in ordine ad locum per se, sicut partes quantitatis.

11 Aliqui autem valdè fatigantur in inquisitione primæ proprietatis, seu passionis quantitatis, an scilicet, sit mensurabilitas? An diuisibilitas? An impenetrabilitas? An verò exigentia ad extensionem in ordine ad locum? Ad quod breviter potest dici, (nè multum in re parvi momenti immoremur) quòd prima proprietas quātitatis est exigentia extensionis in ordine ad locum, quod ex actibus correspondentibus prædictis proprietatibus potest deduci, nam eo ordine, quo naturaliter conveniunt actus, conveniunt etiam aptitudines: sed prius est, quòd quantitas sit actu extensa in ordine ad locum, quàm quòd actualiter dividatur, seu mensuretur: ergo prius convenit quantitati naturaliter exigentia extensionis in ordine ad locum, quàm mensurabilitas, & divisibilitas. Circa impenetrabilitatem videtur dicendum, idem esse, ac exigentia extensionis in ordine ad locum, nam hæc exigentia nihil aliud est quàm partes quantitatis petere, esse unam extra aliam, seu unam quantitatem extra aliam in ordine ad spatium, seu unam occupare diversum spatium, ac aliam, quid aliud est impenetrabilitas? Nihil certè aliud apparet esse, vel assignetur. Neque apparet, quid contra nostras conclusiones possit obiici, quod non sufficienter solvatur ex dictis, & amplius ex dicendis quæst. 3.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Quænam sint proprietates quantitatis?

1 ARist. in hoc capite tres enumeravit proprietates quantitatis. Prima est, *non habere contrarium*, quæ proprietas intelligitur de contrarietate propriè dicta, ut dictum est loquendo de proprietatibus substantiæ disp. 1. quæst. 3. num. 4. non autem intelligitur de contrarietate latè sumpta, scilicet, pro quacumque oppositione, nam hoc modo plures contradictiones possunt inveniri in quantitate, nam motus sursum, & deorsum contrariãtur, & similiter quantitas continua, & discreta, &c. Secunda proprietas est; *Non suscipere magis, & minus*; quæ proprietas intelligitur quoad intensionem, non verò quoad extensionem, nam una quantitas potest esse magis extensa, quam alia. Hæ duæ proprietates non conveniunt quantitati in quarto modo, siquidem etiam conveniunt substantiæ.

2 Tertia proprietas est *æqualitas*, vel *inæqualitas*, quę proprietas debet intelligi de æqualitate, vel inæqualitate propriè dicta, ut est illa, quæ oritur ex extensione quantitativa partium. Et non debet intelligi de æqualitate, vel inæqualitate metaphoricè dicta, ut est, quæ resultat ex quantitate virtutis, nam hæc convenit alijs à quantitate.

3 Pro majori huius proprietatis intelligentia & pro aliquorum argumentorum solutione, observandum est, quod æqualitas, & inæqualitas, sumptæ formaliter, pertinent ad prædicamentũ relationis, & ut sic non sunt proprietates quantitatis, sed tantum sunt proprietates quãtitatis sũptę fundamẽtaliter, id est, pro fundamento prædictarum relationum; & hoc non ita, quod quãtitas necessariò actualiter sit fundamentum illarũ, sed tantùm aptitudinaliter, nam si tantũ esset

una quantitas in rerum natura, non esset actualiter fundamentum relationis æqualitatis, vel in æqualitatis, benè tamen aptitudinaliter. Hæc proprietas sic explicata convenit quantitati in quarto modo, nam convenit omni quantitati, illi soli, & semper.

4 Præter has proprietates, aliæ tres solent assignari ab Authoribus. Prima est: *Divisibilitas in partes extensas quantitativè*, quæ proprietas, si tantum intelligatur de divisibilitate physica, solùm convenit quantitati continuæ, non verò quantitati discretæ, nam solum id, cujus partes sunt unitæ, potest dividi, & certum est, partes quantitatis discretæ, non esse unitas. Si autem prędicta proprietas intelligatur de divisibilitate, prout abstrahit à physica, & per assignationem, etiam convenit quantitati discretæ, nam numerus centenarius, v. gr. est divisibilis per assignationem, & actu dividitur, cùm eius unitates numerantur. Hæc proprietas convenit quantitati in quarto modo.

5 Secunda proprietas est, *esse finitam, & infinitam*, quæ proprietas debet intelligi, ita ut quantitas naturaliter exigat, esse finitam in actu, & infinitam in potentia, quia naturaliter nequit dari aliqua quantitas, quæ actualiter non sit finita, & cui ex natura sua non possit addi magis, & magis sine termino.

6 Tertia proprietas est, *esse mensuram*, quæ proprietas intelligitur de mensura, tam activa, quàm passiva, de mensura passiva est communis consensus, de mensura autem activa (non intelligas de actuali, sed de aptitudinali) patet, quia aptitudo ad mensurandum nihil aliud est, quam quòd aliquid possit assumi ut instrumentum ad nos certificandū de magnitudine alterius, quod absque dubio, soli quantitati convenit. Ubi advertendum est, quod hæc proprietas solum convenit quantitati finitę, nam quantitas infinita, neque potest mensurari, neque mensurare,

nam tam mensura, quàm mensuratum debet esse quid certum, & determinatum, & nihil magis incertum, & indeterminatum, quàm infinitum.

QUÆSTIO III.

Vtrùm substantia materialis habeat partes realiter distinctas, seclusa quantitate?

1 PRo intelligentia quęstionis supponendum est tamquam certum, substantiam realiter distingui à quantitate, quod ferè omnes Philosophi, & Theologi tenent contra Nominales, & fundatur in Sacrosancto Eucharistiæ Mysterio, in quo fatentur omnes Catholici permanere quantitatem sine substantia panis, & vini, quo nullum majus signum distinctionis realis potest excogitari.

2 Neque valet, quod respondent Nominales, scilicet, quòd in Eucharistia, destructa substantia panis, destruitur etiam quantitas identificata cum illa, & remanere quantitatem identificatam cum aliis accidentibus. Hoc, inquam, non valet, nam ex hoc sequeretur, quòd in quocumque composito materiali, essent plures quantitates realiter distinctæ, altera correspondens substantiæ, & cæteræ correspondentes accidentibus, quod est impossibile.

3 Patet sequelæ impossibilitas, quia quantitas est naturaliter impenetrabilis; ergo naturaliter sunt incompossibiles plures quantitates in eodem loco, & consequenter in eodem composito; ergo nequit in eodem composito dari quantitas correspondens substantię, & quantitas correspondens accidentibus. Quòd autem illæ, quantitates, si darentur, essent naturaliter penetratæ, patet; quia accidentia Eucharistiæ non minus loci occupant, ut sunt sine substantia panis, ac quando erant tali substantiæ unita; ergo

si haberent quantitatem distinctam à quantitate substantiæ, tales quantitates naturaliter essent penetratæ, quod est impossibile, quippè est contra rationem quantitatis; ergo dicendum est, quòd substantia non habet quantitatem distinctam à quantitate accidentium, sed hæc quantitas manet in Eucharistia sine substantia panis; ergo distinguitur realiter ab illa. Hoc supposito.

4 Circa præsentem difficultatē varii sunt modi dicendi, nam aliqui absolutè negant, substantiam, seclusa quantitate, habere partes realiter, & entitativè distinctas, quorum aliqui asserunt, substantiā, adhuc sub quātitate existentē, nullas habere partes substātiales distinctas, sed esse substantialiter incōpositam, & simplicem, & consequenter totā substantiā esse sub tota quantitate, & totam sub qualibet parte quātitatis. Alii autē, licet cōcedant, substantiā habere partes realiter, seu ētitativè distinctas, ut subest quātitati, negāt tamē prędictas partes habere antecedenter, & independenter à quantitate. Per oppositum tamen tenent alii, substantiā antecedēter ad quantitatē habere partes entitativè distinctas, quorū aliqui dicunt prędictas partes independenter à quantitate nullatenus esse extensas, neque in ordine ad se, neque in ordine ad locū. Alii autē judicāt partes substantiæ independenter à quantitate posse esse extensas tam in ordine ad se, quàm in ordine ad locum. Quid videatur tenendum in tanta varietate, per sequentes conclusiones proponemus.

5 Dicimus 1. Substantia, ut subest quantitati, habet partes entitativè distinctas, ita ut nō sit tota substantia sub tota quantitate, & tota sub qualibet parte quantitatis, sed potius tota substantia sub tota quātitate, & pars sub parte quantitatis. Probatur 1. quia in homine v. g. substātia capitis non est substantia pedis; ergo distincta ab illa & consequenter substantia hominis, ut subest quantitati, habet partes entitativè distinctas.

6 Oppositum tenentes respondent, quòd sub-

stan-

stantia capitis non distinguitur à substantia pedis; sed tantùm est distinguibilis ab illa; quia, actu non est ab illa separata, sed tantùm separabilis.

7 Pluribus rationibus impugnant hanc responsionem ferè omnes Philosophi, ex quibus aliquas proponemus. Contra igitur primò, quia repugnat omninò idem realiter à se ipso separari; ergo sufficit, quòd aliqua possint separari, ut dicantur actualiter distincta. Confirmatur, quia quod non habet partes actualiter distinctas, est indivisibile: sed quod potest habere partes separatas, non est indivisibile; ergo quod potest habere partes separatas, necessariò habet partes realiter distinctas; sed juxta prædictam responsionem, substantia, ut subest quantitati, potest dividi in partes; ergo ut est sub quantitate habet partes realiter distinctas.

8 Contra secundò; quia repugnat unitati, ut unitas est, divisio in plures unitates; nam unus homo nequit dividi in plures homines; ergo si substantia capitis, & pedis, ut est sub quantitate, est una indistincta, repugnat, quòd dividatur in plures partes substantiæ habentes unitates realiter distinctas; sed hoc non repugnat, juxta responsionem; ergo ideò est, quia substantia pedis, & capitis, ut est sub quantitate, non unicam, sed plures habet unitates realiter distinctas. Confirmatur, quia repugnat extrema realiter distincta realiter identificari; ergo similiter repugnat, unicam, atque indistinctam unitatem fieri plures inter se realiter distinctas. Patet consequentia; quia oppositorum eadem est ratio. Antecedens videtur evidens, quia non apparet, quomodo quę distinguuntur, possint realiter identificari, nam semper secum habent rationem distinguendi.

9 Prob. 2. conclusio: quia nulla major ratio distinctionis, quā destructio unius sine destructione alterius; sed potest destrui substātia pedis, nō

destructa substantia capitis: ergo signum evidens est realis distinctionis substantiæ pedis à substantia capitis, & consequenter substantia, ut subest quantitati, habet partes realiter, & entitativè distinctas. Confirmatur totum, quod dictum est, & simul absolutè impugnatur supradicta responsio ad primam rationem: quantitas, in omnium sententia, habet partes realiter distinctas, licet non sint actu divisæ, sed tantùm divisibiles in potentia: ergo licet substantia, ut subest quantitati, solum sit divisibilis in potentia, non verò in actu, habet partes realiter, & entitativè distinctas.

10 Dicimus 2. Prædictæ partes substantiæ conveniunt illi pro priori ad quantitatem, & independenter ab illa. Conclusio est communis inter Scotistas, quam tenet Scotus in 2. distin. 12. quæst. 2. §. *Respondeo, vers. Si quæras*, litt. D. his verbis: *Si quæras etiam an habeat partes?* (loquitur de materia prima) *dico, quid partes substantiales habet, illas enim non habet per quantitatem*. Tenant etiam eam plures Thomistæ citantes D. Thomam 1. 2. quæst. 27. art. 4.

11 Probatur 1. conclusio, quia distinctio partium substantiæ est substantialis: ergo nequit provenire à quantitate, quæ est accidens. Patet consequentia, tum quia nihil accidentale potest ingredi in ratione substantiali. Tum etiam quia nihil posterius potest esse causa unitatis, vel distinctionis prioris: substantia est prior quantitate: ergo nequit distingui ratione quantitatis. Tum quia quòd aliquid sit entitativè ab alio distinctum, nequit illi provenire ab aliquo, quod est extra rationem illius; quantitas est extra rationem substantiæ; ergo distinctio substantiæ nequit provenire à quantitate. Major patet; quia idem est principium constitutivum, & distinctivum; sed principium constitutivum alicujus nequit esse, quod non est

est de ratione formali illius, ergo principium distinctivum alicuius nequit esse extra rationem illius, & consequenter quantitas nequit esse ratio distinctiva substantiæ.

12 Probatur 2. quia si Deus auferret quantitatem à substantia, tunc vel partes substantiæ, quæ erant distinctæ, quando substantia erat affecta quantitate, conservarent illam distinctionem, vel non? Si non: ergo quæ prius erant realiter distincta, jam realiter identificarentur, & deinde, si postea ipsa substantia afficeretur quantitate, iterum partes illius distinguerentur; utrumque videtur absurdum: ergo dicendum est, quod illæ partes substantiæ conservarent distinctionem, quam habebant, dum erant sub quantitate: ergo talis distinctio nequit illis provenire à quantitate.

13 Confirmatur, quia si à corpore abscinderetur brachium v. gr. & postea Deus auferret quantitatem, tam à substantia corporis, quam à substantia brachii abscisi; tunc illæ substantiæ realiter distinguerentur; quis hoc neget? Sed talis distinctio non proveniret à quantitate quia tunc non esset: ergo prædictæ substantiæ per se ipsas distinguerentur & consequenter substantia independenter à quantitate habet partes realiter distinctas.

14 Probatur 3. si Sacerdos tantum consecraret dimidium hostiæ sibi propositæ, tunc una pars substantiæ prædictæ hostiæ separaretur ab alia, nam desineret esse, remanente alia, & tamen tota quantitas remaneret indivisa, & inseparata: sed quando aliquid dividitur, & separatur, alio non diviso, & separato, tunc ex se habet distinctionem, & separationem, & non dependenter ab alio, quod non est divisum, & separatum: ergo partes substantiæ prædictæ hostiæ habent divisionem, & separationem, & consequenter distinctionem, independenter à quantitate.

Ar-

15 Argues 2. Nulla datur compositio partium in substantia independenter à quantitate: ergo non habet partes distinctas independenter à quantitate. Prob. anteced. quia talis compositio; neque esset per se, neque per accidens, non per se, quia non esset ex actu, & potentia per se; nam una pars non se haberet ut actus, & altera ut potentia per se, neque per accidens, quia nulla datur compositio per accidens ante quantitatem: sed nulla alia compositio potest assignari: ergo nulla datur compositio partium in substantia independenter a quantitate. Resp. neg. antec. & majorem probationis quoad primam partem; datur enim in substantia independenter à quantitate compositio per se integralis; quia licet una pars non se habeat ut per se actus, respectu alterius, & altera ut per se potentia; tamen quælibet pars se habet ut per se potentia, respectu indivisibilis, medio, quo tales partes uniuntur, quod quidem indivisibile se habet tanquam per se actus, respectu partium. De quo amplius in Physica.

16 Arg. 2. si substantia haberet partes independenter à quantitate, materia prima esset composita: sed hoc est falsum; ergo substantia non habet partes independenter à quantitate. Prob. min. primò, quia materia prima est primũ principium compositi naturalis: sed prima principia sunt simplicia, non verò composita: ergo materia prima non est composita. Secundò probatur eadem minor, quia si materia prima esset composita, sequeretur, quod compositio totius physici substantialis ex materia, & forma, non esset prima, sed hoc est contra Philosophum 8. Met. cap. 3. ergo materia prima non est composita, & consequenter substantia non habet partes independenter à quantitate. Resp. neg. min. ad primam prob. disting. min. prima principia sunt simplicia; id est, non composita ex aliis principiis, tanquam ex materia, & forma, concedo;

id

id est, non composita ex partibus integralibus, nego, & neg. conseq. Ad secundam prob. disting. mai. non esset compositio totius prima, absolutè loquendo, admitto; comparatione ad compositionem accidentalem, nego; & in hoc sensu loquitur Philosophus, cùm dicit, compositionem totius ex materia, & forma esse primam, nam loquitur de compositionibus, in quibus una pars se habet tamquam actus, & altera tamquam potentia, & sic certum est, compositionem ex actu, & potentia per se esse primam, ut est compositio ex materia, & forma, & compositionem ex actu, & potentiam per accidens esse secundam, ut est compositio ex substantia, & quantitate v.g.

17 Dicimus 3. substantia materialis organica independenter à quantitate habet partes extensas, seu ordinatas in ordine ad se. Probatur, quia talis ordinatio partium in ordine ad se, est quædam connexio illarum, ratione cujus una pars exigit uniri immediatè uni, & non alteri, v.g. pars substantiæ capitis exigit uniri parti substantiæ colli, non verò pedis, & sic de aliis; sed substantia organica habet partes, quæ tali ordine postulant inter se uniri independenter à quantitate: ergo independenter à quantitate substantia organica habet partes extensas, seu ordinatas in ordine ad se. Minor patet; quia in hoc distinguitur substantia organica à non organica; quia cùm partes substantiæ organicæ sint diversæ rationis; partes verò substantiæ non organicæ sint ejusdem rationis, v. partes substantiæ aquæ, illæ postulant prædictum ordinem, non verò istæ, & difficilè assignabitur alia differentia inter prędictas partes. Ex quo sequitur, quòd partes substantiæ non organicæ non sunt ordinatæ in ordine de se; nam sicut quælibet unitur uni parti potest alteri uniri, cùm omnes sint ejusdem rationis.

18 Hoc potest confirmari ex dicendis in Physica, scilicet, quòd partes eterogeneæ substan-

stantiæ organicæ sunt inter se diversę rationis, & speciei substantialiter, & non ratione accidentium.

19 Dicimus 4. Probabile est, substantiam materialem posse habere extensionem partium in ordine ad locum. Probatur, quia si Deus auferret quantitatem à substantia materiali; tunc partes illius substantiæ correspondērent loco, eo ordine, quo correspondebant cum quantitate: sed hoc est habere extensionem partium in ordine ad locum: ergo substantia materialis independenter à quantitate potest habere partes extensas in ordine ad locum.

20 Aliqui respondent, quòd in tali hypotesi prædictæ partes sustantiæ reducerentur ad punctum, & sic nullam haberent extensionem in ordine ad locum. Sed contra est, quia nequit excogitari, quomodo prædictæ partes substantiæ, quæ antea erant extensæ, reducantur ad punctum, nisi per motum localem illarum: sed talis motus localis nequit fieri naturaliter in istanti, in quo Deus auferret quantitatem, ergo nequit dici, quòd prædictæ partes reducerentur ad punctum, & consequenter remanerent extensæ in ordine ad locum, eo ordine, quo prius erant extensæ.

21 Alii resepondent, quòd in tali casu prędictæ partes substantiæ remanerent in eodem spatio, sed non, eo ordine, quo antea erant, sed diversimodè, scilicèt ita ut tota substantia esset in toto loco, & tota in qualibet parte, quodam modo definitivo; quam responsionem videtur tenere Scotus in 2. dist. 12. qu. 2. §. *Respondeo, vers. & si quaras*, litt. D. Sed contra est; quia talis modus essendi in loco nequit convenire substantiæ, quæ antea erat extensa per quantitatem circumscriptivè, id est, ita ut tota substantia esset in toto loco, & pars in parte, nisi per aliquem motum localem ipsarum partium, ita ut quælibet pars constitueretur in omnibus lo-

locis partialibus, in quibus sunt extera partes, quòd difficiliùs videtur, quam quod tota substantia reduceretur ad punctum, ut dictum est in prima responsione; ergo similiter est impossibile, quod talis motus fiat in instanti naturaliter, & consequenter nequit substantia, ablata quantitate, remanere in loco modo dicto definitivè. Scotus autem intelligitur, non deesse in loco definitivè, modo dicto; sed quatenus esse definitivè in loco negat esse in loco circumscriptivè necessariò; nam esse in loco circumscriptivè rigorosè sumptum, dicit, ita esse, quod totum correspondeat toti loco, & pars parti loci ita necessariò, ut nullatenus totum locatum possit naturaliter esse in qualibet parte loci, eo quòd ex natura sua est impenetrabile, quod solùm convenit rebus affectis quantitate. Etenim potest dici, quòd modus essendi in loco, quem haberet substantia materialis separata à quantitate, esset medius inter esse in loco circumscriptivè, & definitivè, nam esset tota substantia in toto loco, & pars substantiæ in parte loci, in quo conveniret cum esse in loco circumscriptivè, & ita esset in tali loco, ut tota substantia posset esse in qualibet parte loci, & hoc tam naturaliter, quam primo modo, eo quòd substantia non est impenetrabilis, in quo conveniret cum modo essendi in loco definitivè.

22 Pro majori claritate notandum est, quod loquendo miraculosè, seu de potentia Dei absoluta, benè potest dici, quòd substantia, si ab ea auferretur quantitas, vel reduceretur ad punctum loci, ut tenet prima responsio, vel quòd esset in loco definitivè, ut tenet secunda, quòd non est peculiare substantiæ materialis, nam etiam miraculosè loquendo, hoc potest, quantitati convenire, imò de facto convenit quantitati corporis Christi Domini in Eucharistia; tamen in miraculo esset maxima differentia,

tia, scilicet, quòd quando substantia, quæ prius erat sub quantitate, illa ablata, reduceretur ad punctum, miraculum staret in hoc, quod hoc fieret in illo instanti, non autem in hoc, quod omnes partes substantiæ essent penetratæ, nam cùm non sint impenetrabiles, status penetrationis est illis naturalis, secundùm se considerati; at verò miraculum quantitatis corporis Christi in Eucharistia etiam stat in penetratione partium quantitatis, seu in ablatione extensionis illarum in ordine ad locum; quia sunt naturaliter impenetrabiles, & naturaliter exigunt determinatè extensionem in ordine ad locum. Nos autem in præsenti tantùm loquimur de modo, quo naturaliter esset in loco substantia materialis, quæ prius erat sub quantitate, si talis quantitas ab illa miraculosè auferretur.

23 Arg. 1. Extensio partium in ordine ad locum est effectus formalis quantitatis: ergo ablata quantitate, substantia nequit habere partes extensas in ordine ad locum. Patet consequentia, nam ablata forma, aufertur effectus formalis. Resp. disting. anteced. extensio partium in ordine ad locum est effectus formalis quantitatis, si sit extensio necessaria, quæ necessario habet secum impenetrabilitatem, concedo, extensio non necessaria, seu quæ secum non habet necessario impenetrabilitatem, nego, & disting. conseq. substantia, ablata quantitate, non habet partes extensas in ordine ad locum necessario, seu cum impenetrabilitate, concedo; non necessario, seu sine impenetrabilitate; nego. Etenim, extensio, quæ provenit à quantitate in ordine ad locum, ita est necessaria, seu conjuncta cum impenetrabilitate, quod naturaliter nequit esse, quod extenditur per quantitatem, sine tali extensione, seu actualiter penetratum, tam secundùm suas partes, quam secundum quodlibet aliud extrinsecum; at verò

rò extensio in ordine ad locum, quam haberet substantia, seclusa quantitate, non esset ita necessaria, seu coniuncta cum impenetrabilitate, quod naturaliter non posset esse sine tali extensione; seu cum actuali penetratione, imo tam naturaliter esset substantia sine illa extensione, seu actualiter penetrata, tam secundum suas partes, quam cum quolibet alio extrinseco, quam cum tali extensione, seu actualiter impenetrata, cum quo tamen componitur, quod semper naturaliter exigat extensionem in ordine ad locum cum impenetrabilitate, eo quod naturaliter exigit quantitatem.

24 Arg. contra; substantia, ablata quantitate, non habet partes impenetrabiles: ergo neque extensas in ordine ad locum. Patet consequentia; quia partes extensæ in ordine ad locum resistunt penetrationi: sed hoc est, esse impenetrabiles: ergo si substantia non habet partes impenetrabiles, non habet partes extensas in ordine ad locum. Prob. mai. quia partes extensæ in ordine ad locum, sunt partes non se totis unitæ, sed unitæ secundum extremitates: sed partes unitæ, secundum extremitates, resistunt penetrationi: ergo partes extensæ in ordine ad locum, resistunt penetrationi. Probat. min, partes unitæ, secundum extremitates, habent impedimentum, ut una pars sit intra aliam, scilicet, extremitates, nam extremitas est id, quo una pars expellit aliam a proprio loco: ergo partes unitæ secundum extremitates resistunt penetrationi.

25 Respond. neg. consequ. & majorem prob. & minorem syllogismi, quo probatur, & similiter negando majorem probationis prædictæ minoris; & distinguendo probationem illius ibi inclusam; extremitas est id, quo una pars expellit aliam a proprio loco, absolutè loquendo, concedo; necessariò, & neg.

con-

consequ. Etenim, verum est, partes substantiæ uniti inter se secundum extremitates, mediis indivisibilibus, ad modum, quo uniuntur inter se partes quantitatis; ideoque dicimus, posse esse extensas in ordine ad locum partes substantiæ, sicut sunt extensæ partes quantitatis, & certum est, quod in tali hypothesi, prædictæ partes substantiæ non essent actualiter penetratæ, sed una extra aliam in ordine ad locum, eo quod tunc tantum secundum extremitates se ad invicem tangerent; propter quod dicimus, quod absolutè loquendo, extremitas est id, quo una pars expellit aliam a proprio loco, id est, semper quod partes tantum secundum extremitates ad invicem se tangunt, sunt extensæ in ordine ad locum, id est una extra aliam, & sic actualiter impenetratæ; cum tamen, tam partes substantiæ, quam extremitates illarum, & indivisibilia, quibus uniuntur, non sint impenetrabilia, imo naturaliter penetrabilia, non indigent, seu exigunt necessariò prædictæ partes esse ita extensæ, & impenetratæ, imò tam naturale est illis penetratio actualis, quam actualis extensio in ordine ad locum, seu actualis impenetratio; ideoque dicimus; quod extremitates, ratione quarum aliqua uniuntur, non necessario sunt rationes expellendi unam partem ab alia a proprio loco, nam bene componitur, quod partes sint unitæ secundum extremitates, & ratione istius unionis tantum secundum extremitates se tangant ad invicem, & quod simul sint penetratæ, & totaliter se tangant ratione penetrationis; ut contingit in partibus quantitatis penetratis inter se, quæ ratione penetrationis, totaliter se tangunt, & cum non amittant unionem, quam antea habebant, scilicet secundum extremitates, ratione illius tantum secundum extremitates se tangunt.

26 Versatur autem hoc discrimen inter partes

tes substantiæ, & partes quantitatis, scilicet, quod partibus substantiæ, tam naturale est se tangere secundùm extremitates ratione unionis quam se tangere totaliter ratione penetrationis, partibus verò quantitatis solum est naturale, se tangere secundùm extremitates ratione unionis; at verò, se tangere totaliter ratione penetrationis, est illis supernaturale, eo quod naturaliter exigunt determinatè tantum uniri secundum extremitates, & idem est, hoc determinatè exigere, ac determinatè exigere extraneitatem partis a parte in ordine ad locum, quæ exigentia est impenetrabilitas, ideoque actualis penetratio est illis supernaturalis: partes autem substantiæ non exigunt determinatè prædictam extensionem in ordine ad locum, seu extraneitatem partis a parte, sed sunt indifferentes ad talem extensionem, & ad oppositum illius, scilicet ad actualem penetrationem, licet ut alibi dictum est, exigant naturaliter quantitatem, ratione cuius fiant impenetrabiles, & exigant determinatè solam unionem secundum extraneitates, & consequenter extraneitatem partis a parte, seu extensionem in ordine ad locum. Ex quibus facilè cognoscuntur, quomodo partes substantiæ uniantur secundum extremitates, absque eo quod prædictæ extremitates sint necessariò rationes expellendi unam partem a loco alterius, & quomodo extremitates, secundum quas uniuntur partes quantitatis, sint rationes necessariò expellendi unam partem a loco alterius.

27 Arg. 2. Si substantia haberet partes extensas in ordine ad locum, esset divisibilis: hæc est proprietas quantitatis: ergo substantia non habet partes extensas in ordine ad locum. Communiter respondetur, quod tunc substantia esset divisibilis actione supernaturali: non autem actione naturali, seu per virtutem agentis naturalis, & in hoc secundo sensu divisibilitas

tas est dassio quantitatis, non vero in primo. Licet autem sufficiat hæc responsio, tamen consequenter ad dicta potest respondꝭri disting. mai. substantia esset divisibilis necessariò, ita ut naturaliter nequeat esse non divisibilis, nego; esset divisibilis non necessario, concedo. Etenim, verum est, quod substantia, in tali hypothesi, esset aliquomodo divisibilis ratione illius extensionis; tamen cum ut dictum est, possit naturaliter esse sine tali extensione, seu penetrata secundum suas partes, & ut sic, esse modo non divisibili, hinc est, quod non necessariò haberet divisibilitatem, sicut non necessariò haberet talem extensionem; proprietas autem quantitatis est, naturaliter habere necessariò talem divisibilitatem, unde substantia non haberet proprietatem quantitatis. Eodem modo respondetur ad alia argumenta, scilicet, quod substantia haberet situm, æqualitatem, & inæqualitatem; nam licet hæc omnia haberet substantia, hoc tamen non esset necessitate naturali ut illa habet quantitas.

28 Dicimus 5. Probabile est, substantiam materialem non posse habere partes extensas in ordine ad locum, seclusa quantitate. Hoc videtur insinuare Scotus loco citato numer. 21. huius quæstionis, & in 4. dist. 49. quæst. 16. ubi dicit, quod ratio situs sumitur à quantitate: sed si substantia, seclusa quantitate, haberet partes extensas in ordine ad locum, non posset ei situs denegari: ergo jam ratio situs non desumeretur à quantitate.

29 Deinde probatur ratione; quia sicut se habet albedo, v. gr. in ratione dealbandi, sic se habet quantitas in ratione extendendi substantiam in ordine ad locum: sed impossibile est, subiectum esse album sine albedine: ergo etiam est impossibile, substantiam esse extensam in ordine ad locum sine quantitate.

Un-

30 Unde dici potest, quod substantia seclusa quantitate esset in loco quodammodo peculiari: nam non esset in loco circumscriptivè, ita ut tota substantia corresponderet toti loco, & pars substantiæ parti loci, nam hoc dicit extensionem partium in ordine ad locum, quam supponimus non habere sine quantitate, neque esset in loco, sicut esset aliquod positivum indivisibile, nam hoc nullas habet partes, ut supponimus habere substantiam: sed tantum esset in loco inextensa, & indivisibilis negativè, id est, non extensa, & divisibilis, eo quòd deficeret illi quantitas, quæ est forma ipsam substantiam extensam, & divisibilem constituens, sicut si à subjecto auferretur albedo, diceretur negativè non album, eo quòd deficeret albedo, quæ est forma ipsum subiectum album constituens & sicut si auferretur frigiditas ab aqua sine introductione caloris, diceretur negativè non frigida, eò quod deficeret frigiditas, quæ est forma aquam frigidam constituens.

31 Advertendum tamen est, quòd sicut aquę est naturalis frigiditas, prout naturale opponitur violento, & sic sine frigiditate diceretur aqua violenta, seu esse in statu violento, saltim negativè; sic quantitas, ratione cuius convenit substantiæ extensio in ordine ad locum, potest dici naturalis ipsi substantiæ, prout naturale aliquomodo opponitur supernaturali, & sic sine quantitate, & sine extensione in ordine ad locum, posset dici substantia esse in statu supernaturali; unde sicut de aqua, in tali statu violento, non posset inquiri, quomodo esset naturaliter? Prout naturale opponitur violento? Quia tunc nullatenus esset naturaliter; ita similiter de substantia in statu separationis à quantitate, non posset inquiri, quomodo esset in loco naturaliter, prout esse in loco naturaliter, opponitur esse in loco supernaturaliter? Quia tunc nullatenus esset in loco na-

turaliter, & sic videtur inquisitio falsæ suppositionis. Utraque conclusio est probabilis, & sic quælibet potest defendi, & ex dictis in ista, potest responderi ad rationes antecedentis.

QUÆSTIO IV.

Quomodo quantitas dividatur?

1 ARist. in hoccapite adducit duas divisiones quantitatis. Prima est in continuam, & discretam, quantitas continua dicitur illa, cuius partes copulantur termino communi, ut linea, quæ copulatur punctis, quæ sunt indivisibilia versus omnem dimensionem, & superficies, cuius partes copulantur lineis, quæ licet sint divisibiles versus longitudinem, sunt tamen indivisibiles versus latitudinem, & profunditatem, & corpus cujus partes copulantur superficiebus, quæ licet sint divisibiles versus longitudinem, & latitudinem, sunt tamen indivisibiles versus profunditatem. Quantitas discreta est illa, cuius partes non copulantur termino communi, ut numerus.

2 Secunda divisio quantitatis est in eam, quæ habet partes cum positione situali, ita ut una sit sursum, altera deorsum, una dextera, altera sinistra, &c. quod contingit in linea, superficie corpore, & loco, & in eam, quæ, non habet talem positionem, quod contingit in tempore, numero, & oratione.

3 Alia divisio quantitatis in communi deducitur ex pluribus locis Arist. ut patebit in Physica, scilicet in successivam, & permanentem. Quantitas permanens est illa, cuius partes sunt simul in aliquo tempore, ut linea, superficies, corpus, locus, & numerus. Quantitas successiva est illa, cuius partes non sunt simul

in aliqua duratione, sed successivè fluunt, ut tempus, & oratio. Hæ sunt divisiones quantitatis in communi.

4 Circa primam divisionem notandum est, quod non est infima, sed subalterna, nam subdividitur quantitas continua in lineam, superficiem, corpus, tempus, & locum. Similiter subdividitur quantitas discreta in numerum, & orationem.

5 Circa secundam divisionem etiam est notandum primo, quòd non est infima, sed subalterna; nam quantitas, quæ habet partes cum positione situali, subdivitur in lineam, superficiem, corpus, & locum. Similiter quantitas, quæ non habet positionem situalem, subdividitur in tempus, numerum, & orationem. Secundò notandum est, quod quantitas, ut dicatur habere positionem situalem partium, requirit duas conditiones. Prima est, quòd sit continua, defectu cujus, numerus, & oratio non dicuntur habere talem positionem. Secunda est, quòd sit permanens, defectu cujus, tempus non dicitur habere prædictam positionem. Hæc omnia sunt communia, & solum est difficultas, & controversia inter Authores circa qualitatem prædictarum divisionum. Pro qua sit.

QUÆSTIO V.

Quales sint divisiones quantitatis?

1 UT certa ab incertis separemus, & ne quæ communia sunt, ad controversiam reducamus, supponendum est primò, divisionem quantitatis in eam, quæ habet partes cum positione situali, & quæ non habet partes cum tali positione, posse dupliciter intelligi. Primo, ita ut talis positio sumatur formaliter, in quo sensu pertinet ad prædicamentum

situs, ut suo loco dicetur, & sic talis positio est accidens respectu quantitatis, & conveniunt omnes, prædictam divisionem esse subiecti in accidentia. Secundò, ita ut talis positio sumatur fundamentaliter, scilicet, pro capacitate, quam habet quantitas, ut partes ejus taliter disponantur, seu ad fundandam relationem situs; in quo sensu est ferè communis consensus, prædictam divisionem esse generis in species per differentias materiales, sicut quando dividitur corpus in corruptibile, & in incorruptibile per materiales differentias, quod insinuat Scotus q. 17. prædicamentali.

2 Supponendum est secundò, divisionem quantitatis in successivam, & permanentem esse generis in species etiam per differentias materiales; quod expresè tenet Scotus in 2. dist. 2. quæst. 4. §. *Contra conclusionem, vers. Quod dicitur*, ante litt. A. Circa quod ferè nemo est, qui dissentiat. Unde solum remanet difficultas circa divisionem quantitatis in continuam, & discretam, & circa huius divisionis subdivisiones. Pro quibus, claritatis gratia, sit.

SECTIO I.

Qualis sit divisio quantitatis in continuam, & discretam?

1 Dicimus: divisio quantitatis in continuam, & discretam est generis in species. Pro hac conclusione stat major pars Philosophorum, licet plures, & non parvi momenti, oppositum acerrimè defendant. Prob. tamen, quia illa dicitur divisio generis in species in qua divisum est talis naturæ, quod prædicetur in eo quod quid, ut pars essentiæ, de membris dividentibus; sic prædicatur quantitas in communi de quantitate continua, & discreta: ergo

ergo talis divisio est generis in species. Probat. min. quia ratio quantitatis est de essentia, tam quantitatis continuæ, quam discretæ, deinde non dicit totam essentiam illarum, nam differunt inter se essentialiter per rationem continuationis, & discretionis: ergo ratio quantitatis prædicatur in eo quod quid de continua; & discreta, ut pars essentiæ.

4 Arg. 1. Nequit una species fieri ex alia: quantitas discreta fit ex continua: ergo non sunt diversæ species quantitatis. Respond. dist. mai. una species non fit ex alia formaliter sumpta, concedo; non fit ex alia materialiter sumpta, nego. Similiter disting. minor. & neg. conseq. Ex materia enim ligni fit ignis, licet non fiat ex forma ligni.

5 Argum. 2. Una species non est prior alia: quantitas continua est prior quantitate discreta cum hæc fiat ex illa: ergo non sunt diversæ species. Resp. disting. maior. una species non est prior alia in essendo, nego; in participando genus, concedo. Disting. etiam minor. quantitas continua est prior quantitate discreta in essendo, admitto: in participando genus, scilicet rationem communem quantitatis, nego, & nego conseq.

6 Argum. 3. Una species non prædicatur de alia: quantitas discreta prædicatur de continua; nam hæc est bona prædicatio: *Corpora sunt tria, vel quatuor, &c.* ergo quantitas continua, & discreta non sunt species diversæ. Resp. dist. mai. una species non prædicatur de alia essentialiter, & quidditative, concedo; accidentaliter, & denominative, nego. In hoc secundo sensu est vera minor: falsa autem in primo, unde nego conseq.

7 Arg. 4. Species quantitatis debet esse unum per se: sed quantitas discreta non est unum per se: ergo quantitas discreta non est species quantitatis. prob. min. quia si daretur aliqua

species quantitatis discretæ, maximè numerus: sed numerus non est unum per se: ergo quantitas discreta non est unum per se. Minor, in qua est tota difficultas sectionis, prob. primò ex Arist. 3. Physic. cap. 7. ubi dicit, numerum esse plures unitates, & 8. Met. cap. 3. ubi dicit, numerum non esse unum; sed sicut cumulum. Secundo probat. eadem min. ratione; nam ex pluribus entibus in actu, quorum unum non se habet, ut per se actus, & aliud, ut per se potentia, nequit fieri unum per se, sed numerus constat pluribns entibus in actu, quorum unum non se habet, ut per se actus, & aliud ut per se potentia, scilicet pluribus unitatibus; nam non est maior ratio, cur una sit potius per se actus, & alia per se potentia, quam è contra: ergo numerus non est unum per se. Confirmatur; quia unum per se dicit unionem partium: sed partes numeri non sunt unitæ, imò necessario sunt non unitæ, seu discretæ: ergo numerus non est unum per se.

8 Ad huius argumenti solutionem, necessariò debet examinari, an numerus sit unum per se? Et quomodo? Et circa primum, maior pars Philosophorum tenet, numerum esse unum per se; pro quo citatur Scotus in Met. lib. 8. text. 10. & lib. 5. quæst. 9. & in 3. dist. 22. §. *Ad primum argumentum, vers. Modo ad propositum*, litt. L. ubi dicit: *Nec quinarius est unitates quinque; sed est illud totum quod resultat ex quinque unitatibus, aliter si esset illa quinque unitates, esset unum sicut acervus*. Deinde, probatur, ratione, quia obiectum scientiæ est unum per se, numerus est obiectum Arithmeticæ: ergo est unum per se.

9 Quoad secundum verò aliqui dicunt, ideò numerum esse unum per se; quia licet pro materiali, & denominato dicat unitates quantitativas separatas; pro formali tamen, & pro per se significato dicit ordinem prioris, & poste-

sterioris, prædictis unitatibus per intellectum numerantem attributum. Sed licet hoc verum sit; quia sicut intellectus dicitur numerus numerans, sic unitates, ut dispositæ per intellectum in ratione prioris, & posterioris, dicuntur numerus numeratus,& ut sic pro formali dicunt unum per se; tamen hoc non est ad intentum, quia ut sic certum est, numerum esse denominationem extrinsecam provenientem ab actu intellectus, & sic non unum per se reale, in quo sensu loquimur in præsenti, sed tantùm unum per se rationis, quod non collocatur in prædicamento.

10 Alii dicunt, ideo numerum esse unum per se, quia priores unitates se habent tanquam materia, seu potentia per se, & ultima tanquam forma, & per se actus. Sed neque hic modus constituendi numerum unum per se videtur satisfacere, nam contra est: quia vel priores unitates dicuntur quasi materia, & potentia, & ultima quasi forma, & actus, quatenus sunt unitates, vel quatenus sunt priores, & postriores? Sed neutrum potest esse: ergo non benè explicatur hoc modo unitas per se numeri. Prob. min. quia non primum: nam unitates, ut unitates, sunt ejusdem rationis: ergo non apparet ratio, cur aliquæ dicantur quasi materiam, & potentia, & aliqua dicatur quasi forma, & actus quàm è contra. Neque secundum, quia ratio prioris, & posterioris in prædictis unitatibus provenit ab intellectu numerante, & tantùm est, ut supra diximus, quædam denominatio extrinseca rationis: ergo prędictę unitates ex parte rei non se habent, ut actus,& potentia, in ratione prioris, & posterioris.

11 Dicendum egro videtur, ideò numerum esse unum per se, quia etiam si pro materiali, & denominato dicat unitates separatas, & consequenter,ut sic unum per se nō constituen-

tes, tamen pro formali, & pro per se significato dicit discretionem prædictarum unitatum, quæ est forma, ratione cujus prædictæ unitates sunt numerabiles, quæ discretio convenit unitatibus à parte rei, & est forma per se una composita ex genere, & differentia; sicut albedo, quam pro formali dicit hoc concretum *album*, & similiter formæ aliorum concretorum accidentalium.

12 Nunc respond. ad argumentum positum numer. 7. neg. min. & min. prob. & ad illius primam prob. quæ desumpta est ex Arist. dicimus, ipsum loqui de numero sumpto pro materiali, scilicet, pro unitatibus separatis præcisè; non verò pro formali, & per se significato; id est prout dicit rationem formalem discretionis, quæ ut dictum est, est per se una. Ad secundam prob. min. & similiter ad confirm. resp. tantum esse, contra illos, quia asserunt, numerum esse unum per se, sumptum pro materiali, seu ratione unitatum se habentium, ut actus, & potentia, seu quasi materia, & forma; non autem contra nos, quia talem modum dicendi non admittimus; sed tantùm dicimus, numerum sumptum pro formali, & per se significato, esse unum per se. Alia de numero dicuntur sectione 3.

SECTIO II.

De divisione quantitatis continuæ.

13 Jam diximus num. 1. quæst. antec. lineam esse extensam secundùm longitudinem, & continuari punctis; superficiem esse extensam secundum latitudinem, & continuari lineis, & corpus esse extensum secundum profunditatem, & continuari superficiebus: ex quo sequitur, quòd linea tantùm includit unam di-

dimensionem, scilicet longitudinem, & sic esse indivisibilem versus latitudinem, & profunditatem; superficies verò includit duas dimensiones, unam pro formali, scilicet latitudinem, & alteram præsuppositivè, scilicet longitudinem; & sic esse indivisibilem versus profunditatem; corpus autem includit tres dimensiones, unam pro formali, scilicet, profunditatem, & duas præsuppositivè, scilicet latitudinem, & longitudinem, & sic nullatenus esse indivisibile. Unde, sic communiter definitur linea: *Est quantitas continuata punctis*. Sic verò superficies: *Est quantitas continua lineis*. Sic autem corpus; *Est quantitas continuata superficiebus*. Nunc.

14 Dicimus: divisio quantitatis continuæ in lineam, superficiem, & corpus, est generis in species. Conclusio est communior consensus Philosophorum, quam tenet Scotus quæst. 20. prædicamentali. Probatur; quia illa divisio est generis in species, in qua divisum prædicatur *in quid* de membris dividentibus, & illa inter se essentialiter differunt: sed ratio quantitatis continuæ prædicatur *in quid* de tribus supradictis, & illa inter se essentialiter differunt: ergo prædicta divisio est generis in species. Prob. prima pars minoris; quia ratio quantitatis continuæ est, habere partes copulatas, & occupativas loci, seu impenetrabiles: sed hæc ratio convenit essentialiter lineæ superficiei & corpori; ergo prædicatur de illis *in quid*. Porb. 2. pars minoris; quia extensio lineæ est versus logitudinem; extensio superficiei versus latitudinem; & extensio corporis versus profunditatem; hæ sunt diversæ essentialiter extensiones; ergo linea, superficies, & corpus differunt essentialiter in ratione quantitatis; & consequenter prædicta divisio est generis in species.

15 Confirmatur, quia ubi est diversa est

sentialiter continuatio, est diversa essentialiter ratio quantitatis continuæ: sed in linea, superficie, & corpore est diversa essentialiter continuatio: ergo est diversa essentialiter ratio quãtitatis continuæ. Minor patet, quia rationes continuativæ, scilicet punctum, linea, & superficies, sunt essentialiter diversæ: ergo in linea, superficie, & corpore est diversa essentialiter continuatio.

16 Arg. 1. Nequit una species ordinari ad aliam constituendam, neque in illa includi: sed linea, & superficies ordinantur ad componendum corpus, & in illo includuntur: ergo linea, & superficies non sunt species quantitatis à corpore distinctæ. Resp. disting. ma: una species non ordinatur ad componendum aliam, sumpta secundum suam rationem formalem, concedo; materialiter, nego. Similiter disting. min. linea, & superficies ordinantur ad componendum corpus, sumptæ materialiter, concedo; formaliter, nego, & neg. conseq. Idem dicendum est de inclusione. Aliis terminis potest distingui minor argumenti, linea, & superficies ordinantur ad componendum corpus, ut sunt indivisibiles, concedo; ut sic tamen non sunt species quantitatis, sed indivisibilia copulativa partium ordinantur, ut sunt divisibile, nego, in quo sensu sunt species quantattiis.

17 Arg. contra, linea, & superficies dependent à corpore in suo esse: ergo in suo esse ordinantur ad componendum corpus. Resp. disting. antec. linea, & superficies dependent à corpore in suo esse existentiali, seu physico, admitto; in suo esse metaphysico, seu in participando rationem quantitatis continuæ, nego, & nego conseq. Verum est, quòd linea nequit existere sine superficie, nec superficies sine corpore, & sic aliquomodo in suo esse dependent à corpore; sed hoc non obstat, ut quæ-

li-

libet sit vera species quantitatis: nam quælibet secundum suam dimensionem verè participat rationem quantitatis: quod aliquomodo etiam contingit in ipso corpore, quod necessariò debet habere lineas, & superficies, ita, ut de potentia Dei absoluta nequeat esse sine illis, & hoc non obstat ad hoc ut sit, secundum suam dimensionem, vera species quantitatis.

18 Dices adhuc, si linea, & superficies non pertinent formaliter ad rationem corporis; ergo corpus per potentiam Dei absolutam poterit esse sine illis; sed hoc est impossibile; ergo ideò est, quia linea, & superficies formaliter pertinent ad rationem corporis. Respond. neg. consequent. ad hoc enim, quod corpus nequeat esse, adhuc de potentia Dei absoluta, sine linea, & superficie, non requiritur, quod secundùm suas rationes formales pertineant ad corpus, sed sufficit, quod aliquomodo ad constitutionem illius sint necessariæ: cum enim corpus sit quoddam continuum, necessariò partes illius debent esse unitæ, mediis divisibilibus, quæ quidem indivisibilia sunt superficies, & sic sunt necessariæ ad constitutionem corporis, non ut extensæ versus latitudinem, in quo sensu sunt species quantitatis, & tantùm materialiter includuntur in corpore; sed quatenus sunt inextensæ, seu indivisibiles versus profunditatem. Idem dicendum est suo modo de lineis, respectu superficiei.

19 Argum. 2. Quantitas est impenetrabilis; sed linea, & superficies non sunt impenetrabiles: ergo non sunt species quantitatis. Prob. minor, quia si super unum corpus perfectè planum ponatur aliud æquale, ultima superficies unius tangeret omnes partes superficiei alterius; sed hoc est penetrari; ergo superficies non est impenetrabilis. Idem potest dici de li-

nea. Communiter respondetur neg. minor. & min. prob. non enim sufficit ad penetrationem, quòd partes unius quantitatis tangant omnes partes alterius, nam hoc potest contingere per contiguitatem, ut in exemplo posito; sed ampliùs est necessarium, quod partes unius, & alterius quantitatis sint simul in eodem loco, quod non contingit in exemplo, cùm una ex prædictis superficiebus sit locus alterius, quod amplius patebit ex dicendis in Physica.

20 Dices; eo præcisè, quod duo corpora se tangant secundum omnes suas partes, dicuntur esse penetrata; ergo similiter superficies. Resp. neg. conseq. quia licet verum sit, quod quando duo corpora se tangunt secundum omnes suas partes, sint & dicantur penetrata; hoc tamen contingit quando se tangunt superficies modo supradicto; cujus ratio est, quia cùm corpus sit extensum, & divisibile, secundum omnem dimensionem, necessariò se tangunt, ut extensa, duo corpora, & sic datur intromissio unius corporis in aliud circa idem spatium, quod propriè est penetratio; at verò, cum superficies nullam habeant extensionem versus profunditatem, circa quam fit contactus corporum in exemplo posito, nulla datur penetratio inter ipsas superficies.

21 Aliter resp ad arg. disting. minor. superficies non sunt impenetrabiles, ut extensæ sunt, nego, ut indivisibiles sunt, admitto, & neg. conseq. nam solum superficies, ut extensa, est species quantitatis, non verò ut indivisibilis; unde non obstat, ut sit species quantitatis, quòd non sit impenetrabilis, ut indivisibilis est, & sufficit, quòd sit impenetrabilis, ut extensa est. Idem similiter dicendum est de linea.

Du-

Dubia incidentia.

22 Dubitabis 1. An prædictæ species quantitatis sint infimæ, vel subalternæ? Resp. esse species infimas, patet quia licet corpus dividatur in planum, & rotundum, &c. superficies in concavam, & convexam, & linea in rectam, & obliquam, hæ divisiones tantùm sunt accidentales, ut ex se patet, & nullæ aliæ assignantur; ergo corpus, superficies, linea sunt species infimæ quantitatis continuæ.

23 Dubitabis 2. An locus sit species quantitatis distincta à superficie? Resolutio hujus dubii pendet ex dicendis de loco in Physica, nunc breviter resp. negativè. Probatur, quia locus pro materiali dicit superficiem continentem; pro formali verò, rationem continentiæ, quæ non ad prædicamentum quantitatis, sed ad prædicamentum *ubi* pertinet; ergo locus nihil addit supra superficiem, quod pertineat ad prædicamentum quantitatis.

24 Dubitabis 3. An motus sit species quantitatis continuæ? Pro responsione nota ex dicendis in Physica, motum pro materiali dicere ipsam formam, quæ acquiritur, seu producitur per motum, ut est in fieri, & in esse imperfecto, tendens in suam perfectionem, pro formali autem dicere ipsum fluxum, à quo forma, quæ fluit, quandiù est in fieri, fluens denominatur, qui fluxus nihil aliud est, quam illa mora seu duratio successiva, quæ in fieri talis formæ consumitur. Nunc

25 Resp. motum pro materiali non esse speciem quantitatis continuæ, benè tamen pro formali. Prima pars patet, nam motus pro materiali est forma, quæ fit, sed talis forma, vel potest esse accidens, vel substantia; ergo motus pro materiali non est species quantitatis continuæ. Probatur secunda pars, illud dicitur

spe-

species quantitatis continuæ, quod per se habet partes exigentes diversum spatium, seu impenetrabiles in ordine ad aliquod spatium, & copulatas termino communi; sed motus sumptus pro formali habet partes exigentes diversum spatium durationis, & impenetrabiles in ordine ad tale spatium, scilicet partiales fluxus, seu moras successivas copulatas terminis communibus, qui sunt quædam indivisibilia, quæ dicuntur *mutata* esse: ergo motus sumptus pro formali est species quantitatis continuæ. Jam diximus, divisionem quantitatis in successivam, & permanentem esse per differentias specificas materiales, quod hic debet applicari, ne aliqua oriatur æquivocatio.

26 Dubitabis 4. An tempus sit species quantitatis continuæ distincta à motu? Idem dicendum est ad hoc dubium, quod in simili dictum est ad secundum, nam tempus pro materiali dicit motum; & pro formali rationem mensuræ, quæ non ad prædicamentum quantitatis, sed ad prædicamentum *quando* pertinet; ergo dicendum est, tempus non esse speciem quantitatis continuę distinctam à motu. Intelligentia hujus dubii, & duorum prædicamentum multum pendet ex dicendis in Physica, & etiam solutio argumentorum, nam principiis physicis innituntur, & principiis physicis respondetur ad illa.

SECTIO III.

De divisione quantitatis discretæ.

27 Divisio quantitatis discretæ est in numerum, & orationem, & ut cognoscatur, qualis sit? Prius examinandum est, an numerus, & oratio sint species quantitatis discretæ: Pro cujus decisione recolenda sunt, quæ diximus de numero sectione 1.

27 De-

28 Deinde notandum est, orationem in præsenti sumi pro quacumque voce articulata pluribus syllabis constituta, sive sit significativa, sive non, sive proferatur ore, sive quocumque alio instrumento. In oratione autem hoc modo sumpta plura inveniuntur. Primò plures syllabæ, seu soni. Secundò motus, seu prolationes syllabarum, qui motus sunt discontinui aliqua quiete, quæ propter parvitatem ejus, pluries est imperceptibilis sensibus. Tertiò plures durationes etiam discontinuæ, quibus mensurantur prædicti motus, quæ licet aliquæ sint longiores aliis, juxta exigentiam syllabarum, omnes tamen ita sunt parvæ, ut propter suam parvitatem morulæ nuncupentur. Quartò armonia, seu sonoritas quædam, ratione cujus omnes syllabæ, & omnes motus, & morulæ coordinantur ad artificiosè orationem componendam.

29 Ex quo deducitur, quòd sicut numerus formaliter sumptus est quoddam concretum dicens pro formali denominationem extrinsecam provenientem ab intellectu numerante, & pro materiali unitates discretas, ita oratio formaliter sumpta est quoddam concretum dicens pro formali armoniam, sonoritatem, seu concentum, & pro materiali syllabas, seu motus discontinuos. Similiter, sicut numerus, sumptus pro materiali, est etiam quoddam concretum dicens pro formali discretionem unitatum, & pro materiali ipsas unitates, ita oratio, sumpta pro materiali, est quoddam concretum dicens pro formali discretionem motuum, seu syllabarum, & pro materiali ipso motus, seu syllabas. His suppositis.

30 Dicimus 1. Numerus, & oratio, si sumantur formaliter, non sunt species quantitatis discretæ. Hæc conclusio in terminis, & in re est communis, licet sic non proponatur. De numero patet, quia pro formali dicit denominationem extrinsecam provenientem ab actu intelle-

ctus,

ctus, quæ nullatenus pertinet ad prædicamentum quantitatis. Similiter patet de oratione; quia armonia, quam dicit pro formali, non apparet quomodo ad prædicamentum quantitatis pertineat, cùm tantùm sit quidam modus, quasi resultans ex tali, vel tali dispositione syllabarum, quæ inter se ordinantur, vel ab arte, vel à natura; qui ordo potius est respectus, quàm aliquod absolutum: ergo numerus, & oratio, si formaliter sumantur, non sunt species quantitatis discretæ.

31 Dicimus 2. Numerus, & oratio, si sumantur materialiter, sunt species quantitatis Discretæ. De numero patet, quia habet partes exigentes occupare diversum spatium discretum loci, seu partes impenetrabiles in ordine ad spatium discretum loci: ergo numerus in hoc sensu est species quantitatis discretæ; De oratione probatur similiter, quia habet partes, scilicet syllabas discretas exigentes occupare diversum spatium discretum durationis, seu partes impenetrabiles in ordine ad spatium durationis discretum: ergo oratio in hoc sensu est species quantitatis discretæ. Neque obstat, quòd tam numerus, quàm oratio habeant partes non se habentes ut actus, & potentia per se, & non unitas, nam hoc se habet pro materiali, tamen per se dicunt rationem discretionis, quæ est unum quid reale per se. Videantur quæ diximus loquendo de numero sectione 1.

32 Dicimus 3. Numerus, & oratio non differunt in ratione quantitatis discetæ per differentias formales, sed tantum per differentias materiales. Probatur, quia numerus, & oratio conveniunt in habere partes discretas, & differunt in hoc, quod partes numeri sunt ordinabiles per intellectum in ratione prioris, & posterioris, & partes orationis dicunt ordinem ad concentum, & armoniam, quod per ac-

dicens

cidens se habet ad rationem quantitatis, & solùm provenit à materia partium: ergo non differunt formaliter, sed tantùm materialiter.

33 Deinde numerus, & oratio etiam differunt in eo, quòd partes numeri sunt permanentes, (licet etiam possint esse successivæ; nam partes orationis etiam sunt numerabiles)& partes orationis sunt successivæ: sed permanens, & successivum sunt differentiæ materiales quantitatis, licet intrinsicæ: ergo numerus, & oratio materialiter differunt in ratione quantitatis.

34 Ex quibus facilè deducitur, quid sit respondendum ad difficultatem: dicimus ergo 4. in ordne: divisio quantitatis discrete potest dici generis in species per differentias specificas materiales. Patet; nam ut dictum est, differunt in ratione permanentis, & successivi, quę sunt differentiæ intrinsecæ, & specificæ, non formales, sed materiales quantitatis. Diximus; *potest dici*, quia non necessariò numerus, & oratio differunt in ratione successivi, & permanentis, nam certum est, numerum posse habere rationem successivi, possunt enim numerari partes orationis, scilicet syllabæ, seu motus; quæ sunt successiva.

35 Dicimus 5. Numerus est species infima quantitatis. Probatur; quia numeri tantum differunt inter se per magis, & minus, quæ ut fert commune proloquium, non varians speciem, sed tantùm sunt differentiæ accidentales: ergo numerus est species infima quantitatis. Confirmatur à paritate, quia linea bicubita, v. g. non differt essentialiter, sed tantùm accidentaliter in ratione quantitatis continuę à tricubita, licet sint inæquales: ergo similiter dicendum est de numeris in ratione quantitatis discretæ. Idem dicendum est de oratione propter eandem rationem; nam tantùm differt una

oratio ab aliam in longitudine, & brevitate, quæ sunt accidentale differentiæ in ratione quantitatis.

36 Neque obstat proloquium desumptum ex Arist. scilicet: *species sunt sicut numeri*; nam hoc intelligitur ita quòd sicut addito, vel ablato aliquo prædicatò essentiali, variatur species, ita addita, vel ablata aliqua unitate, variatur numerus, licet non essentialiter, saltim accidentaliter: In quo tenet paritas.

37 Dubitabis, ex quibus unitatibus componatur numerus, qui pertinet ad prędicamentum quantitatis? Resp. numerum ad prædicamentum quantitatis pertinentem, constitui ex unitatibus quantitativis, v.g. tribus, vel quatuor lineis, corporibus, &c. non verò ex quibuscumque unitatibus, v.g. tribus substantiis; tribus qualitatibus, &c. Probatur, quia sicut se habet continuatio ad quantitatem continuam, ita se habet discretio ad quantitatem discretam: sed in omnium sentenia, solùm continuatio partium quantitatis pertinet ad prædicamentum quantitatis, non verò continuatio partium substantiæ, & qualitatis: ergo solùm discretio partium quantitatis pertinet ad prædicamentum quantitats, non verò discretio partium substantiæ & qualitatis, & cujuslibet alterius entis. Unde communiter numerus constans unitatibus quantitativis, dicitur prædicamentalis, constans autem aliis unitatibus, dicitur numerus transcendentalis, quia potest constare unitatibus cujuslibet prædicamenti, & sic per omnia prædicamenta divagari.

38 Ex dictis in tota disputatione facilè deducitur coordinatio hujus prædicamenti. Etenim genus supremum est quantitas in communi, quæ dividitur per differentias formales in continuam, & discretam, & postea continua in lineam, superficiem, & corpus. Hæ tantum sunt divisiones formales quantitatis, nam ut dictum

est,

est, prædictæ species, scilicet linea, superficies, & corpus, sunt infimæ. Aliæ divisiones sunt per differentias materiales, vel infimas, vel subalternas, ut patet ex dictis in tota quæstione, unde non pertinent ad coordinationem prædicamentalem, nam hæc tantum constat generibus, speciebus, & differentiis formalibus, suo autem modo, & similitudinariè, potest etiam fieri coordinatio, ratione differentiarum materialium.

D I S P. IV.

De relatione tertio prædicamento.

SEptimo capite egit Arist. de prædicamento *ad aliquid*, sive relatione, non quia relatio sit perfectior qualitate, nam imo è contra evenit sed quia magis conducit ad cognitionem quantitatis, de qua egerat immediatè, & hoc videtur postulare ordo doctrinæ.

Q U Æ S T I O I.

An dentur relationes reales?

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est, quod per relationem ut sic, nihil aliud intelligitur, nisi quidam ordo, respectus, seu habitudo unius ad aliud, sic dicitur patrem v. gr. habere respectum, ordinem, seu habitudinem ad filium, & è contra. Unde relatio in communi sic potest explicari: *est ordo, seu habitudo unius ad aliud*; quæ descriptio convenit, tam relationibus rationis, quam realibus, tam creatis, quam increatis. Hoc notato, non vertitur in dubium, an dentur relationes reales in creatæ, nam hoc ita se habere fides catholica docet in Mysterio Sanctissimæ Trinitatis Solum autem est difficultas de relationibus creatis.

2 Di-

2 Dicimus; dantur relationes reales creatæ independenter ab omni consideratione intellectus. Conclusio sic proposita est ferè omnium Philosophorum contra Nominales, & alios, ex quibus aliqui dicunt, omnes relationes creatas esse rationis, alii autem esse denominationes extrinsecas. Pro hac conclusione pluribus in locis citantur utriusque scholæ Principes, & Magistri. De subtili Doctore patebit in tota disputatione. Tam accepta est jam nunc temporis nostra conclusio, ut ferè in controversiam non reducatur, ideoque videtur probatione non indigere, tamen breviter aliqua fundamenta proponemus, ex quibus Authores plures rationes conficiunt.

3 Probatur igitur 1. à parte sumpta de relationibus divinis, nam ideo in divinis datur relatio paternitatis, & filiationis, quia Pater æternus verè generat filium, ut principium productivum illius: sed in creatis Pater verè generat filium, ut principium productivum illius: ergo in creatis verè, & realiter dantur relationis paternitatis, & filiationis.

4 Probatur 2. Quia unitas universi datur à parte rei, secundum Aristot. 12. Met. talis unitas consistit in ordine partium inter se, & ad primum ens, scilicet Deum: sed talis ordo est relatio: ergo realiter dantur relationes creatæ.

5 Probatur tertio; quia independenter à consideratione intellectus duæ quantitates sunt æquales, seu dicitur inter se ordinem æqualitatis, & duæ albedines ordinem similitudinis: ergo independenter à consideratione intellectus dantur prædicti ordines in creatis: sed ut dictum est, relatio nihil aliud est quam ordo, seu habitudo unius ad aliud: ergo independenter à consideratione intellectus dantur in creatis prædictæ relationes.

6 Ne-

6 Neque valet, si dicant tales relationes non esse formas intrinsecas in rebus denominatis, sed tantum extrinsecas denominationes. Nam contra est primò, quia denominatio extrinseca provenit à forma existente in alieno subjecto ut denominatio visi in pariete provenit à forma, scilicet à visione existente in potentia visiva: sed denominatiō similis in pariete albo, nequit provenire à forma existente in alieno subjecto, nam tale subjectum non assignatur, neque potest assignari: ergo provenit à forma existente in ipso pariete albo. Contra secundò, quia licet denominatio similitudinis, v.gr. in pariete albo esset extrinseca (quod non admittimus) deberet provenire à forma reali intrinsecè existente in alieno subjecto, quodcumque illud sit, sed prædicta forma realis debet esse relativa, nam denominatio relativa nequit provenire à forma absoluta: ergo necessariò dicendum est, quod datur forma realis relativa intrinsecè existens in aliquo subiecto.

7 Arg. 1. Omne ens creatum debet habere causam productivam illius: relatio non habet causam productivam illius: ergo non est ens reale. Prob. min. 1. quia, si existente aliquo albo, v.gr. producatur aliud album in quacumque distantia, in albo præexistente statim datur similitudo, respectu albi de novo producti, cuius similitudinis non est causa agens de novo producens album, videtur enim impossibile, quod agens producens album Romæ, producat similitudinem in albo existente Matriti, deinde neque potest esse causa prædictæ similitudinis agens, quod prius produxerat album præexistens, potest enim contingere, quod tale agens jam non existat: sed nulla alia causa potest assignari: ergo relatio similitudinis nullam habet causam, & consequenter non est ens reale. Prob. min. ex Arist.

quis. Physic. ait, ad relationem non dari per se motum, & consequenter non datur causa relationis.

8 Resp. neg. min. Ad probationem dicimus, quod causa relationis, tam albi præexistentis, quam de novo producti, est agens de novo producens album, quod non debet intelligi de causa per se, sed tantum de causa per accidens, nam relationis tantùm causa per accidens datur, non tamen causa per se, ideòque non est impossibile, quod talis relatio causetur in tanta distantia, nam approximatio solum est conditio necessaria ad per se causandum. Clarius agens, quod de novo producit album, dicitur causa per accidens relationis similitudinis, tam albi præexistentis, quam albi de novo producti, quia per se non concurrit ad prædictas relationes, sed tantum ponit unum extremum illarum, quod necessariò requiritur ad resultantiam relationum, quæ resultant ex fundamento, & termino, ad quod non obstat, quod sint in maxima distantia, quia sphæra ad resultantiam relationis est totum universum, & solum requiritur, quod existant extrema, unde etiam potest dici, quod agens, quod prius produxerat album præexistens, est etiam causa per accidens prædictarum relationum, licet contingat, quòd tunc non existat; nam existentia solum requiritur ad per se causandum, non autem ad causandum per accidens modo dicto. Ad Arist. dicimus, quod loquitur de per se motu, & de per se causa, non autem de causa per accidens. Vel quod loquitur de motu, seu actione per se terminata ad relationem, non autem de resultantia illius, posito fundamento, & termino.

9 Arg. 2. Positis in rerum natura duobus albis, v. gr. secluso quocumque alio, sunt prædicta alba inter se similia: ergo relatio non est aliquid reale de novo adveniens, sed tantum denominatio extrinseca desumpta à coexistentia

illorum. Resp. disting. antec. in tali hypothesi illa duo alba erunt similia, &c. fundamentaliter, concedo, formaliter, nego. Formalis enim similitudo est relatio realis superaddita.

QUÆSTIO II.

Quid, & quotuplex sit relatio realis?

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est, quod Arist. in hoc capite divisit relativa in relativa secundum esse, & in relativa secundum dici. Relativa secundum esse dicuntur illa, quæ sunt essentialiter relativa, ita ut eorum essentia sit ad aliud se habere, seu quæ de primo conceptu dicunt relationem, ut *pater, simile, &c.* Relativa secundum dici dicuntur illa, quæ tantum accidentaliter, & denominativè sunt relativa, seu quæ de primo conceptu dicunt entitates absolutas, explicantur tamen per modum habitudinis unius ad aliud, ut *manus, caput, scientia, sensus, intellectus, &c.* nam hæc, & alia similia dicunt primariò entitates absolutas, explicantur tamen aliqua in ordine ad totum, & aliqua in ordine ad objectum. Advertit tamen Scotus qu. 13. quodlibetica, §. *Ad argumentum principale*; quod ad hoc, ut aliqua dicantur relativa secundum dici, necessarium est, quod sub eodem nomine importent absolutum primariò, & relationem secundario, *scientia* enim, v. gr. primario significat qualitatem absolutam, & secundariò, relationem ad objectum scibile. Unde non omnia absoluta possunt dici relativa secundum dici, licet alias fundent relationem, sed tantum illa, quæ nomine non purè absoluto significantur, ut sunt supradicta, & alia similia.

2 Ex quo aliqua sequuntur. Primò, quod advertit Scotus quæst. 26. prædicamentali, scilicet, relativa secundum dici tantum æquivocè

esse

esse relativa, & sic prædictam divisionem esse æquivoci in æquivocata.

3 Secundò, quod relativa secundum esse non debent confundi cum relativis realibus, neque relativa secundum dici cum relativis rationis, nam relativa secundum esse possunt esse relativa rationis, nam *genus*, v. gr. primò, & per se importat relationem rationis genereitatis, & secundò naturam denominatam, quod est proprium relativorum secundum esse. Similiter relativa secundum dici possunt esse realia, ut patet in exemplis supra positis.

4 Tertiò, quod prædicta divisio non convenit relationibus in abstracto, sed tantum in concreto, nam relatio in abstracto, vel est relatio secundum esse, vel non est relatio, ut ex se patet.

5 Deinde notandum est, quod Arist. in hoc capite sic relativa secundum esse in concreto definivit; *Relativa sunt, quorum totum suum esse est referri ad aliud*. In qua definitione necessariò juxta mentem Arist. debent subintelligi hæc verba; *Accidentia realia*. Patet, quia Arist. loquebatur de divisione entis realis, & de divisione accidentis, & certum est, quod prædicta definitio seclusis his verbis, convenit, tam relativis rationis, quam relativis substantialibus, ut sunt personæ Divinæ, & plura relativa transcendentalia, ut patebit ex dicendis: hoc communiter admittitur, & sic explicatur definitio. Dicitur, *accidentia realia*, in quo conveniunt relativa cum accidentibus absolutis, & differunt à relativis divinis, transcendentalibus, & rationis. Dicitur: *Quorum totum suum esse, &c.* In quo differunt relativa secundum esse à relativis secundum dici, ut patet ex supradictis. Quia tamen accidentia in concreto non collocantur in prædicamento, sed in abstracto, ideo in hac quæstione inquirimus, quid sit, & quomodo dividatur relatio realis in abstracto? Ut cognoscamus,

mus, quænam relationes in hoc prædiecamento collocentur, & supponitur generalis divisio relationis in realem, quæ datur à parte rei independenter à consideratione intellectus, de qua loquimur in præsenti, & in relationem rationis, quæ non datur in rebus, nisi per operationem intellectus, de qua hic non agimus; quia non collocatur in prædicamento, ut suo loco diximus.

6 Dicimus 1. Relatio creata secundum esse sic potest in abstracto definiri: *est accidens reale, ratione cuius unum ordinatur ad aliud*: vel sic: *Est ordo, seu habitudo realis accidentalis inter duo extrema*. Quæ definitiones communiter admittuntur, & explicantur à simili de definitione relativorum in concreto, & si ab illis auferantur illa verba: *Accidens, accidentalis*, conveniunt relationi in communi, prout comprehendit relationem prædicamentalem, tam intrinsecus, quàm extrinsecus advenientem, & relationem transcendentalem, ut clarè patebit ex dicendis.

7 Dicimus 2. Relatio realis creata dividitur in prædicamentalem, & transcendentalem: Prædicamentalis est, quæ pertinet ad aliquod determinatum prædicamentum, ut *paternitas*, *similitudo*, *&c.* transcendentalis est, quæ non pertinet ad aliquod determinatum prædicamentum, sed divagatur per aliqua, vel per omnia prædicamenta, ut relatio dependentiæ, quam dicit creatura ad Deum. Sic communiter explicatur relatio transcendentalis, ut distincta à prædicamentali. Tamen Mastrius disput. 8. de prædicamentis quæst. 1. sic illam explicat, relatio enim, inquit, prædicamentalis est, quæ accidit fundamento, & sic ab eo est separabilis; unde per oppositum relatio transcendentalis est illa, quæ non accidit fundamento, sed est idem realiter cum illo, & sic ab eo inseparabilis. Ex quo,

inquit, sequitur, quare prima relatio dicatur prædicamentalis; nam cum accidentaliter conveniat fundamento, necessariò debet esse accidens alicuius generis, & prædicamenti, & similiter quare secunda relatio dicatur transcendentalis; nam cum identificetur realiter cum fundamento, quod potest esse substantia, vel accidens, pertinet reductivè ad prædicamentum illius. & sic non ad aliquod determinatum prædicamentum.

8 Dicimus 3. Relatio prædicamentalis subdividitur in relationem intrinsecus advenientem, & extrinsecus advenientem. Relatio intrinsecus adveniens est illa, quæ necessario resultat positis fundamento, & termino. Relatio extrinsecus adveniens dicitur illa, qud non necessario resultat posito fundamento, & termino, sed adhuc postulat aliquid aliud extrinsecum, ut ex fundamento, & termino resultet. *Similitudo*, v. g. dicitur relatio intrinsecus adveniens; nam positis duobus albis, ut fundamento, & termino statim resultat. *Actio* verò dicitur relatio extrinsecus adveniens, quia positis in rerum natura agente, & passo, non statim resultat, sed ulterius requiritur approximatio inter agens, & passum, tanquam conditio necessaria, ut ex illis resultet. Idem dicendum est de *passione*, *ubi*, *situ*, *quando*, & *habitu*; nam hæc omnia sunt relationes extrinsecus advenientes, ut suo loco dicemus. Hæc divisio est familiaris inter Scotistas.

9 Ubi advertendum est, quod relatio extrinsecus adveniens, solum dicitur talis propter supradicta, non autem, quia extrinsecè denominet subiectum; nam quantum ad hoc, tam intrinseca est, quam relatio intrinsecus adveniens, utraque enim intrinsecè afficit subiectum & sic intrinsecè illud denominat.

10 Dicimus 4. Relatio in communi adhuc dividitur in mutuam, & non mutuam. Mutua

dici-

dicitur illa, cui in termino correſpondet alia relatio, quod adhuc dupliciter poteſt evenire. Primo, itaut relatio correſpondens, ſit eiuſdem nominis, & rationis, ut relationes ſimilitudinis inter duo alba, quæ communiter dicuntur relationes mutuæ æquiparantiæ. Secundo, ita ut relatio correſpondens, ſit diverſi nominis, & rationis, ut relationes paternitates, & filiationis; actionis, & paſſionis, quæ dicuntur relationes mutuæ diſquiparantiæ. Relatio non mutua dicitur illa, cui in termino non correſpondet alia relatio, ut relatio ſcientiæ ad obiectum, quæ dicitur relatio menſurabilis ad menſuram; nam licet ſcientia dicat relationem ad obiectum, non tamen obiectum ad ſcientiam. Sed de his amplus ſuo loco.

11 Ex dictis facile deducitur, quod tantum pertinet ad hoc prædicamentum relatio prædicamentalis intrinſecus adveniens, nam relationes tranſcendentales, ut dictum eſt, non pertinent ad aliquod determinatum prædicamentum, ſed reducuntur ad prædicamentum ſui fundamenti, & ſimiliter relationes extrinſecus advenientes habent ſua propria prædicamenta ab hoc tertio prædicamento diſtincta.

12 *D*einde quod colligitur ex conditionibus; quæ communiter aſſignantur ad hoc, ut relationes in hoc prædicamento collocentur. Prima eſt, quod ratione fundamenti ſunt finitæ, & limitatæ, per quam conditionem excluduntur relationes divinæ. Secunda eſt, quod ſint reales, ad quod, inquit Scotus in 1. diſtinct. 31. §. *Ad quæſtionem*, tria ſufficiunt. Primo, quod fundamentum ſit reale, & terminus realis. Secundo, quod extremorum ſit diſtinctio realis. Tertio, quod ex natura extremorum, ſcilicet fundamenti, & termini, ſequatur ipſa talis relatio, abſque opere alterius potentiæ comparantis unum extremum alteri, & ratione

huius conditionis excluduntur ab hoc prædicamento relationes rationis. Tertia conditio est, ut non possint in alio prædicamento adhuc reductivè collocari, & ratione huius conditionis excluduntur relationes transcendentales ab hoc prædicamento. Quarta denique conditio est, ut resultent posito fundamento, & termino, absque eo quod expectent aliquam conditionem, adhuc realem, ratione cuius conditiones excluduntur ab hoc prædicamento relationis extrinsecus advenientes. Nunc restat divisio relationis finitæ realis intrinsecus advenientis, quæ est genus supremum huius prædicamenti, quæ divisio commodius explicabitur quæstione sequenti.

QUÆSTIO III.

De relationis intrinsecus advenientis divisione.

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est, quod in relatione plura inveniuntur ad ipsam aliquomodo pertinentia. Primo invenitur relativum, & est extremum, quod infertur ad aliud ratione relationis, v.gr. *paries similis*. Secundo correlativum in relationibus mutuis, & est aliud extremum, v.g. *alius paries similis*. Tertio subiectum relationis, v. gr. ipse paries, in quo subiectatur *albedo*, v. gr. ratione cuius convenit parieti relatio similitudinis. Quartò fundamentum remotum, & est ratio remota propter quam aliqua referuntur, ut *albedo inhærens parieti*. Quinto fundamentum proximum, & est ratio proxima fundandi relationem, qua aliqua referuntur, ut unitas, seu convenientia in albedine, quam dicunt duo parietes albi. Sexto, terminus, & est id, ad quod aliquid refertur, seu terminatur, ut paries albus, ad quem refertur alter paries albus,

bus, ex quibus licet aliqua in re idem sint, habent tamen diversa nomina propter diversa munera assignata.

2 Dicimus 1. Relatio realis intrinsecus adveniens dividitur in tria genera, seu in tres species subalternas, quas enumeravit Aristot. 5. Met. cap. 15. assumens divisionem ex parte fundamenti: nam cùm relatio sit minutissima entitas, faciliùs cognoscitur in fundamento, quàm in se ipsa. Relationes primi generis sunt, quæ fundantur in unitate, & numero, relationes secundi generis sunt, quæ fundantur in actione, & passione, tertii verò generis sunt, quæ fundantur in mensura, & mensurabili. Sufficientia hujus divisionis patet ex eò quòd non potest assignari aliud fundamentum relationis intrinsecus advenientis. Nunc restat, prædictas relationes cum suis divisionibus sigillatim explicare, quod claritatis gratia, per sequentes sectiones intendemus.

SECTIO I.

De relationibus primi generis.

3 NOtandum est, quod cùm Aristot. dicit, relationes primi generis fundari in unitate, & numero, pro unitate non intelligitur unitas numerica, nec pro numero multitudo numerica, sed intelligitur pro unitate, convenientia extremorum, in aliqua ratione, & pro numero, disconvenientia in tali ratione, ita ut illa extrema dicantur habere unitatem, quæ secundum aliquam rationem possunt unico conceptu intelligi, & illa extrema dicantur habere numerum, quæ secundum aliquam rationem nequeunt unico conceptu intelligi. Nunc.

4 Dicimus: relatio hujus generis dividitur in sex species, scilicet in relationem iden-

titatis, quæ iuxta Arist. fundatur in unitate, seu convenientia substantiæ, ubi pro substantia intelligit essentiam cuiuscumque rei. Hoc modo dicuntur habere relationem identitatis Petrus, & Paulus, quia habent unitatem, seu convenientiam in natura specifica, & similiter duæ quantitates, duæ qualitates, & quælibet alia accidentia ejusdem speciei. In relationem diversitatis, quæ fundatur in numero, seu disconvenientia in ratione essentiali. Hoc modo dicuntur habere relationem diversitatis Petrus, & equus; quia non conveniunt in essentia specifica, & similiter duæ qualitates, quantitates, & quælibet alia accidentia diversæ speciei.

5 In relationem æqualitatis, quæ fundatur in unitate seu convenientia dimensionis quantitativæ. Hoc modo dicuntur habere relationem æqualitatis duæ lineæ palmares, & alia hujusmodi. Et in relationem inæqualitatis, quæ fundatur in numero, seu disconvenientia dimensionis quantitativæ. Hoc modo dicuntur habere relationem inæqualitatis duæ lineæ, quarum una sit palmaris, & altera bipalmaris.

6 In relationem similitudinis, quæ fundatur in unitate, seu convenientia in intensione qualitatis. Hoc modo dicuntur habere relationem similitudinis, duo alba ut quatuor, & his similia. Et in relationem dissimilitudinis, quæ fundatur in numero, seu disconvenientia in intensione qualitatis. Hoc modo dicuntur habere relationem dissimilitudinis duo alba, quorum unum habeat quatuor, alterum verò quinque gradus albedinis.

7 Ex quo sequitur, quod aliqua extrema secundùm diversas rationes possunt fundare diversas relationes, duo enim alba, v. gr. fundant relationem identitatis, ratione unitatis essentialis albedinis, & fundant relationem similitudinis, ratione unitatis intensionis gradualis ipsius albedinis. Ubi advertendum est, quod inter

inter album, & nigrum non datur relatio dissimilitudinis, quia hæc debet supponere unitatem specificam, tantum enim datur inter alia relatio diversitatis propter numerum, seu disconvenientiam in essentia specifica, vel identitatis propter unitatem, seu convenientiam in essentia generica. Idem dicendum est de duabus quantitatibus diversæ speciei, scilicet, quod non fundant relationem inæqualitatis, sed vel relationem identitatis, vel diversitatis modo dicto.

8 Arg. 1. Relationes hujus prædicamenti sunt reales; ergo fundamentum illarum debet esse reale; sed unitas, in qua fundantur prædictæ relationes, non est realis, sed rationis; ergo prædictæ relationes non sunt reales, & consequenter non collocantur in hoc prædicamento. Resp. concesso primo enthymemate, neg. min. subsumptam. Unitas enim, in qua fundantur prædictæ relationes, est unitas formalis communis negativè, quæ ut suo loco latè dictum est, datur à parte rei independenter à consideratione.

9 Arg. 2. Relatio identitatis, & diversitatis fundatur in unitate, vel numero essentiæ; sed hoc, ut supradictum est, invenitur in quocumque prædicamento; ergo talis relatio non pertinet determinatè ad hoc prædicamentum. Patet consequentia: nam quod determinatè pertinet ad aliquod prædicamentum, nequit ad alia prædicamenta pertinere. Resp. disting. min. relatio identitatis invenitur in quolibet prædicamento, denominativè, id est, ita ut denominet eadem illa, quæ pertinent ad quælibet prædicamenta, concedo; essentialiter, seu ita ut ratio formalis talis relationis pertineat secundùm suam essentiam ad quodlibet prædicamentum, nego, & nego conseq. ad cuius probationem respondetur sicut ad minorem. Videantur, quæ diximus loquendo de inhærentia.

10 Observa pro aliquibus argumentis, quod licèt secundùm ordinem naturæ prædictæ relationes fundentur in unitate specifica, seu generica; quia naturaliter non dantur aliqua duo extrema, quæ participent unitatem numericam, tamen si darentur, ut possunt dari de potentia Dei absoluta, ut si eadem numero albedo poneretur in diversis subjectis, tunc prædicta subiecta dicerentur similia ratione unitatis numericæ albedinis; non enim requiritur, quod ratio fundandi relationem sit realiter distincta in extremis, sed sufficit, quod extrema sint realiter distincta, ut cum Scoto tenent omnes Scotistæ loquendo de relationibus identitatis, æqualitatis, & similitudinis inter divinas personas; quarum fundamentum non est realiter distinctum in extremis. De quo in materia de Trinitate.

SECTIO II.

De relationibus secundi generis.

11 DIcimus; relatio secundi generis dividitur in duas species, juxta illarum fundamenta, scilicet, in relationem causæ ad effectum, quæ fundatur in actione, seu in potentia activa, ut relatio Patris ad Filium; & in relationem effectus ad causam, quæ fundatur in passione, seu potentia passiva, ut relatio filii ad patrem. Hęc divisio communiter admittitur à Philosophis, licèt aliqui intendant, contra communem consensum, non dari prædictas relationes, quorum argumenta infra videmus, & ex dicendis patebit, dari prædictas relationes ex mente Scoti. Est autem aliqua controversia, an fundamentum prædictarum relationum sit constituendum in ipsa actione, & passione? An verò in potentia activa, & passiva, ut subsunt actioni, & passioni? Pro quo.

12 Di-

12 Dicimus; prædictæ relationes fundantur in potentia activa, & passiva, actio verò, & passio tantùm sunt conditiones necessario requisitæ ad resultantiam prædictarum relationum. Conclusio est communis inter Scotistas, quam expresse tenet Scotus in 4. dist. 5. qu. 10. §. *Sed restat*, *Vers. Respondeo*, litt. I. ubi dicit: *Respondeo, fundamentum proximum est ipsa potentia generativa; non loquendo de respectu, quem de se dicit potentia, sed de isto absoluto, quod denominatur à potentia.* Et dist. 13. quæst. 1. §. *Ad argumenta*, *Vers. Ad quintum principale*, litt. V. ubi dicit: *Nulla relatio secundi modi fundatur super actionem, & passionem, ut dictum est libro 1. dist. 17. sed tantùm super potentiam activam, & passivam, quia illa relationes, quæ videntur fundari super actionem, & passionem non insunt, quando actio, & passio est, insunt etiam, quando actio, & passio non sunt. Hoc patet, quando enim aliquis in creaturis generat, tunc non est Pater, licet postea quando proles formata est, sicut illa proles incipit esse filius; ita incipit, qui genuit, esse pater, tamen non est aliqua eius actio, posset enim tunc, vel non esse, vel non omnino agere aliqua actione nova, præter illam primam; relatio autem non potest esse, nisi dum est fundamentum, & si sit fundamentum completum, & hoc ex utraque parte, simul erit & relatio; actiones ergo illæ possunt habere se tantum ad relationes, sicut praviæ dispositiones ad tales relationes.* Hæc Scotus. Videant aliqui Scotistæ, quomodo negent ex mente Scoti, dari prædictas relationes? Ex quibus verbis deducitur hæc ratio pro nostra conclusione.

14 Nequit dari relatio, quin detur fundamentum; sed transacta actione, & passione, & permanente potentia activa, & passiva, dantur prædictæ relationes: ergo fundamentum illarum constituendum est in potentia

activa, & passiva, non verò in actione, & passione, actio enim & passio tantum se habet, ut conditiones præviæ necessariò requisitæ, si enim illæ præcederent, non resultarent tales relationes.

14 Arg. contra ex Arist. in hoc capite dicente, prædictas relationes fondari in actione, & passione. Confirmatur: quia ex eo dicitur, actionem, & passionem non esse fundamenta prædictarum relationum, quia relationes manent deficientibus actione, & passione: sed similiter potest perseverare relatio paternitatis, v. g. deficiente potentia generativa in parte; nam hæc potest deperdi in senectute: ergo non est ratiò, cur potius dicatur, talem potentiam esse fundamentum relationis paternitatis, quàm esse actionem. Respond. Aristot. intelligi in sensu explicato, scilicet, quòd actio, & passio sunt conditiones necessariò requisitæ ad resultantiam prædictarum relationum, non autem intelligitur de fundamento propriè dicto. Ad confirmationem resp. neg. min. nam potentia generativa est idem realiter cum patre, & sic nunquam potest deficere, illo non deficiente; solum autem potest in senectute deficere aliqua conditio requisita ad actum tali potentiæ.

15 Intendentes probare, non dari prædictas relationes, arguunt 1. Si aliqua esset necessitas prædictarum relationum, maximè quia transacta generatione, remanent denominationes patris, & filii, v. g. sed ad hoc nulla est necessitas prædictarum relationum; nam sufficit, quòd aliquando pater genuerit, & filius fuerit genitus: ergo non sunt admittendæ prædictæ relationes. Resp. neg. min. quia cùm denominatio patris, & filii, v.g. sit denominatio actualis, necessariò debet provenire à forma actuali, qualis forma nequit esse actio, vel passio, cùm hæ, ut fatentur sic arguentes, jam præterierint,

unde

unde necessariò assignanda est aliqua forma actualis, a qua proveniat prædicta denominatio, quæ forma nequit esse alia aptior, quam relatio paternitatis in patre, & relatio filiationis in filio.

16 Arg. 2. Non potest aliter explicari quid sit Pater, nisi dicendo, esse illum, qui genuit filium: ergo paternitas nihil aliud est, quàm actualis generatio filii. Resp. quòd licet benè explicetur pater modo dicto, non inde sequitur, paternitatem non esse aliquam relationem distinctam ab actuali generatione; sed solùm sequitur, benè explicari prædictam relationem in ordine ad potentiam generativam patris, ut fundamentum talis relationis, quatenus talis potentia subest actuali generationi, quæ est conditio prævia ad resultantiam relationis paternitatis, quod non est peculiare in his relationibus, nam benè explicatur *simile*, v. g. dicendo, esse quod habet albedinem eiusdem intensionis gradualis cum alia albedine existente in altero subiecto, & tamen omnes concedunt similitudinem esse relationem distinctam à convenientia in tali intensione graduali albedinis. Unde neg. conseq.

17 Arg. 3. In divinis paternitas est ipsa generatio activa filii; ergo similiter in creatis, & consequenter non est admittenda relatio paternitatis. Respond. neg. conseq. & paritatem, disparitas stat in hoc, quod relatio paternitatis in divinis non distinguitur realiter à fundamento, cùm sit substantialis, & realiter ipse Deus, at verò relatio paternitatis in creatis, cùm sit accidens, necessariò debet esse distincta à suo fundamento, & licet actio, seu genetatio actualis sit etiam accidens in creatis, tamen non est idem realiter cum paternitate, quia transacta actione, adhuc homo est, & denominatur Pater, in divinis autem ipsa generatio actualis semper perseverat, & sic sem-

per potest denominare patrem, seu generans. His fundamentis negatis aliqui dari prædictas relationes in creatis distinctas ab actione, & passione; non autem est ratio; cur propter illa à communiori, & receptissima via recedamus.

SECTIO III.

De relationibus tertii generis.

18 Dicimus: relatio tertii generis fundatur, juxta Arist. in mensura, & mensurabili, ubi non sumitur mensura pro mensura propriè dicta, ut est quantitativa; sed pro commensuratione, seu specificatione unius ab alio; hoc modo scientia dicit relationem ad obiectum, quia cum illo commensuratur, & ab illo specificatur, & similiter omnes actus vitales dicunt relationem ad sua obiecta, quia hęc sunt quasi mensura actuum. Adverte tamen, quòd, sicut diximus de relationibus secundi generis, quòd nō fundantur in actione, & passione, sed in potentia activa, & passiva, sic nunc dicimus, relationem hujus generis non fundari in actuali mensuratione, sed in mensurabilitate connotant mensurationem activam tanquam conditionem requisitam, ex quo patet, quòd hæc relatio est diversa à relationibus primi, & secundi generis propter diversitatem fundamenti.

19 Arg. 1. Relatio scientiæ ad objectum est relatio effectus ad causam, ab objecto enim scientia causatur: sed relatio effectus ad causam pertinet ad secundum genus relationis: ergo non datur relatio tertii generis distincta ab aliis. Resp. neg. conseq. nam licèt verum sit, quòd scientia dicat relationem effectus ad causam ad objectum, ut ab illo causatur; tamen aliter refertur ad illud, tanquam ad mensuram, & in

& in hoc sensu non dicit relationem effectus ad causam, sed relationem mensurabilis ad mensuram, quæ constituit hoc tertium genus relationis distinctum à duobus antecedentibus.

20 Arg. 2. Relatio scientiæ ad objectum est relatio transcendentalis: ergo non prædicamentalis, & consequenter non pertinet ad hoc prædicamentum. Resp. disting. antec. relatio scientiæ ad objectum, ut scibile, est transcendentalis, concedo; relatio scientiæ ad ojectum, ut actu scitum, nego, & similiter distinguendum est consequens, & juxta sensum distinctionis neganda est ultima consequentia.

21 Circa divisionem hujus relationis communiter tenent Philosophi, non inveniri, sed absolutè esse speciem infimam, & similiter, esse relationem non mutuam; nam licet scientia dicat relationem mensurabils ad obiectum; obiectum tamen in hoc sensu nullam relationem dicit ad scientiam, & similiter dicendum est de potentiis respectu suorum objectorum, & communiter pro ratione huius, dicitur, hoc provenire ex eo, quòd est specialis modus specificationis, & commensurationis scientiæ, & aliorum habituum, potentiarum, & actuum à suis obiectis; specificanutr enim ab illis, & illis commensurantur per tendentiam, & respectum ad ipsa obiecta, ipsis obiectis nihil agentibus, præter hoc, quod est extrinsecè terminare predictam tendentiam, & respectum, unde licet in habitibus, in potentiis, in actibus illarum detur relatio realis ad sua obiecta; tamen in obiectis nulla datur relatio ad habitus, ad potentias, & ad actus illarum, sed tantùm est in illis quædam denominatio extrinseca proveniens à tendentia ipsorum habituum, potentiarum, & actuum.

22 Licet autem hoc, juxta communem consensum teneatur, & videatur expressum

Sco-

Scoti 5. Met. cap. 15. & quæst. 11. num. 8. tamen inquit Claudius Meron. disp. de prædicam. q. 2. de relatione, assertione 5. nō præjudicando tantæ authoritati, & stando solùm rationi, potest defendi, prædictam relationem esse mutuam, quod sic ostendit.

23 Eadem ratione, qua probatur, rem mensuratam realiter referri ad rem mensurantem, probatur etiam, rem mensurantem realiter referri ad rem mensuratam: ergo sicut conceditur relatio realis rei mensuratæ ad rem mensurantem, ita debet concedi relatio realis rei mensurantis ad rem mensuratam. Prob. antec. quia ideò datur relatio realis rei mensuratæ ad rem mensurantem, quia actu verè, & realiter suam specificationem accipit à re mensurante; sed etiam actu, verè, & realiter res mensurans specificat, & mensurat rem mensuratam; ergo propter eamdem rationem, qua conceditur relatio realis rei mensuratę ad rem mensurantem, debet concedi relatio realis rei mensurantis ad rem mensuratam.

24 Et confirmat; quia res mensurans habet omnes conditiones requisitas ad resultantiam relationis; ergo non debet negari talis ralatio. Antec. patet, quia extrema sunt realia, realiter distincta, & ex ipsa natura extremorum potest resultare talis relatio, nam ratio mensuræ, tam activa, quàm passiva datur independenter à consideratione intellectus; ergo res mensurans habet omnes conditiones requisitas, ut in illa possit admitti ratio intrinsecus adveniens. Ex quibus dicit, quòd relatio hujus generis non est species infima, sed propriè genus, & species subalterna, quæ dividitur in duas species infimas, scilicet in relationem mensurantis ad rem mensuratam, & rei mensuratæ ad mensurans.

25 Si autem illi obiiciatur, quòd eodem modo est loquendum de qualibet re mensurante,

ac

ac de objecto, scito, & cognito, respectu scientiæ, & cognitionis: sed objectum, ut scitum, & cognitum, non dicit relationem realem ad scientiam, & cognitionem, sed tantum denominationes extrinsecas sciti, & cogniti; ergo nulla res mensurans dicit relationem realem ad rem mensuratam. Respond. negando minorem, inquit enim, quod objectum cognitum habet duas denominationes, unam extrinsecam, & absolutam provenientem à forma absoluta existente in alio, scilicet ab actu intellectus existente in ipso intellectu, qui quidem actus est qualitas, & forma absoluta, & aliam intrinsecam, & relativam, quæ provenit à relatione intrinsecus adveniente mensurantis ad rem mensuratam, quæ intrinsecè est in obiecto tanquam in mensura, & terminatur ad actum, tanquam ad rem mensuratam; quod idem potest applicari cuilibet mensuræ. Unde patet, quòd attenta tantum ratione, & sine præjuditio tantæ authoritatis pro communi sententia, potest disputationis gratia, hic modus dicendi sustineri.

16 Ex dictis in hac quæstione facilè cognoscitur, quomodo hoc prædicamentùm sit ordinandum; etenim genus supremum est relatio realis secundum esse intrinsecus adveniens, quæ immediatè dividitur in tria prædicta genera, & hæc in suas species modo supradicto. Ubi adverte, quod relationes similitudinis, quæ dantur inter duo alba, & inter duo nigra, non sunt diversæ, sed ejusdem speciei, eo quod licet extrema, & fundamenta remota sint diversæ speciei, tamen fundamenta proxima, scilicet unitas, seu convenientia in albedine, vel nigredine, sunt ejusdem rationis. Idem dicendum est de quibuscumque aliis relationibus, in quibus ratio proxima fundandi est eiusdem rationis, licet extrema, & fundamenta remota sint diversæ rationis. Unde deducitur, quòd rela-

tio

tio tertii generis, juxta communem sententiam, nequit propriè dici genus, sed species infima; nam licet dentur plures relationes, omnes tamen sunt ejusdem rationis, cùm fundentur in ratione mensuræ, quæ licet extrema sint diversæ rationis, ejusdem rationis est in omnibus.

QUÆSTIO IV.

An relatio prædicamentalis distinguatur realiter à suo fundamento?

1 Diximus in titulo quæstionis *relatio prædicamentalis*; quia circa relationem transcendentalem nulla videtur esse controversia; omnes enim conveniunt, non distingui realiter à fundamento; quia quando unum non dependet ab alio, inseparabilitas ipsius ab illo, est signum identitatis realis inter illa; nam ex duplici tantùm càpite potest provenire, quòd unum sit ab alio inseparabile, vel quia dependet ab illo, vel quia est idem realiter cum illo: sed fundamentum relationis non dependet à relatione, cùm sit prius natura illa, & quòd est prius natura alio, non dependet ab illo: ergo inseparabilitas fundamenti à relatione transcendentali, quam inseparabilitatem omnes fatentur, est signum identitatis realis relationis transcendentalis cum suo fundamento. Solùm adverte, quòd in sententia Scotistarum relatio transcendentalis distinguitur ex natura rei formaliter à suo fundamento, & quia omne, quod refertur est aliquid, excepta relatione, & quia respectus nequit esse de conceptu formali absoluti, ut est pluries fundamentum rellationis transcendentalis.

2 Dices: ex hoc sequitur, quòd creatura non est essentialiter dependens à Deo, quod videtur absurdum. Resp. disting. sequelam; est enim

vera, si intelligatur, quod dependentia, seu relatio transcendentalis dependentiæ non est de conceptu formali, seu de essentia creaturæ: falsa autem, si intelligatur, quod essentia creaturæ non dependet à Deo, primum non est absurdum, secundum autem esse absurdum. Dependet enim essentia creaturæ à Deo, non quia talis dependentia sit prædicatum essentiale, & quidditativum creaturæ; sed quia prædicata essentialia, creaturæ necessariò fundant prædictam relationem dependentiæ. Nunc.

3 Dicimus; relatio prædicamentalis realiter distinguitur à suo fundamento. Hæc conclusio est communis inter Scotistas, & Thomistas, tam contra Nominales, quam contra aliquos Jesuitas. Tenet eam Scotus in 2. dist. 1. qu. 4. vel 5. & in 3. dist. 1. quæst. 1. & aliis in locis, & D. Thomas pluribus in locis citatis à Thomistis recentioribus, probatur; quia nullum majus signum distinctionis realis inter aliqua, quam posse unum existere sine alio; sed fundamentum relationis prædicamentalis, v.g. paries albus, potest existere sine relatione: ergo realiter distinguitur ab alia:

4 Respondent 1. disting. min. fundamentum potest esse sine relatione, quoad esse reale, & entitativum relationis, negant; quoad denominationem relativam, concedunt. Inquiunt enim, quod deficiente termino, ex parte fundamenti nihil deficit entitativè, sed tantùm deficit connotatio ad terminum, & sic denominatio relativa. Sed contra est, quia denominatio relativa debet provenire ab aliqua forma intrinsecè afficiente fundamentum: ergo deficiente denominatione relativa, deficit forma, à qua provenit talis denominatio: ergo deficiente denominatione relativa, deficit aliquid entitativè ex parte fundamenti denominati. Probatur prima consequentia; quia aliquid denominari rela-

ri; unde existentia unius sine alio, & separatio unius ab alio non est mutua, quod requiritur ad inferendam distinctionem realem. Sed hæc responsio, ut patet, est nimis voluntaria, nam inter humanitatem, & subsistentiam omnes admittunt distinctionem realem, & tamen non datur mutua separabilitas; licet enim humanitas possit esse sine propria subsistentia, ut patet in humanitate Christi, non verò subsistentia potest esse sine humanitate. Deinde separabilitas non mutua sufficit, ut de aliquibus verificentur hæc duo contradictoria *esse*, & *non esse*: ergo similiter sufficit ad inferendam distinctionem realem inter esse illorum, & consequenter relatio distinguitur realiter à fundamento, licet non mutuo possint separari.

7 Deinde potest probari conclusio hac ratione communi, prædicamenta inter se realiter distinguuntur: sed relatio realis intrinsecus adveniens constituit speciale prædicamentum: ergo realiter distinguitur ab aliis prædicamentis: sed fundamentum relationis iam est substantia, jam quantitas &c. ergo relatio realiter distinguitur à suo fundamento.

8 Arguunt 1. argumento posito quæst. 1. hujus disputationis num. 9. Ad quod argumentum respondetur sicut ibi, & similiter respond. ad plura alia argumenta, quæ contra nostram conclusionem solent obiici, tantum enim sunt vera in sensu fundamentali, non autem in sensu formali, duo enim alba, seclusa relatione, tantùm fundamentaliter sunt similia, non verò formaliter, quod similiter contingit in quibuscumque extremis alicuius relationis.

9 Arg. 2. Si relatio distingueretur realiter à fundamento, posito fundamento, & termino, posset saltim de potentia Dei absoluta, non poni relatio: sed posito fundamento, & termino, implicat, quod non ponatur relatio: ergo

hæc

hæc non distinguitur realiter à fundamento. Aliqui respondent negando minorem: quia nullatenus repugnat, adhuc posito fundamento, & termino, quòd non ponatur relatio; quia, inquiunt, in essentialiter ordinatis, & realiter distinctis, potest Deus conservare prius sine posteriori; & cùm fundamentum, & terminus sint prius natura relatione, potest Deus conservare fundamentum, & terminum sine relatione.

10 Hæc tamen responsio impugnatur ab aliquibus; quia solum potest impediri à Deo id, circa quod datur aliqua actio immediatè terminata: sed juxta Arist. 5. Phys. non datur aliqua actio immediatè terminata ad relationem: ergo posito fundamento, & termino nequit impediri à Deo resultantia relationis. Ex quo respondent ad rationem supradictæ responsionis, illam esse veram quando datur aliqua actio immediatè terminata ad posterius, supposito priori; falsam tamen quando non datur talis actio immediatè ad posterius terminata, ut contingit in præsenti: nam posito fundamento, & termino, non datur actio immediatè terminata ad relationem, sed hęc per naturalem emanationem resultat, posito fundamento, & termino.

11 Propter hoc non desunt, qui dicant, ad relationem dari actionem immediatè terminatam, ita quòd posito fundamento, & termino, ipsum fundamentum per veram actionem cum concursu Dei producat relationem; & licèt necessariò naturaliter sequatur talis actio, posito fundamento, & termino; tamen supernaturaliter potest Deus illam impedire per suspensionem sui concursus, & in tali casu remanerent fundamentum, & terminus sine relatione. Quando autem Aristot. dicit, ad relationem non dari per se motum, seu actionem, debet intelligi, inquiunt, ita quòd ad relationem non detur aliqua actio extrinseca, seu alicujus agentis extrinseci, præter actionem funda-

damenti ad differentiam *ubi*, ad quod datur motus, seu actio extrinseca immediatè terminata, & similiter ad omnia ultima prædicamenta, propter quod dicuntur respectus, non intrinsecus, sed extrinsecus advenientes.

12 Aliter respondent alii ad argumentum negando sequelam; non enim inquiunt, est universaliter verum, quod omnia, quæ realiter distinguuntur, possunt separari; sed solum est verum quando non adest aliquod impedimentum ad separationem, ut contingit in fundamento, & termino, respectu relationis; nam fundamentum, & terminus aliquomodo se habent, ut causa actualiter causans relationem, & certum est, quod causa actualiter causans, nec de potentia absoluta potest esse sine effectu, & tamen ab illo realiter distinguitur. Utraque responsio videtur, posse teneri: tamen potest aliter responderi, quod ad distinctionem realem aliquorum sufficit, quod unum aliquomodo possit esse sine alio, quod contingit in fundamento, quod potest esse sine relatione, modo dicto in probatione conclusionis.

13 Hic solet dubitari, an una relatio possit esse fundamentum alterius? Resp. affirmativè cum Scoto in 4. dist. 6. quæst. 10. §. *Hic dicitur, vers. Secunda ratio*, litt. D. & aliis in locis; quem sequuntur omnes Scotistæ contra Thomistas communiter. Probatur; quia ex eo inter Petrum, & Paulum, v. gr. datur relatio identitatis, quia conveniunt specificè in prædicatis essentialibus: sed duæ relationes paternitatis, v. gr. habent convenientiam specificam in prædicatis essentialibus: ergo datur inter illa relatio identitatis.

14 Respondent, prædictas relationes paternitatis non indigere relatione identitatis superaddita, sed referri se ipsis, eo quod cum sint rationes referendi, non indigēt alio, ut referantur. Sed contra est, quia relatio paternitatis

non

non est ratio referendi, nisi patrem ad filium: ergo ut ipsa paternitas referatur in alio genere referendi, ut est genus identitatis, indiget aliquo superaddito, ut referatur. Patet consequentia; quia nihil potest suum pertransire genus: sed relatio paternitatis pertinet ad secundum genus relationis: ergo nequit esse ratio referendi se ipsam in primo genere relationis; ut est genus identitatis. Aliis terminis solet impugnari prædicta responsio ab Scotistis, sed coincidunt cum præcedenti impugnatione.

15 Plura argumenta solent confici contra nostram resolutionem, quæ omnia ad hæc possunt reduci. Primo arguunt: relatio est ratio formalis referendi, seu forma, qua alia referuntur; ergo nequit esse fundamentum alterius relationis realiter distinctæ. Conseq. patet; quia sicut juxta commune proloquium Philosophorum, actionis non datur actio; unionis non datur unio; inhærentiæ non datur inhærentia; quia hæc omnia sunt formæ, quibus alia uniuntur fiunt, & inhærent; sic similiter relationis non dabitur relatio, ut referatur, eo quod est forma, quia alia referuntur. Resp. neg. consequ. quia licet verum sit relationem, v. gr. paternitatis non indigere alia ratione paternitatis, ut referatur ad filium, eo quod ipsa est ratio formalis referendi ad filium, & ut sic non est ratio, *quod* refertur, sed tantum est, *quo* pater refertur, tamen ipsa paternitas, ut referatur ad aliam paternitatem, indiget alia relatirne ab ipsa realiter distincta, & accidentaliter illi conveniente, v. g. relatione identitatis, eo quod paternitas non est ratio referendi, seu *quo* aliquid refertur relatione identitatis; sed potius est, *quod* relatione identitatis refertur. Paritas de actione non tenet, quia actio semper se habet ut *quo*, nunquam tamen, ut *quod*, & sic non indiget alia ratione. Neque tenet paritas de inhærentia; nam juxta aliquos, tantum se habet, ut

ut *quo*, & licet in nostra sententia etiam se habeat, ut *quod* non indiget inhærentia realiter distincta, sed tantum formaliter, quia non convenit illi accidentaliter inhærere, ut suo loco diximus. Idem dicendum est de unione propter eamdem rationem.

16 Arg, 2. Si una relatio posset super aliam fundari, sequeretur processus in infinitum, nam si duæ paternitates fundarent relationes identitatis, eo quod conveniant in prædicatis essentialibus, tunc illæ relationes identitatis fundarent alias relationes identitatis, cum similiter convenirent in prædicatis essentialibus, & propter eamdem rationem illæ secundæ relationes identitatis fundarent alias, & sic in infinitum. Resp. neg. sequelam, quia ut tenet Scotus in 2. dist. 1. qu. 4. §. *Ad quæstionem istam*, litt. M. quando fundamentum est talis naturæ, cui repugnet esse sine relatione, tunc non distinguitur realiter a relatione. Unde sequitur, quod sistendum est in secundis relationibus; nam cum relationes identitatis, quæ fundantur in paternitatibus, sint simul natura, nequit una esse sine alia, & consequenter utraque nequit esse, quin referatur relatione identitatis, & sic relationes identitatis quibus primæ relationes identitatis referuntur inter se, non distinguuntur realiter a fundamentis, sed ad summum formaliter, & sic cessat processus in infinitum.

17 Arg. 3. Secundum Philosophorum relatio identitatis fundatur in unitate substantiæ: sed relationes non sunt substantiæ, sed accidentia: ergo non possunt fundare relationes identitatis. Resp. quod Arist. per ly *substantia* non intelligit prædicamentum substantiæ, sed quidditatem seu essentiam cuiuscumque rei, unde relatio identitatis potest fundari in unitate essentiæ rerum cuiuscumque prædicamenti.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

An relatio terminetur ad absolutum, vel respectivum.

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est, quod in termino relationis tria inveniuntur. Primum, quædam denominatio extrinsecè, per quam actu terminus extrinsece denominatur, quæ provenit a relatione intrinsecè existente in fundamento, sicut *esse visum* in pariete est denominatio extrinseca proveniens à visione intrinsecè existente in potentia visiva. Secundum, ratio propterquam habet rationem talis termini, potius quam alia res: sicut color est ratio, propterquam paries, potiùs quam alia res denominatur visus. Tertium, quædam res, quæ se habet ut subiectum talis rationis, ut paries respectu coloris.

2 Conveniunt omnes in hoc, quod prædicta denominatio extrinseca non habet rationem formalem termini relationis; quia ratio termini debet esse quid intrinsecum in illo. Similiter conveniunt in hoc, quod id, quod se habet ut subiectum, non est formaliter terminus relationis, sed tantum materialiter. Solum autem est controversia circa rationem, propter quam convenit termino, quod possit terminus denominari, an scilicet, sit aliqua ratio absoluta ex parte ipsius termini, an vero aliqua relatio?

3 Circa hanc difficultatem triplex invenitur sententia. Prima asserit, terminum formalem relationis esse quid respectivum, tam in relationibus mutuis, quam non mutuis, cum hac tamen differentia, quod in relationibus mutuis terminus est relatio correspondens verè, & realiter, v. g. terminus relationis paternitatis est relatio realis filiationis, in relationibus verò

non

non mutuis terminus est relatio rationis correspondens ex parte termini relationi reali, quæ se habet ex parte fundamenti. Secunda tenet, terminum relationis mutuæ esse quid respectivum modo dicto, terminum verò relationis non mutuæ esse quid absolutum, non verò relationem rationis. Pro his sententiis plures Authores adducit Mastrius in Logica disp. 8. qu. 6. art. 3. Tertia denique sententia tenet, terminum, tam relationis mutuæ, quam non mutuæ, esse quid absolutum. Sic expressè Scotus pluribus in locis, præcipuè in 1. dist. 26. q. unica & dist. 28. qu. 3. & dist. 30. q. 2. Quem sequuntur omnes Scotistæ. Pro qua.

4 Dicimus 1. In relationibus non mutuis terminus formalis est quid absolutum, non verò relatio rationis. Probatur primò, quia in relationibus non mutuis non correspondet aliqua relatio relatis, in hoc enim consistit, quod relatio sit non mutua: ergo terminus necessariò debet esse realiter aliquid absolutum.

5 Secundò probatur, quod non sit relatio rationis; quia relationes non mutuæ sunt relationes reales: ergo tam fundamentum, quam terminus debent esse quid reale: ergo nequit esse relatio rationis. Confirmatur; quia relatio rationis tantùm datur per intellectum cogitantem relationem ubi non est relatio: sed relationes non mutuæ dantur à parte rei independenter à qualibet intellectus consideratione quippè sunt relationes reales: ergo independenter à consideratione intellectus datur terminus formalis prædictarum relationum, eo vel maximè, quia non potest dari formaliter relatio, quin formaliter detur fundamentum, & terminus.

6 Aliqui respondent, terminum relationis non mutuæ non esse relationem rationis formaliter sumptam, sed tantùm fundamentaliter, quod idem est, ac dicere, denominationem

extrinsecam provenientem termino à relatione intrinsecè existente in fundamento (ut talis denominatio præbet fundamentum intellectui, ut ipsam consideret, ut relationem terminatam ad aliam relationem realem, à qua provenit talis denominatio) esse terminum relationis non mutuæ. Hæc responsio variè impugnatur, breviter tamen contra illam est primò, quod talis denominatio est quasi effectus relationis realis intrinsecè existentis in fundamento: ergo est aliquomodo posterior ipsa relatione; sed terminus formalis relationis nequit esse effectus, neque quid posterius relatione: ergo talis denominatio nequit esse terminus formalis relationis non mutuæ.

7 Secundò, quia in pariete, v. g. ratio formalis terminandi visionem, non est denominatio extrinseca *visi*, proveniens à visione intrinsecè existente in potentia visiva, sed quid priùs ipsa denominatione, scilicet color: ergo similiter terminus formalis relationis non mutuæ, non est denominatio extrinseca proveniens à relatione, sed quid prius ipsa denominatione, scilicet entitas absoluta ipsius rei, quæ dicitur terminus. Tertiò, quia talis denominatio extrinseca tantum in re denotat rationem terminandi, non tamen rationem referendi terminum ad fundamentum (licet ad hoc considerandum præbeat fundamentum intellectui) ergo licet concederetur, prædictam denominationem extrinsecam esse rationem formalem terminandi, non inde sequeretur, relationem non mutuam terminari ad respectivum.

8 Dicimus 2. in relationibus mutuis terminus formalis non est quid respectivum, seu relatio correspondens in termino, sed est illud absolutum, quod est fundamentum talis relationis existentis in termino. Probatur primò; quia si relatio mutua exigeret terminum respectivum, vel esset, ut relatio, vel ut relatio mutua;

tua: sed nullo modo: ergo non exigit terminum respectivum. Probatur prima pars min. quia si ut relatio exigeret terminum respectivum, nulla prorsus esset relatio, quæ non haberet terminum respectivum: sed datur aliqua relatio, scilicet non mutua, quæ non habet terminum respectivum, ut dictum est conclusione antecedenti: ergo relatio mutua, ut relatio est, non exigit terminum respectivum. Probatur secunda pars min. quia relatio mutua nihil addit relationi, ut sic, nisi quod terminus illius referatur ad fundamentum, sicut fundamentum refertur ad terminum: sed ad hoc sufficit, quod terminus formalis possit fundare relationem; non autem requiritur, quod ipse terminus sit relatio: ergo relatio, ut mutua non exigit terminum respectivum.

9 Probatur 2. quia, quod aliquo modo præsupponitur ad respectivum, nequit esse formaliter respectivum: sed terminus relationis mutuæ aliquomodo præsupponitur ad respectivum: ergo non est formaliter respectivus. Minor probatur, quia quod est causa, vel quasi causa, a qua dimanat relatio, præsupponitur ad relationem, saltim prioritate naturæ: sed fundamentum simul cum termino se habet, ut causa, a qua dimanat relatio, nam relatio resultat posito fundamento, & termino: ergo terminus in ratione termini præsupponitur ad relationem mutuam: sed una relatio non præsupponitur ad correlationem, cum sint simul natura: ergo una relatio nequit esse terminus alterius relationis, & consequenter terminus relationis mutuæ est quid absolutum.

10 Respondent, argumentum esse verum de termino materiali, non verò de termino formali. Sed contra est primo; quia relatio nequit intelligi sine suo termino formali: sed relatio potest intelligi sine correlatione; non autem sine entitate absoluta termini: ergo non cor-

relatio, sed entitas absoluta termini habet rationem formalem termini relationis mutuæ. Prob. min. nam si intellectus, v. gr. non intelligeret, filium referri ad patrem, sed tantum patrem referri ad filium, rectè intelligeret rationem formalem, & essentialem relationis paternitatis: sed tunc non conciperet correlationem filiationis; sed tantum entitatem absolutam filii productam a patre: ergo relatio potest intelligi sine correlatione, non autem sine entitate absoluta termini; & consequenter, non correlatio, sed entitas absoluta termini habet rationem formalem termini relationis mutuæ.

11 Contra 2. Quia in relatione paternitatis, v.g. illud est formaliter terminus, quod dependet a patre, tamquam effectus a causa: sed entitas absoluta filii dependet a patre, tamquam effectus a causa; non vero relatio filiationis: ergo non correlatio filiationis, sed entitas absoluta filii habet rationem formalem termini.

12 Contra 3. Quia in relationibus mutuis, quod est ratio formalis fundandi unam relationem, est ratio formalis terminandi aliam: sed ratio formalis fundandi relationem filiationis, v. gr. est entitas absoluta filii, seu potentia passiva generativa illius: ergo hæc ipsa, & non relatio filiationis, est ratio formalis terminandi relationem paternitatis. Probatur maior; quia ratio formalis terminandi relationem mutuam, est ratio, propter quam res est talis naturæ, ut ad ipsam res altera referatur; sed talis ratio est, id quod in altero extremo est ratio fundandi correlationem; ergo in relationibus mutuis, quod est ratio formalis fundandi unam relationem, est ratio formalis terminandi aliam. Prob. min. quia ex eo filius, v. gr. est talis entitas, ad quam referatur pater, quia est productus a patre: sed hæc ratio est fundamentum relationis filiationis: ergo eadem est ratio, qua aliquid est

talis

talis entitas, ut ad ipsam altera referatur, & ratio, qua talis entitas est fundamentum correlationis; sed hæc, ut omnes concedunt, est entitas absoluta termini, non verò correlatio: ergo ratio termini formalis relationis mutuæ, non est correlatio, sed entitas absoluta termini.

13 Prob. 3. conclusio: si terminus sub ratione absoluti non esset terminus relationis, sed sub ratione respectivi, v. gr. si album sub ratione albi non esset terminus relationis similitudinis alterius albi, sed sub ratione similis, eo esset, quia albedo potest existere, quin sit respectiva, & non potest concipi, ut terminus, quin intelligatur, ut relativa; sed hęc ratio non urget; ergo. Minor probatur; nam si urgeret prædicta ratio, sequeretur, tam fundamentum relationis esse respectivum, quam terminum, quod Adversarii non admittunt. Patet sequela; nam fundamentum potest esse in rerum natura sine relatione, & non potest concipi ut fundans relationem, quin intelligatur formaliter relativum; ergo eadem est in utroque ratio; & consequenter si talis ratio non sufficit, ut fundamentum sit formaliter relativum, neque sufficit ad hoc, ut terminus sit relativus formaliter.

14 Arg. 1. Relativa sunt simul natura cognitione, & definitione; sed nequeunt esse simul natura, cognitione, & definitione, nisi relativum terminetur ad suum correlativum, formaliter, ua tale; ergo relatio terminatur ad respectivum. Probatur prima pars minoris; quia si pater, v. gr. ut pater, non terminaretur ad filium, ut est filius relativè, sed, ut est hic homo ab illo genitus: ergo pater, ut pater, non est simul natura cum filio, ut filius est; sed tantum, ut est hic homo genitus ab illo; siquidem in priori naturæ antecedente emanationem filiationis in filio, pater, ut pater (& consequen-

ter paternitas) sit, & terminetur ad potentiam generandi passivam, in qua prioritate nondum est filiatio. Deinde, quia relatio, ut relatio, tantum pendet a fundamento, & termino; ergo si relatio non terminatur ad correlationem, non pendet ab illa, & consequenter est prior natura, quam illa.

15 Probatur 2. pars minoris; nam relatio perfectè cognoscitur, cognitio tantum fundamento, & termino; ergo si terminus formalis relationis non est correlatio, non pendet cognitio relationis a cognitione correlationis, & consequenter relativa non sunt simul cognitione. Unde patet tertia pars minoris; nam in definitione relativi tantum ponitur terminus formalis; ergo si terminus formalis relationis non est correlatio, poterit definiri relativum sine correlativo, & consequenter correlativa non sunt simul definitione.

16 Pro responsione notandum est, quod correlativa, v. g. causa, & effectus possunt accipi, vel in actu primo, vel in actu secundo. In actu primo accipiuntur, quatenus sunt principium, & quasi causa relationum, & ut sic, utrumque, scilicet fundamentum, & terminus, præcedunt, natura utramque relationem mutuam, & non dicuntur formaliter relativa, sed tantum fundamentaliter. In actu secundo accipiuntur, ut sunt affecta relationibus mutuius. Deinde, advertendum est, correlativum dupliciter accipi posse. Primo, sub ratione formali correlativi, ita ut non solum intelligatur, ut terminans relationem rei, quæ ad ipsum refertur, sed etiam, ut continens relationem, quia ipsum refertur ad fundamentum alterius relationis. Secundo, sub præcisa ratione termini, ita ut tantum dicat rationem formalem terminanoi relationem, quæ est in fundamento, Nunc

17 Resp. ad argumentum negando min. & con-

conseq. probationis primæ, scilicet, quod pater, ut pater, non sit simul natura cum filio, ut filius est, sed ut est hic homo genitus, si pater, ut pater, non referatur ad filium, ut filius est, sed ut est hic homo genitus. Etenim, sicut hic homo, ut genitus, est prius natura, quàm hic homo, ut filius: ita etiam hic homo, ut genitus, est prius natura, quàm pater, ut pater: ideoque, licet pater, ut pater, terminetur ad hunc hominem, ut à se genitum, tamen non prius natura terminatur ad ipsum, quàm in ipso sit filiatio; non quia terminetur formaliter ad filiationem, sed quia paternitas, & filiatio necessariò se se concomitantur: quamvis autem hic homo, ut genitus sit prius natura, quàm ut filius, tamen in illo priori nondum intelligitur in patre paternitas, imò rectè dicitur, prius natura esse hunc hominem, ut genitum, quàm in patre sit paternitas quia ut sic est aliquomodo principium, ac veluti causa ipsius paternitatis.

18 Ad aliud resp. concessò enthymemate, neg. ultimam cons. quia prioritas, & posterioritas naturæ communiter desumuntur à dependentia unius ab alio: Ideoque dicimus, fundamentum, & terminum esse prius natura relatione, quia hæc dependet ab illis: unde ergo infertur, quod una relatio sit prius natura alia, cum argumentum ostendat, unam ab alia non dependere?

39 Ad 2. probationem min. resp. ex dictis num. 16. quod si relativa, scilicet, fundamentum, & terminus comparentur in actu primo, sunt simul cognitione in actu primo; quia nequit cognosci fundamentum, ut fundamentum in actu primo, nisi per ordinem ad terminum in actu primo, nec terminus, ut terminus, in actu primo, nisi cum habitudine ad fundamentum in actu primo. Similiter, si comparentur in actu secundo, nequit cognosci

fundamentum, nisi simul cum termino actualiter terminante relationem; neque terminus potest cognosci, nisi simul cum fundamento, ut actu fundans relationem.

20 Ex hac doctrina facilè deducitur, quid tam ad hoc argumentum, quàm ad alia similia, responderi possit in forma. Respond. igitur disting. antec. relatio perfectè cognoscitur, cognito fundamento, & termino, ut relatio est, concedo; ut mutua est, nego. Similiter disting. conseq. si terminus relationis non est correlatio, non pendet cognitio relationis à cognitione correlationis, ut relatio est, concedo: ut mutua est, nego, & nego ultimam consequentiam.

21 Etenim relatio, ut dicit conceptum essentialem relationis, tantùm includit ordinem ad terminum in ratione puri termini, unde sufficit cognitio fundamenti, & termini in ratione puri termini, ut quidditativè cognoscatur relatio; at verò relatio, ut mutua est, non solùm dicit ordinem ad terminum, sed etiam exigit, quod terminus formalis illius sit talis naturæ, quod necessariò sit fundamentum alterius relationis, ratione cujus ipse terminus simul referatur ad fundamentum, unde nequit cognosci relatio, ut mutua, cognitis præcisè fundamento, & termino formali illius; sed etiam requiritur cognitio relationis fundatæ in ipso termino. Relatio enim paternitatis, v. gr. benè cognoscitur, cognita entitate absoluta patris, ut fundamentum est, & entitate absoluta filii, ut terminus formalis illius est; adhuc tamen non cognoscitur talis relatio, ut mutua, sed ad hoc ulterius requiritur cognitio correlationis, scilicet, relationis filiationis fundatæ in entitate absoluta filii, quæ quidem correlatio est extra rationem formalem termini relationis paternitatis; sicut ratio mu-

tuæ

tuæ est extra rationem formalem relationis.

22 Neque ex hoc sequitur, quòd relata non sint simul natura, & cognitione, nam relata possunt dupliciter sumi. Primò, ut relata, seu relativa præcisè, & in hoc sensu dicuntur relata fundamentum, & terminus in ratione puri termini, & sunt simul cognitione, tam in actu primo, quàm in actu secundo; nequit enim unum sine alio concipi, ut dictum est numer. 19. quod provenit illis à relatione, ut relatio est. Secundò, non ut relata, seu relativa præcisè, sed ut correlata, seu correlativa, & in hoc sensu non dicuntur relata fundamentum, & terminus in ratione puri termini, sed quatenus terminus est fundamentum alterius relationis; quòd non convenit illis à relatione, ut relatio est, sed ut mutua est; & ut sic, etiam sunt simul natura; nequit enim concipi fundamentum fundans relationem, ut mutuam, quin simul concipiatur terminus etiam ut fundans alteram relationem.

23 Hinc facilè respondetur ad tertiam probationem min. argumenti, quòd relata, ut purà relata, sicut sunt simul natura, sunt simul definitione, ita ut nequeat fundamentum, ut tale, definiri, nisi in ordine ad terminum in ratione puri termini, neque terminus, nisi cum habitudine passiva respectu fundamenti. Similiter relata, non ut purè relata, sed ut correlata, sunt simul definitione, & necessariò unum definitur cum habitudine, respectu alterius; primum convenit relatis ratione relationis; secundum verò convenit correlatis, non ratione relationis præcisè, sed ratione relationis, ut mutuæ, ut supra dictum est.

24 Arg. 2. Relatio causæ terminatur ad effectum, ut effectus est; sed effectus ut effectus,

est relativus formaliter: ergo terminus relationis est formaliter relativus. Resp. disting. min. effectus, ut effectus præcisè, est formaliter relativus, nego; effectus, ut correlativus, concedo. Etenim effectus, ut effectus præcisè, tantùm dicit, esse à causâ, & in hoc sensu non est formaliter relativus, quippè nullum ordinem dicit ad causam, sed tantùm terminat relationem causæ ad se ipsum, ita ut si nulla esset relatio effectus ad causam, adhuc haberet propriam rationem effectus simpliciter, & sic propriam rationem termini formalis relationis causæ ad ipsum. Effectus verò, ut correlativus, dicit respectum ad causam, sed in hoc sensu, ut dictum est, non habet rationem formalem termini relationis causæ ad ipsum.

25 Replicabis, causa respicit effectum, ut sibi oppositum relativè: sed effectus, ut oppositus relativè suæ causæ, est formaliter relativus, ergo causa respicit suum effectum, ut formaliter relativum. Resp. disting. min. effectus, ut oppositus relativè suæ causæ, est formaliter relativus, ut oppositus relativè præcisè, nego; ut oppositus correlativè, concedo; & nego conseq. Etenim effectus, & causa opponuntur relativè præcisè, eo quòd causa referatur ad effectum, & effectus terminet relationem causæ, in ratione puri termini, absque eo, quòd correferatur ad causam: quod semper contingit in extremis relationis non mutuæ, quæ sunt relata præcisè, & opponuntur relativè, licet terminus non correferatur ad fundamentum: at verò effectus, & causa opponuntur, non relativè præcisè, sed correlativè, quatenus terminus, scilicet effectus, correfertur ad fundamentum, scilicet, ad causam; sed in hoc sensu, ut sæpè dictum est, non dicit effectus rationem formalem termini relationis causæ, eo vel maximè, quòd ratio puri termini tantùm dicit, quòd aliquid

sit

sit ad ipsum, non autem, quòd ipse sit ad aliud,

26 Arg. 3. Relatio paternitatis in divinis terminatur ad respectivum, nam pater, & filius ad invicem referuntur, & terminant suos respectus per ipsas relationes paternitatis, & filiationis: ergo similiter relatio paternitatis in creatis terminatur ad respectivum. Patet consequentia, quia in hoc quòd est, respicere filium, eodem modo se habent pater in divinis, & pater in creatis: cùm in utroque paternitas sit verus respectus ad filium, & consequenter eadem debeat esse ratio terminandi in filios, tam in creatis, quàm in divinis. Antecedens probatur, nam pater respicit filium, ut à se distinctum: sed filius in divinis per solam filiationem distinguitur à patre: ergo Pater in divinis refertur ad filium, ut formaliter est filius, seu relativus.

27 Resp. cum Meron disp. de prædicamentis, cap. 1. de relatione, quæst. 5. assertione 2. distinguo anteced. relatio paternitatis in divinis terminatur ad respectivum, ut respectivum formaliter, nego; terminatur ad respectivum entitativè, quasi materialiter sumptum, concedo; & neg. conseq. Etenim relatio filiationis in divinis dupliciter potest considerari: Primò, quatenus relatio formaliter est, & formaliter refert filium ad patrem, & in hoc sensu non terminat relationem paternitatis. Secundò, ut tantùm est relatio entitativè, & quasi materialiter, & ut sic non refert filium ad patrem; sed tantùm terminat relationem paternitatis. Unde relatio paternitatis in divinis non terminatur ad filium, ut formaliter correlativum, sed tantùm ut relativum materialiter: quod similiter contingit, quando in creatis fundatur aliqua relatio super aliam, & ad aliam terminatur; v. g. quando super relationem paternitatis fundatur relatio identitatis ad aliam relatio-

nem paternitatis; tunc enim, licet relatio paternitatis terminet relationem identitatis, hoc munus non exercet, ut relatio formaliter est, seu ut refert patrem ad filium; sed ut relatio est entitativè, seu materialiter: quia sub hoc munere non respicit suum terminum, scilicet filium; imò ipsa respicitur, ut terminus relationis identitatis.

28 Neque ex hoc sequitur, quòd terminus relationis paternitatis in creatis sit filius, ut relativus materialiter, licet non formaliter, seu quòd relatio filiationis terminet relationem paternitatis, ut relatio est entitativè, seu quasi materialiter, sicut dictum est de relatione filiationis in divinis: quamvis enim prædictæ relationes in creatis, & in divinis in aliquibus conveniant, in aliis tamen differunt, conveniunt enim & in ratione formali relationis, & in eo quòd fundantur in generatione activa, & passiva, & in distinctione reali extremorum; differunt tamen in eo quòd prædictæ relationes in creatis supponunt extrema realiter distincta, scilicet, totam entitatem absolutam patris, & totam entitatem absolutam filii, quibus positis, resultant prædictæ relationes; cùm sint accidentales, & prædicamentales intrinsecus advenientes; at verò in divinis prædictæ relationes non supponunt extrema realiter distincta, scilicet entitatem patris, & entitatem filii; imò relatio paternitatis, sicut est constitutiva patris, ita est distinctiva illius à filio similiter relatio filiationis, sicut est cõstitutiva filii, ita est distinctiva illius à patre; idem enim est principium constitutivum, & distinctivum. Unde benè potest relatio paternitatis in creatis terminari ad entitatem absolutam filii, cùm illam supponat, licet relatio paternitatis in divinis necessario terminetur ad entitatem relativam filii, cùm filius nullam aliam supponat, neque habeat entitatem. Hoc ampliùs patet in materia de Trinitate.

Arg.

29 Arg. 4. Nequit cognosci relatio, quin cognoscatur entitativè terminus illius; ergo terminus nequit esse entitas absoluta. Patet consequentia, quia aliàs non posset cognosci relatio dependentiæ ad Deum in creatura, quin cognosceretur entitativè Deus. Hoc argumentum non minus pugnat contra adversarios, quàm contra nos, quia non minus implicat, cognosci terminum relationis, si sit relativus, quin cognoscatur entitas absoluta, ad quam terminatur relatio, quàm cognosci terminum, si sit absolutus; ergo si ad cognitionem relationis requiritur necessariò cognitio termini, neque ad relativum poterit terminari relatio. Prob. antec. quia nequit cognosci, unam correlationem in termino esse essentialiter diversam ab alia correlatione in alio termino, nisi recurrendo ad entitatem absolutam utriusque extremi, v.g. nequit cognosci, similitudinem unius parietis, quæ juxta adversarios, est terminus formalis similitudinis alterius parietis, esse essentialiter diversam à dissimilitudine, seu diversitate, quæ est in altero pariete, nisi recurrendo ad differentiam albedinis, & nigredinis, quæ sunt entitates absolutæ, in quibus fundantur prędictę relationes similitudinis, & dissimilitudinis, seu diversitatis; ergo non minus implicat, cognosci terminum relationis, si sit relativus, quin cognoscatur entitas absoluta, ad quam terminatur relatio, quàm cognosci terminum, si sit absolutus, & consequenter æquè militat argumentum contra adversarios, ac contra nos.

30 Resp. Directè ad argumentum disting. antec. nequit cognosci relatio, quin cognoscatur terminus clarè, & distinctè, seu quoad essentiam, nego, quin cognoscatur confusè sub ratione, sub qua terminat, concedo, & neg. conseq. Etenim, ut cognoscatur relatio creaturæ ad Deum, non requiritur cognitio clara, & di-

diſtinctâ Dei, ſe ſufficit, cognoſcere, dari in Deo omnipotentiam, quæ eſt vis infinita educens ex nihilo omne ens creatum.

QUÆSTIO VI.

Vtrùm multiplicatis terminis, multiplicentur relationes in eodem fundamento?

1 SUpponitur tanquam certum, relationes multiplicari in eodem fundamento ad multiplicationem terminorum diverſæ rationis, in homine enim albo, v.g. & eſt relatio paternitatis in ordine ad filium, & relatio ſimilitudinis in ordine ad parietem album. Similiter in pariete albo, ut quatuor, eſt relatio ſimilitudinis ordine ad alterum parietem album, ut quatuor, & relatio diſſimilitudinis in ordine ad alterum parietem album, ut quinque. Unde ſolùm eſt difficultas, quando termini ſunt ejuſdem rationis, v.g. an multiplicatis filiis, multiplicentur relationes paternitatis in eodem patre? Et ſimiliter, an multiplicatis albis, ut quatuor, multiplicentur relationes ſimilitudinis in altero albo, ut quatuor?

2 Circa quam difficultatem duplex eſt oppoſita ſententia. Prima aſſerit, non multiplicari relationes in eodem fundamento, multiplicatis terminis. Sic communiter Thomiſtæ cum ſuo Angelico Præceptore 3. p. quæſt. 35. art. 5. & quodlib. 1. art. 2. Secunda tenet, relationes multiplicari in eodem fundamento, multiplicatis terminis. Sic omnes Scotiſtæ cum ſuo ſubtiliſſ. Magiſtro in 3. diſt. 8. quæſt. unica, §. *Contra iſtam poſitionem*. Pro qua

3 Dicimus: relationes multiplicantur in eodem fundamento ad multiplicationem terminorum, etiam ejuſdem rationis. Probatur 1. quia ubicumque ſunt plura numero fundamenta proxima relationum, ibi ſunt plures numero

rela-

relationes: sed in Patre, v.g. qui plures genuit filios, plura numero sunt fundamenta proxima relationum: ergo sunt plures numero relationes, nempè paternitates. Maior est constans, quia ubicumque sunt plures numero causæ totales, ibi & sunt plures numero effectus; sed fundamentum proximum est causa totalis, seu veluti causa totalis relationis, ut supra manet dictum; ergo ubi sunt plura numero fundamenta proxima, sunt plures numero relationes. Minor probatur: nam fundamentum proximum paternitati in patre (& præsertim in sententia Adversariorum) est generatio activa; sed multiplicatis filiis, multiplicantur generationes activæ, ut per se patet; ergo in patre, qui plures genuit filios, sunt plura numero fundamenta proxima relationum, ac per consequens, &c.

4 Probatur 2. Ubi est multiplex numero dependentia totalis relationis, ibi debet esse multiplex numero relatio; sed ubi sunt plures numero termini totales relationis, ibi est multiplex numero dependentia relationis; ergo ubi sunt plures numero termini totales relationis, ibi sunt plures numero relationes. Maior patet, quia repugnat, aliquid totaliter dependere ab aliquo, & ab illo totaliter non dependere: sed hoc contingeret, si ubi est multiplex numero dependentia totalis relationis, non esse multiplex numero, relatio, ut se patet; ergo ubi est multiplex numero dependentia totalis relationis, ibi debet esse multiplex numero relatio. Minor verò probatur; quia dum pater produxit primum filium, v.g. resultat in ipso relatio paternitatis, quæ essentialiter dependet à primo filio, ut à termino, & hoc dependentia totali; quia nisi dependeret ab eo dependentia totali, sed etiam partialiter dependeret ab alio succedente filio, non posset existere prædicta relatio paternitatis, nisi existeret ille secundus

filius;

filius: nihil enim existere potest, quin existat illud omne, à quo essentialiter actu dependet: ergo ubi sunt plures termini totales relationis, ibi est multiplex numero dependentia relationis, & consequenter multiplex numero relatio.

5 Resdondent, argumentum esse verum loquendo de multiplicatione termini totali formalis, non verò loquendo de mltiplicatione termini totalis materialis: plures enim filii, inquiunt, sunt termini totales materiales, sed tantum sunt unicus terminus totalis formalis, quia terminus formalis paternitatis est filiatio, ut filiatio est, & consequenter nisi multiplicetur filiatio in ratione formali filiationis (quod nequit evenire) non multiplicabitur terminus formalis formaliter, licet multiplicetur materialiter. Sed (quidquid sit de termino formali filiationis, de quo quæst. antec.) contra est: quia licet non multiplicetur terminus formalis formaliter, seu specificè, tamen multiplicatur numero, in quolibet enim filio est diversa numero ratio formalis terminandi paternitatem: sed ad multiplicationem numericam termini formalis debet multiplicari numero relatio: ergo licet terminus non multiplicetur formaliter, seu specificè, cùm tamen numero multiplicetur, multiplicatur relatio in fundamento. Prob. min. quia ad multiplicationem specificam termini formalis, multiplicatur specificè relatio; in eodem enim pariete albo datur duplex relatio specie distincta, scilicet relatio similitudinis ad alterum parietem album, & relatio dissimilitudinis, seu diversitatis ad parietem nigrum, eo quòd terminus formalis multiplicatur specificè; albedo enim & nigredo specificè differunt: ergo similiter ad multiplicationem numericam termini formalis, multiplicatur numero relatio in fundamento. Paritas videtur

tene-

tenere, nam servata proportione, ita se debet habere fundamentum ad terminum formalem numericum, sicut ad terminum formalem specificum.

6 Probatur 3. Correlativa sunt simul natura, ita quod destructo uno, destruitur & alterum: ergo destructa hac filiatione, v. gr. in hoc filio, destruitur hæc paternitas in hoc patre: sed manet pater respectu alterius filii, & hoc per paternitatem: ergo per diversam paternitatem ab illa, quæ terminabatur ad primum filium. Patet consequentia, quia illa paternitas tunc non est, quia fuit destructa cum destructione filii.

7 Respondent negando, quòd destructa hac filiatione, destruatur hæc paternitas entitativè, tantùm enim, inquiunt, restringitur, seu limitatur, ita ut pater, qui antea terminabatur per illam ad duos filios, iam tantùm ad unum terminetur: sicut paternitas, per quam dicitur pater, respectu primi filii, per generationem secundi extenditur, seu ampliatur ad illum, quin entitativè de novo alia relatio paternitatis resultet. Sed contra est primò, quia ideò necessariò requiritur prima relatio, quia homo, qui denominatur pater, aliter de novo intrinsecus se habet, respectu primi filii, quam antea se habebat; sed etiam se habet aliter de novo intrinsecus, respectu secundi filii, ac antea se habebat: ergo sicut resultat relatio paternitatis producto primo filio, ita resultat alia relatio paternitatis producto secundo filio, & consequenter destructo uno filio, destruitur entitativè relatio paternitatis, quæ ad ipsum terminabatur.

8 Contra 2. Quia illa extensio relationis ad secundum filium, vel est respectus rationis, vel respectus realis; quia nequit esse tantùm connotatio termini, omnes enim fatentur, relatione vera fundamentum referri ad terminum

minum: sed talis respectus nequit esse rationis: ergo necessariò est respectus realis: sed prædicta extensio non remanet, destructo aliquo filio: ergo necessariò destruitur entitativè aliquis respectus realis.

5 Contra 4. Quia effectus formalis cujuscumque relationis est referre subjectum ad terminum, ad quem per se ordinatur: sed si posset unica relatio extendere fundamentum ad plures terminos, effectus formalis illius non esset referre fundamentum ad terminum, ad quem per se ordinatur: ergo nequit unica relatio sic extendere fundamentum ad plures terminos. Minor probatur, quia ad illum terminum relatio per se ordinatur, quo posito existit, & quo destructo, destruitur: sed posita prædicta extensione, non destruitur; relatio etiam destructo termino, juxta Adversarios: ergo posita tali extensione, non esset effectus formalis relationis referre fundamentum ad terminum, ad quem per se ordinatur.

10 Arguunt 1: Nulla est necessitas multiplicandi relationes ejusdem speciei in eodem fundamento ad multiplicationem terminorum, ergo. Probatur antec. his instantiis; prima, genus, v.g. unica relatione refertur ad omnes species. Secunda, eadem numero potentia generativa respicit plures filios, Tertia, idem numero habitus, & eadem numero potentia vitalis respiciunt plures numero actus; ergo eadem numero relatio plures numero terminos respicere potest. Resp. negando antec. Et ad instantias quibus illud probant, dicimus esse disparem rationem. Ad primam igitur resp. quod genus respicit omnes species unica relatione: quia omnes se habent, ut unicus terminus illius; neque enim genus potest terminari ad unicam tantum speciem, sed necessariò ad plures, at verò relatio, de qua loquimur, non necessariò respicit plures terminos, sed unum tantum. Ad se-
cun-

cundam resp. quod potentia generativa, cum non depēdeat essentialiter in suo esse ab aliquo filio, imo possit existere nullo filio existente, potest eadem numero plures numero respicere filios; at vero relatio, cum dependeat essentialiter in suo esse, & conservari a suo termino, necessario destruitur, suo destructo termino; unde nequit simul eadem numero plures numero terminos respicere, ut ex supradictis constat. Ad tertiam eodem modo respond. quia eadem est illius, ac praecedentis ratio. Deinde si huiusmodi paritas teneret, etiam probaret, fundamentum unica relatione referri ad plures terminos specie distinctos, quod neque adversarii admittunt. Patet sequela; nam eadem potentia potest respicere plures actus, seu plura obiecta specie distincta, sicut respicit plures actus, seu plura obiecta distincta numero.

11 Argum. 2. Si in eodem fundamento essent plures relationes, v. gr. in homine plures paternitates, non diceretur unus, sed plures patres; hoc non admittitur; ergo neque debet admitti, quod in homine multiplicenter paternitates ad multiplicationem filiorum. Resp. neg. mai. quia non multiplicantur concreta ad multiplicationem formarum accidentalium; sed etiam requiritur multiplicatio subiectorum; licet enim idem homo habeat plures habitus scientificos, non dicitur plures scientes, sed unus sciens; sic similiter in nostro casu, licet homo habeat plures paternitates, non dicitur plures patres, sed unus pater. Hoc tamen, si rectè intelligatur, videtur reduci ad quaestionem de nomine.

12 Argum. 3. Plura accidentia eusdem rationis, solum numero distincta, nequeunt naturaliter simul esse in eodem subiecto; ergo plures paternitates, solum numero distinctae nequeunt naturaliter esse simul in eodem homine. Resp. disting. antecedens; plura accidentia eiusdem ratio-

rationis, solum numero distincta, nequeunt naturaliter esse simul in eodem subiecto, si sint accidentia absoluta, admitto pro nunc, quia adhuc in hoc sensu, est dubium antecedens, de quo in Physica; si sint accidentia relativa, nego, & neg; conseq. Disparitas stat in hoc, quod accidentia absoluta, cum respiciant subiectum in se, eumdem effectum formalem præstant, v. gr. albedo, ut quatuor, constituit subiectum formaliter album, ut quatuor, unde posito uno albo, ut quatuor superfluit aliud album, ut quatuor, ad talem effectum præstandum, & cum natura superfluum abhorreat, nequeunt simul naturaliter duo alba, ut quatuor, informare idem subiectum; at vero accidentia relativa non respiciunt fundamentum in se præcisè, sed in ordine ad terminum, unde multiplicatis terminis numero, possunt numero multiplicari relationes in eodem fundamento, quia non ad unum, sed ad plures effectus formales præstandos ordinantur.

QUÆSTIO VII.

Unde sumatur unitas, & distinctio relationum?

1 PRo intelligentia quæstionis notandum est primo, unitatem prout ad præsens attinet, esse genericam, specificam, & numericam, ut dictum est loquendo de unitate formali, & similiter distinctionem esse genericam, specificam, & numericam oppositam prædictæ triplici unitati.

2 Notandum est 2. quod loquendo, tam de unitate, quam de distinctione intrinsecè, hæ desumuntur in relationibus ab ipsis entitatibus illarum, sicut in quolibet alio ente, eadem enim ratione, qua aliquid est ens, est unum, & distinctum a quolibet alio, quocumque genere uni-

unitatis, & distinctionis. Unde solum est difficultas de extrinsecis connotatis relationis, scilicet, fundamento, & termino, tam proximo, quam remoto, & sic sensus quaestionis erit, à quonam illorum, quoad nostrum modum concipiendi, desumatur unitas, vel distinctio relationum? His notatis, claritatis gratia.

3 Dicimus 1. Unitas, vel distinctio generica relationis desumitur, tam ex parte fundamenti, quam ex parte termini. Probatur prima pars; nam ubicumque est fundamentum genere diversum, ibi est relatio genere diversa: ut patet in tribus generibus relationis supra positis: ergo distinctio generica relationis desumitur ex parte fundamenti. Idem dicendum est suo modo de unitate. Secunda pars probatur similiter, quia sicut fundamenta praedictorum trium generum relationis differunt genere, ita similiter differunt termini: ergo etiam desumitur distinctio generica relationis ex parte termini.

4 Dicimus 2. Unitas, vel distinctio specifica relationis potest desumi, vel à fundamento remoto tantum, vel à termino remoto tantum, vel à fundamento, & termino remotis simul. Probantur prima, & secunda pars, quia in eodem fundamento remoto possunt fundari relationes specie diversae, nam in unico pariete albo, ut quatuor, v. g. fundatur relatio similitudinis ad alterum parietem album, ut quatuor, & relatio dissimilitudinis, vel diversitatis ad parietem nigrum, & similiter in pariete albo, & nigro fundantur relationes specie diversae, scilicet, similitudinis & dissimilitudinis, vel diversitatis, terminatae ad unicum parietem album: ergo distinctio specifica relationis aliquando potest desumi à diversitate specifica solius fundamenti remoti, & aliquando à diversitate specifica solius termini remoti.

Pro-

Probatur tertia pars: nam in duabus relationibus, v. gr. quarum una sit identitatis, & altera æqualitatis, tam fundamenta remota, quam termini remoti, specie differunt: ergo diversitas specifica relationum potest desumi à diversitate fundamenti remoti, & termini remoti simul.

5 Ubi advertendum est, quod non semper colligitur distinctio essentialis, & specifica relationum ex diversitate essentiali, & specifica fundamenti remoti tantum, vel termini remoti tantum, vel fundamenti remoti, & termini remoti simul. Hoc patet, quia benè possunt fundari relationes ejusdem speciei in diversis specie fundamentis remotis, & terminari ad diversos specie terminos remotos, relationes enim similitudinis inter duo alba, vel duo nigra sunt eiusdem speciei, & tamen, tam fundamenta remota, quam termini remoti specie distinguuntur. Similiter benè possunt fundari relationes ejusdem speciei in eodem fundamento remoto, & terminari ad diversos specie terminos remotos; relationes enim diversitatis, quæ fundantur in homine, & terminantur ad equum, & leonem, sunt ejusdem speciei, & tamen termini remoti illarum sunt specie diversi item benè possunt fundari relationes eiusdem speciei in diversis specie fundamentis remotis, & terminari ad eundem terminum remotum: relationes enim diversitatis, quæ fundantur in leone, & equo, & terminantur ad hominem, sunt eiusdem speciei, & tamen fundamenta illarum specie differunt.

6 Dicimus 3. Unitas, vel distinctio specifica relationum semper desumitur ex parte fundamenti proximi. Hæc conclusio est communis consensus Philosophorum. Probatur quia quotiescumque fundamentum proximum relationum est specie diversum, toties relationes sunt specie diversæ; & similiter, quotiescumque

fun-

fundamentum proximum est ejusdem speciei, toties relationes sunt eiusdem speciei, ut patebit discurrenti per omnia genera relationum: ergo unitas, vel diversitas specifica relationum semper desumitur ex unitate, vel diversitate fundamenti proximi. Idem dicendum est de unitate, vel distinctione generica.

7 Ubi advertendum est, quod sicut distinctio, vel unitas specifica relationum desumitur ab unitate, vel diversitate specifica fundamenti proximi, ita etiam desumitur ab unitate, & diversitate specifica termini proximi, quia nequeunt fundari diversæ relationes specie in diversis specie fundamentis proximis, quin simul terminentur ad plures specie terminos proximos, ut patebit discurrenti per quaslibet relationes. Versatur tamen hæc differentia inter fundamentum, & terminum, quod a fundamento specificatur relatio initiativè radicaliter, & quasi in genere causæ materialis, à termino verò completivè, & quasi in genere causæ formalis.

8 Dicimus 4. Distinctio numerica relationis desumitur, tam ex parte fundamenti proximi, quam ex parte termini proximi simul sumptis, non tamen ex parte cujuslibet seorsim. Idem dicendum est de unitate numerica. Probatur; quia quotiescumque fundamentum proximum, & terminus proximus sunt eadem numero, toties relatio est eadem numerò, & è contra, quotiescumque fundamentum proximum, & terminus proximus sunt numero distincta à fundamentis proximis, & terminis proximis aliarum relationum, toties relationes sunt numero distinctæ. Deinde in eodem fundamento proximo possunt fundari plures numero relationes, ut dictum est quæst. antec. Denique unus numero terminus proximus potest terminare plures numerò relationes, ut constat etiam ex dictis quæstione antecedenti; nam sicut in poten-
tia

tia generativa patris una numero fundantur plures numero relationes paternitatis ad plures filios, ita in pluribus filiis fundantur plures numero filiationes terminatæ ad potentiam generativam patris: ergo unitas, vel distinctio numerica relationum desumitur ex unitate, vel distinctione numerica fundamenti, & termini proximi simul, non verò ex unitate, vel distinctione numerica fundamenti, vel termini proximi seorsim.

9 Dubitabis, an relatio accipiat suum esse à solo fundamento, an vero à fundamento, & termino simul? Respondetur relationem accipere suum esse à solo fundamento. Probatur, nam relatio habet esse per resultantiam: sed solum resultat à fundamento: ergo à solo fundamento recipit suum esse. Neque obstat, si dicas: relationem non minus dependere à termino, quam à fundamento, & sic ab utroque habere suum esse: nam dicimus, quod licet ab utroque dependeat, dependet tamen diversimodè; a fundamento enim deĕpdet dependentia *à quo*, quia fundamentum est, à quo resultat relatio, à termino verò dependet dependentia *ad quem*; quia terminus est ad quem ordinatur relatio, unde solum à fundamento habet suum esse.

QUÆSTIO VIII.

Quænam sint proprietates relationis?

1 ARist. in hoc capite quatuor assignavit proprietates relationum, seu relativorum. Prima est, habere contrarium. Secunda, suscipere magis, & minus. Tertia, dici ad convertentiam. Quarta, esse simul natura, cognitione, & definitione. Circa quas proprietates aliquæ difficultates excitantur ab Authoribus, quæ & quia plus confusionis, quam utilitatis afferunt, & quia non sunt magni momenti,

bre-

brevitate possibili discutiendæ a nobis sunt. Igitur

2 Circa primam proprietatem potest dubitari, an conveniat, non solum relationibus, seu potius relativis secundum dici, sed etiam relationibus, seu relativis secundum esse conveniat? Aliqui dicunt, solum convenire relativis secundum dici, nam inquiunt, non loquebatur Arist. ex propria mente, sed ex mente aliquorum definientium relationem, seu relativum secundum dici, ut sunt *virtus, & vitium, error, & scientia*; imò ipse Arist. cap. de quant. dicit, relationi nihil esse contrarium, & intelligitur de relatione secundum esse.

3 Alii autem dicunt, prædictam proprietatem etiam convenire relationibus secundum esse, licet non ratione sui, saltim ratione fundamenti, quod aliquando est qualitas, quæ propriè habet contrarium, sed hoc nihil aliud est, quam dicere, quod aliquando fundamentum relationis potest habere contrarium, quod cum non conveniat fundamento, scilicet, qualitati ratione relationis, adhuc fundamentaliter, seu quatenus est fundamentum relationis, sed ratione sui, præscindendo ab hoc, quod sit, vel non sit fundamentum relationis, nihil conducit ad contrarietatem relationum. Unde

4 Videtur dicendum, quod rigorosè, & loquendo de contrarietate propriè dicta, non convenit relationibus secundum esse habere contrarium, quia contraria, propriè dicta, ab eodem subiecto mutuo se expellunt, ut patet in calore, & frigiditate, sed relationes non se mutuò expellunt ex natura sua ab eodem subiecto; ergo relationes non possunt dici contrariæ contrarietate propriè dicta. Probat. min. quia si relationes aliquando nequeunt esse simul in eodem subiecto, hoc non provenit ex ratione formali relationum, sed ex incompossibilitate fundamentorum, nam relatio identitatis

quæ fundatur in uno individuo humanitatis, respectu alterius, & relatio diversitatis, quæ fundatur in equo, respectu hominis, ideò non possunt esse simul in eodem subiecto, quia fundamenta illarum sunt incompossibilia; non verò, quia ipsæ relationes secundum se sunt incompossibiles, nam in unico individuo humanitatis possunt simul esse relatio identitatis, respectu alterius individui humanitatis, & relatio diversitatis, respectu equi; ergo relationes ex natura sua non se mutuò expellunt, seu non sunt incompossibiles in eodem subiecto, sed hoc tantum convenit illis propter incompossibilitatem fundamentorum, & consequenter relationes non possunt dici contrariæ contrariatate propriè dicta.

5 Possunt tamen dici relationes contrariæ, contrarietate, latè sumpta, id est sumpta pro aliqua oppositione: quod non est intelligendum, ita ut relationes semper aliquomodo opponantur, sed ita ut semper, quod sint incompossibiles modo dicto ratione fundamentorum, possint dici aliquomodo contrariæ. Ubi advertendum est, quod licet relationes ex natura sua opponerentur, adhuc non dicerentur contrariæ, contrarietare propriè dicta, quia talis contrarietas tantum datur inter illa, quæ sunt divisibilia ratione intensionis, relationes autem non sunt sic divisibiles, ut infra patebit.

6 Circa secundum proprietatem est simile dubium, an scilicet, suscipere magis, & minus conveniat, tam relativis secundum esse, quam secundum dici? Aliqui similiter dicunt, tantum convenire relativis secundum dici, propter eamdem rationem, ac primam proprietatem. Similiter alii dicunt, convenire etiam relationibus secundum esse ratione fundamenti, eo quod aliquando est qualitas, quæ recipit magis, & minus, sed hoc, ut dictum

est

est circa primam proprietatem, nihil conducit ad relationem.

7 Diversimodè tamen alii explicant, hanc proprietatem convenire relationibus secundùm esse ratione fundamenti, quia scilicet, intenso, vel remisso fundamento, potest intendi, vel remitti relatio; nam inquiunt, album ut quatuor, est simile alteri albo, ut quatuor, si autem remittatur fundamentum, ita ut auferatur ab illo, v. gr. unus gradus albedinis, ut tantum remaneat album, ut tria, adhuc est simile albo, ut quatuor: sed jam est minus simile, quam antea erat: ergo relatio similitudinis recipit magis, & minus, eo quod magis, & minus recipit fundamentum.

8 Dicendum tamen videtur, relationes secundum esse nullatenus recipere magis, & minus. Probatur, quia si aliquando relationes reciperent magis, & minus, maximè in casu supra posito, & aliis similibus, sed non in tali casu; ergo. Prob. min. quia relatio similitudinis fundatur in unitate graduali qualitatis, sed in supradicto casu, ablato uno gradu ab albo, ut quatuor, non datur inter illa duo alba unitas gradualis; nam hæc solum datur inter æquales gradus; ergo ablato illo gradu, non remanet relatio similitudinis inter illa duo alba, & consequenter relatio similitudinis non recipit magis, & minus. Unde.

9 Resp. ad fundamentum oppositæ sententiæ, nego mai. quia, ut dictum est in nostra ratione, album, ut tria non dicit relationem similitudinis ad album, ut quatuor, imo dicit relationem dissimilitudinis, propter defectum unitatis gradualis, videantur quæ diximus loquendo de relationibus secundi generis.

10 Advertendum tamen est, quod relationes, quæ fundantur in qualitate possunt dici, recipere magis, & minus ratione fundamenti,

& termini in hoc sensu, scilicet, quod relatio similitudinis inter duo alba, ut quatuor, v. gr. est major similitudo, seu similitudo qualitatum majoris intensionis, quam relatio similitudinis, quæ fundatur inter duo alba, ut duo, & sic debet intelligi Scotus, quando quæst. 26. prædicamentali dicit, quod relationes fundatæ in qualitate, recipiunt magis, & minus ratione fundamenti.

11 Tertia proprietas, scilicet, dici ad convertentiam, convenit relationibus in concreto, & sic debet intelligi, quod una relatio in obliquo enuntietur de alia, & è converso, v.g. *pater alicuius filii est pater: filius alicuius patris est filius.*

12 Quarta proprietas, scilicet esse simul natura cognitione, & definitione, convenit relationibus in concreto. Patet, quia illa dicuntur simul natura, quorum unum non est principium alterius, nec latius altero patet, sine illo tamen existere non potest. Deinde illa dicuntur simul cognitione, quorum unum nequit cognosci sine alio. Denique illa dicuntur simul definitione, quorum unum definitur per aliud, & è converso: hæc omnia conveniunt relationibus in concreto, ut ex se patet: ergo prædicta proprietas convenit relationibus in concreto. Videantur, quæ diximus quæst. 5. huius disp. a n. 16. usque ad 19. Hæ duę proprietates conveniunt in quarto modo relationibus.

D I S P. V.

De qualitate quarto prædicamento.

POstquam cap. 7. egit Arist. de prædicamento ad aliquid consequenter cap. 8. agit de prædicamento qualitatis, de quo & nos ipsum sequentes in præsenti agimus: Sit ergo

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Quid sit qualitas, seu quomodo definiatur?

1 PRo intelligentia quęstionis notandum est, qualitatem tripliciter accipi posse. Primò, prout dicit differentiam essentialem cujuscumque rei, ideòque dicitur, differentiam prædicari in quale quid. Secundò, prout significat quodcumque accidens, quo sensu similiter dicitur, accidens in quale convenire, seu prædicari. Tertiò, prout significat quoddam accidens peculiare constitutivum huius prædicamenti, ut ab aliis distincti, quod accidens sic Arist. definivit: *Qualitas est, qua quales esse dicimur*. Circa quam definitionem est difficultas, an rectè per illam qualitas definiatur? Pro qua.

2 Supponitur tanquam certum, essentiam qualitatis esse nobis ignotam, unde quæcumque qualitatis definitio tantùm est quædam descriptio, seu explicatio qualitatis, vel secundum aliquam proprietatem, vel secundum aliquem effectum nobis notum. Nunc.

3 Dicimus; per prædicta verna Arist. sufficienter explicatur, seu describitur qualitas. Hæc conclusio est communis inter Philosophos, licet aliqui oppositum tenere videantur. Probatur; quia per prædicta verba explicatur effectus primarius formalis qualitatis, in quo distinguitur à differentia essentiali, quæ non dicit *quale* tantùm, sed quale quid, similiter differt ab aliis accidentibus, à quibus subiectum non propriè, & strictè *quale*, sed *quantum*, vel *relatum* denominatur: ergo per prædicta verba sufficienter explicatur, seu describitur qualitas. Ubi advertendum est, quod in predictis verbis Arist. subintelligitur *accidens* seu *entitas accidentalis*; ita ut sensus illarum sit:

Qualitas est accidens, quo quales esse dicimur. Neque propter hoc processit Arist. diminutè, nam dum loquebatur de qualitate, supponebat, esse membrum dividens accidens in communi.

4 Arg. contra, primò; quia per prædicta verba describitur ignotum per æquè ignotum, scilicet, *qualitas* per *quale*; ergo non est bona descriptio. Resp. neg. ant. nam *quale* notius est quoad nos, quam *qualitas*; concretum enim notius est abstracto, experientia quidem patet, & tenet Arist. 7. Met. c.1. quod notior est nobis sapiens: aut iustus, quem ex operibus deprehendimus, quam ipsa sapientia, & justitia, quam sola mente apprehendimus. Unde qui definitionem propriè sumptam, albedinis ignoraret, non male explicaret albedinem, dicendo, esse formam, qua subiectum est album. Similiter dicendum est de qualitate in communi.

5 Arg. 2. Arist. definivit *quale* per ordinem ad qualitatem; ergo non benè definitur qualitas per ordinem ad *quale*, nam committitur circulus vitiosus. Resp. neg. conseq. quia Arist. definivit *quale* in ordine ad qualitatem, postquam supposita explicatione specierum qualitatis, ipsam qualitatem reddit notiorem, unde non committitur circulus vitiosus, quia definivit qualitatem ignotam per effectum formalem illius magis notum quoad nos; *quale* verò definivit per qualitatem, quæ est notior natura, & supposita explicatione suarum specierum, aliquomodò nobis notior; circulus tamen vitiosus solùm datur, quando non intervenit aliqua variatio in definitione, & definito.

6 Arg. 3. Si per prædicta verba rectè describeretur, seu explicaretur qualitas, etiam quantitas rectè describeretur, seu explicaretur per hæc verba: *Quantitas est qua quanti esse dicimur*, quod non debet admitti. Resp. conced. sequel. & neg. quòd hoc non debeat

ad-

admitti, nam sicut benè explicatur qualitas per prædicta verba, eo quod reddere quale est effectus formalis illius, ita benè explicatur quantitas modo dicto, eo quod reddere, quantum est effectus formalis illius. Tamen aliter suo loco quantitas describitur quia sunt aliquæ proprietates quantitatis nobis notæ, per quas ipsam quantitatem possumus explicare, sed hoc non impedit, quod per prædicta verba, tanquam per effectum formalem, rectè describatur quantitas. Similiter, licet possint adduci aliæ descriptiones qualitatis, juxta aliquas proprietates illius, de quibus infra, hoc non impedit, ut etiam rectè describatur per prædicta verba, tamquam per effectum formalem.

7 Plures definitiones, seu descriptiones qualitatis solent adduci ab Authoribus, juxta proprietates qualitatis, sed quia solet esse molesta controversia circa proprietates, & consequenter circa descriptiones qualitatis, quæ traduntur per illas, quæ controversia parum utilitatis, & multum confusionis adducit plures descriptiones qualitatis omittimus videndas apud recentiores, præcipuè apud nostrum Mer. disp. de prædicam. cap. 1. q. unic. Nos autem aliquid breviter dicemus loquendo de proprietatibus qualitatis.

QUÆSTIO II.

Quomodo qualitas dividatur?

1 ARist. in hoc capite in quatuor membra divisit qualitatem, scilicet, in habitum, & dispositionem, in potentiam, & in impotentiam; in passionem, & passibilem qualitatem, & in formam, & figuram. Circa quam divisionem est dubium, an sit generis in species? Sed quia ad resolutionem illius necessaria est cognitio membrorum dividentium; ideò præ-

ſentem quæſtionem in duas ſectiones dividemus, in quarum prima de prædictis membris tam quoad ſenſum Ariſt. quam quoad intelligentiam aliquorum Philoſophorum, agemus, & in ſecunda dubium reſolvemus.

SECTIO I.

De membris dividentibus qualitatem.

2 Ut claritate poſſibili procedamus, ſigillatim de quolibet ex prædictis membris ſermonem inſtituimus.

De habitu, & diſpoſitione.

3 Per habitum intelligit Ariſt. illas qualitates, quæ difficulter à ſubjecto moveri poſſunt ex quocumque capite proveniat talis difficultas, ut ſunt ſcientiæ, v.g. in gradu intenſo. Per diſpoſitionem intelligit qualitates, quæ facilè à ſubjecto moveri poſſunt ex quocumque capite proveniat hæc facilitas, ut ſunt, juxta ipſum Ariſt. calor, frigus, morbus, ſanitas, &c. In hoc ſenſu, dicunt aliqui, ſcientias habituales in gradu remiſſo non dici propriè habitus, ſed diſpoſitiones, & licet omnes actus potentiarum communiter reducantur ad diſpoſitionem, tamen ſi quando contingat, quod ex aliquo capite ſint difficilè mobiles à ſubiecto, ut contingit in actibus beatificis, tunc non diſpoſitiones, ſed habitus nuncupantur.

4 In ſenſu verò rigoroſo, in quo accipiuntur prædicta membra à pluribus Philoſophis: *Habitus eſt qualitas inſenſibilis potentiæ naturalis ſuperveniens, ab ea difficilè mobilis, & eam determinans circa ſuum obiectum*. Unde (inquiunt) ad rationem habitus requiritur, quòd non ſit qualitas ſenſibilis, in quo differt à tertio, & quarto membro diviſionis, quæ ſunt qualitates

test sensibiles. Requiritur etiam, quòd superveniat potentiæ naturali, id est, quod non criatur ex principiis intrinsecis naturę, sed quod proveniat ab extrinseco, in quo differt à secũdo membro. Similiter requiritur, quòd sit difficilè mobilis à subiecto, quæ difficultas debet provenire ex ipsa natura qualitatis, non tamen ab aliquo extrinseco, seu debet convenire per se qualitati, & non per accidens. Denique requiritur, quòd determinet potentiam circa suum objectum, nam habitus datur ad operationem circa obiectum determinatum. Huiusmodi sunt omnes habitus scientifici, & habitus virtutum, & vitiorum, etiam in gradibus remissis, nam licet actualiter sint facilè mobiles à subiecto tamen ex natura sua exigunt, esse difficilè mobiles ab illo.

5 Similiter dispositio rigorosè sumpta *est qualitas insensibilis facilè mobilis à subiecto, potentiæ naturali superveniens, & eam determinans circa suum obiectum*. Unde sequitur, idem requiri ad dispositionem, quod requiritur ad habitum, præter hoc, quod habitus sit difficilè mobilis, dispositio verò facilè mobilis à subiecto, quæ facilitas (sicut dictum est de difficultate habitus) debet povenire ex ipsa natura qualitatis, non tamen per accidens, seu ab extrinseco. Hujusmodi sunt species, tam impressæ, quàm expressæ, & actus potentiarum, licet aliquando ab extrinseco sint difficilè mobiles à subiecto.

6 Unde deducitur; habitum, & dispositionem in sensu Aristot., solùm accidentaliter differre; in sensu verò rigoroso differre essentialiter, & specificè. Prima pars patet, quia in primo sensu solùm differunt habitus, & dispositio per magis, & minus, nam scientia in gradu intenso dicitur habitus, & in gradu remisso dicitur dispositio, & certum est, magis, & minus non variare speciem. Similiter patet secunda pars; quia qualitas, quæ ex natura sua exigit facilè à

fubiecto moveri, nequit esse ejusdem rationis essentialis, cum qualitate, quæ ex natura sunt exigit, difficilè moveri à subjecto; sed habitus ex natura sua exigit, difficilè moveri à subiecto, dispositio verò exigit, facilè à subiecto moveri; ergo habitus nequit esse ejusdem rationis, & speciei, ac dispositio. Major patet, quia quod ex intrinseca natura sua exigit aliquid, quod aliud non exigit, necessariò habet aliquod prædicatum intrinsecum, quod non habet illud aliud, sed quod habet aliquod prædicatum intrinsecum, quod non habet aliud, essentialiter distinguitur ab ilo; ergo.

De potentia, & impotentia.

7 Per potentiam naturalem intelligit Arist. illas qualitates, quibus faciliter aliquid agimus, aut quibus fortiter contrariis resistimus, ut sunt, agilitas ad currendum, durities ad resistendum. Per impotentiam intelligit, non negationem potentiæ, sed imbecillitatem, seu potentiam in gradu remisso ad agendum, seu resistendum contrariis, ut est durities, in ordine ad agendum, & mollities in ordine ad resistendum. In sensu autem rigoroso Philosophorum; *Naturalis potentia est qualitas insensibilis ex intimis principiis naturæ promanans, facultatem naturalem determinans ad facilè operandum, vel patiendum*. Per hoc, quòd sit qualitas insensibilis, convenit cum habitu, & dispositione, & differt à duobus sequentibus membris. Per hoc, quòd dimanet ex intimis principiis naturæ, differt ab habitu, & dispositione. Per hoc, quòd determinet facultatem naturalem ad facilè operandum, vel patiendum, differt ab ipsa naturali facultate. Huiusmodi est in ordine ad agendum, agilitas ad currendum, nam est qualitas insensibilis orta

orta ex principiis naturæ, & determinans potentiam cursivam ad facilè currendum, & in ordine ad patiendum quædam complexio corporis, qua quis redditur facilis, seu proculiuis ad infirmitatam. *Impotentia verò est qualitas insensibilis ex intimis principiis naturæ promanans facultatem naturalem determinans ad difficilè operandum, vel patiendum*. Unde constat, idem inveniri in potentia, ac in impotentia præter hoc, quòd potentia ad facilè, impotentia vero ad difficilè operandum, vel patiendum. Huiusmodi est in ordine ad agendum, tarditas ad currendum, hebetudo ingenii ad discurrendum, & eadem hebetudo ingenii, & imbecillitas memoriæ ad recipiendas, & conservandas species.

8 Unde constat, quòd neque in sensu Arist. neque in sensu rigoroso potentia, & impotentia essentialiter distinguunt, sed tantùm accidentaliter. Prima pars patet, & simul secunda, quia eadem vis ad videndum; v. g. in homine, si comparetur cum debilitate videndi Bubonis, dicitur potentia, si autem comparetur cum acutissima vi videndi Lincei, dicitur impotentia, seu imbecillitas. Similiter eadem complexio, ut proclivis ad infirmitatem, dicitur potentia patiendi, & imbecillis ad resistendum contrariis, dicitur impotentia. Deinde absolute loquendo, potentia, & impotentia solùm distinguuntur in hoc, quòd potentia dicit vim intensam agendi, vel patiendi, impotentia verò dicit vim remissam, seu debilem, & certum est, quòd magis, & minus non variant speciem; ergo in quocumque sensu potentia, & impotentia non distinguntur essentialiter, seu specificè, sed ad summum accidentaliter.

De passione, & passibili qualitate.

9 Per passibilem qualitatem intelligit Arist. qualitates, quæ vel passionem efficiunt, vel efficiuntur à passione, & sunt difficile mobiles à subiecto, ut est dulcedo in mele, v. g. albedo in Cygno. Per passionem verò intelligit ipsas qualiates, ut sunt facilè mobiles à subjecto, v. g. pallor ex metu, rubor ex verecundia. In eodem sensu accipiuntur communiter à Philosophis passio, & passibilis qualitas, unde sic communiter definiuntur: *Passio est qualitas sensu externo primò perceptibilis facilè mobilis à subiecto*. Per hoc, quòd sit sensu externo perceptibilis, differt à duobus præcedentibus membris qualitatis. Per hoc, quòd sit primò sensibilis, differt à quarto membro; *Passibilis qualita est sensu externo perceptibilis primò difficilè mobilis à subiecto*. Ex quo cognoscitur, idem inveniri in passione, ac in passibili qualitate, præter hoc, quòd una sit facilè, altera verò diffilè mobilis à subiecto.

10 Hic solet dubitari, an qualitas hoc membrum constituens, nomen passionis, vel passibilis qualitatis recipiat à passione, quàm causat, vel à passione, qua causatur? Ad quod breviter respondetur, quòd tale nomen accipit à passione, quam causat in potentia, cujus est objectum. Cuius ratio videtur, quòd omnes qualitates ad hoc membum pertinentes, causant passionem in sensibus, licèt non physicam, sed intentionalem, at verò non omnes causantur ab aliqua passione, nam licet rubor aliquando causetur à verecundia, tamen rubor in lapide, v. g. non causatur ab aliqua passione; ergo tale nomen accipit qualitas, ut constituit hoc membrum, non à passione, à qua causatur, sed à passione, quam causat in sensibus;

Et

Et hoc videtur expressum, tam juxta mentem Arist. qui in hoc capite dicit; *Qualiates passivæ dicuntur, non ideò quòd ea quæ susceperunt passa, aliud sunt: sed quia qualibet qualitas in sensibus est efficax*, quàm juxta mentem Angelici Doctoris, qui 3. part. quæst. 63. art. 2 ad 2. dici: *In tertia specie qualitatis non sunt nisi sensibiles passiones, & sensibiles qualitates.* Et etiam juxta mentem subtilis Doctoris, qui quæst. 36. prædicam. §. *Ad omnes istas quæstiones*, dicit differentiam, seu modum, per quem ista species constituitur, & distinguitur ab aliis, consistere in hoc quod est, esse primò sensibilem.

11 Unde constat, passionem, & passibilem qualitatem, non essentialiter, sed tantùm accidentaliter differre, nam tantùm per facilè, vel difficilè moveri à subiecto, quod est quid accidentale, distinguuntur; eadem enim qualitas, v. g. pallor, potest esse color naturalis, & ut sic diù permanens, & difficilè mobilis à subjecto, & potest esse color citò transiens, & facilè mobilis à subiecto, ut cùm oritur ex verecundia; ergo passio, & passibilis qualitas, non essentialiter, & tantùm accidentaliter differunt.

De forma, & figura.

12 Per formam intelligit Arist. varias dispositiones corporum, secundùm quas alia dicuntur formosa, alia difformia. Per figuram intelligit dimensiones mathematicas quantitatis, hoc vel illo modo dispositas. In eodem sensu communiter accipiuntur à Philosophis, & sic describuntur; *Forma est qualitas externa proveniens ex varia terminatione quantitatis in materia, vel in composito considerata.* Per hoc, quòd sit qualitas externa, differt à primo,

&

& secundo membro qualitatis, & per hoc, quòd proveniat ex terminatione quantitatis, differt à tertio membro, nam ex hoc sequitur, quòd non sit primò sensibilis sed ad summum secundò sensibilis, quippè non est objectum proprium alicujus sensus, licet obiecta propria sensuum supponat: *Figura est qualitas externa proveniens ex varia terminatione quantitatis secundum se considerata*. Ex quo patet, quòd forma, & figura solùm differunt in hoc, quòd forma supponit quantitatem affectam accidentibus sensibilibus; figura verò tantùm respicit quantitatem secundùm se ab accidentibus sensibiilbus abstrahentem. Aliter solet ab aliquibus explicari forma, & figura, sed coincidit cum præcedenti explicatione.

13 Unde constat, formam, & figuram, non essentialiter, sed tantùm accidentaliter differre in ratione qualitatis. Ratio est, quia solùm differunt in hoc quòd forma respiciat quantitatem, ut affectam accidentibus sensibilibus; figura verò respiciat quantitatem à prædictis accidentibus abstrahentem, quod ut ex se patet, tantùm est accidentalis differentia ad rationem qualitatis.

14 Circa formam, & figuram solet dubitari, an constituant veram speciem qualitatis? Scotus videtur tenere partem negativam; inquit enim in 1. dist. 17. quæst. 2. §. *Quantum ad istum articulum*, sub litt. O *Pulchritudo non est aliqua qualitas absoluta in corpore pulchro; sed est aggregatio omnium convenientium tali corpori, puta magnitudinis, figuræ, & coloris, & aggregatio omnium respectuum, qui sunt istorum ad corpus, & ad se invicem*. Deinde potest probari hac ratione; forma, & figura possunt considerari materialiter, & formaliter; sed neutro modo sunt species determinata qualitatis: ergo. Prob. min. quia materiale figuræ est dimensio quantitativa, quæ pertinet ad prædica-

men-

mentum quantitatis; formale verò est habitudo, seu ordo partium talis mensuræ; quæ habitudo, si consideretur in ordine ad locum, pertinet ad prædicamentum *ubi*, si autem consideratur in ordine ad se, pertinet ad prædicamentum *Situs*. Similiter, materiale formæ est prędicta dimensio quantitatis affecta accidentibus sensibilibus, & sic partium pertinet ad prædicamentum quantitatis, & partim ad prædicamentum qualitatis, prout constituit tertium membrum supradictum; formale verò est ordo, seu habitudo prædictarum partium quantitatis affectæ prædictis accidentibus, quæ habitudo, ex parte quantitatis, pertinet, vel ad prædicamentum *ubi*, vel *situs*, ut supradictum est, & ex parte accidentim sensibilium; ad prædicamentum *ad aliquid*; ergo nihil invenitur ex parte formæ, & figuræ, quod constituat determinatam speciem qulitatis. Aliqui Scotistæ explicant supradicta verba Scoti, intendentes, formam, & figuram constituere determinatam speciem qualitatis. Sed in hoc non ampliùs immoramur, & quia non magni momenti, & ut à prolixitate, & confusione deviemus. Videatur tamen noster Merinero cap. 8. categ. disp. unica de qualitate, quæst. 4. sect. 4. Nunc præcipua difficultas est, an qualitatis divisio in tria membra, supra assignata, sit generis in species? Pro qua sit.

SECTIO II.

An prædicta divisio sit generis in species?

15 Dicimus; prædicta divisio, in sensu Arist. non est essentialis, seu generis in species, sed tantum accidentalis, seu modalis; in sensu verò, in quo communiter accipiuntur à Philosophis membra dividentia, est

est

essentialis,& generis in species. Hæc conclusio, quoad utramque partem, videtur esse Scoti; nam in 4. dist. 6. quæst. 10. §. *Ad quæstionem*, *vers. Sed hoc*, litt. N. dicit: *Secundùm veritatem illa divisio qualitatis in quatuor species, non est propriè generis in species, sed est tantùm secundùm quosdam modos diversos convenientes diversis qualitatibus*. Deinde Arist. in hoc capite prædictas qualitates vocat modos, & non species, nam, inquit; *Fortassis autem, & quidem alius qualitatis modus esse videbitur*. En quomodo ex mente Arist. tenet Scotus, prædictam divisionem non esse generis in species.

16 Et ratio deducitur, tam ex ipso Arist. qui confundit cum habitu, & dispositione passionem, & passibilem qualitatem (enumerat enim inter habitum, & dispositionem calorem, & frigus; & similiter inter passiones, & passibiles qualitates) quam ex ipso Scoto, qui loco citato, sic prosequitur: *Et fortè eidem qualitati in se secundum essentiam possent competere plures modi, qui ponuntur in diversis qualitatibus*: sed eadem essentialis differentia nequit competere pluribus speciebus: ergo iuxta prædictum sensum Arist. prædicta divisio non est generis in species.

16 Confirmatur claritatis gratia: nam calor, v. g. nequit pertinere ad plures species qualitatis; sed iuxta sensum Arist. potest pertinere ad tria prædicta membra: ergo signum est, quod illa membra, ut ab Arist. assignantur, non sunt species diversæ qualitatis. Minor patet; nam calor, ut est difficilè mobilis ab igne, potest dici *habitus*; & ut est facilè mobilis ab aqua, potest dici *dispositio*: ut autem est virtus ad operandum in igne, potest dici potentia naturalis. ut verò est qualitas primo sensibilis, potest dici *passio*, vel *passibilis qualitas*: ergo calor, iuxta sensum Arist. potest pertinere ad tria prædicta membra; & consequenter talis

di-

divisio non est generis in species.

18 Deinde Scotus quæst. 30. prædicamentali, inquit: *Dicendum est; concedendo has differentias esse accidentales, quæ hic assignantur; tamen formæ, quas ista differentia consequuntur, tamquam proprietates earum, sunt essentialiter qualitates*. En quomodo ex mente Scoti, in aliquo sensu potest dici prædicta divisio generis in species. Ubi advertendum est, quod, licèt Scotus in eodem loco dicat; primam speciem qualitatis non videri sumi pro aliqua differentia positiva distincta à differentiis aliarum specierum; hoc non dicit, ut benè advertit Meron disp. de prædicam. cap. 2. de qualit. quæst. 6. assert. 2. eo quod neget absolutè, habitum habere veram differentiam essentialem; sed quia talis differentia est admodum ignota, iuxta sensum Arist. qui tantum loquitur de habitu, ut est difficilè mobilis à subiecto; quod etiam convenit passibili qualitati.

19 Probatur ratione: quia omnes prædictæ qualitates participant rationem qualitatis in communi, & differunt per differentias essentiales: sed hoc tantum requiritur ad divisionem generis in species: ergo prædicta divisio est generis in species. Major, quoad secundam partem, probatur; quia qualitas, quæ ex natura sua exigit, esse innatam rei, cui inhæret, & oriri à principiis ejus intrinsecis, distinguitur essentialiter à qualitate, quæ ex natura sua exigit, non esse innatam, nec oriri à principiis intrinsecis rei, cui inhæret, sed tantùm provenire illi ab extrinseco. Deinde qualitas, quæ ex natura sua exigit, esse insensibilis sensu externo, distinguitur essentialiter à qualitate, quæ ex natura sua exigit, esse sensibilis sensu externo: sed habitus, & dispositio exigunt ex natura sua non esse qualitates innatas rei, cui, inhærent, neque oriri à principiis ejus intrinsecis, imò exiguunt, illi provenire ab extrinseco; at verò

na-

naturalis potentia, & impotentia exigunt, esse qualitates innatas rei, cui inhærent, & oriri à principiis intrinsecis illius: ergo naturalis potentia, & impotentia essentialiter, & specificè distinguuntur ab habitu, & dispositione. Deinde, qualitates per se sensibiles essentialiter distinguuntur à qualitatibus per se insensibilibus sed prædictæ qualitates sunt per se insensibiles; passio verò, & passibilis qualitas sunt per se sensibiles: ergo essentialiter, & specificè distinguuntur, & consequenter prædicta divisio, in hoc sensu; est generis in species.

20 Hic solet dubitari, an prædicta divisio sit adæquata? Resp. affirmativè cum communi consensu Philosophorum. Probatur; quia qualitas, vel est interna, aut externa? Si interna: aut est innata rei, cui inhæret, & oritur ex principiis intrinsecis illius, & sic est potentia, seu impotentia naturalis. Aut non est innata, nec oritur ex principiis intrinsecis rei, sed provenit illi ab extrinseco, & sic est habitus, & dispositio. Si est externa, erit passio, & passibilis qualitas; quia hæ sunt qualitates sensibiles. Ubi adverte, quod si forma, & figura sint qualitates, sunt qualitates externæ, & distinguuntur à passione, & passibili qualitate; quia forma, & figura ad summum sunt secundò sensibiles, non autem primò sensibiles, ut sunt passio, & passibilis qualitas: sed præter has qualitates nulla alia est assignabilis: ergo prædicta divisio est adæquata. Minor patebit discurrenti per omnes qualitates, quas valdè molestum esset recensere.

21 Neque obstat, Arist. in hoc capite dixisse: *Fortassis autem quidam alius qualitatis modus esse videbitur*; nam ut communiter tenent Philosophi, hoc non dixit, quasi judicaverit, prædictam divisionem non esse adæquatam, sed qua genus qualitatis amplissimum est, & ipse non tradiderat, nec fortè invenerat suffi-

cien-

cientiam prædictæ divisionis; si enim judicaret, prædictam divisionem non esse adæquatam, eò esset, quia alias qualitates invenisset, cùm tamen de nulla alia qualitate, præter supradictas, sermonem instituat, videtur, nullam aliam invenisse. Unde ex verbis Arist. non rectè deducitur, prædictam divisionem non esse adæquatam ex mente illius.

22 Advertendum tamen est, quod prædicta divisio non est immediata, nec infima, nam immediatè dividitur qualitas in internam, & externam, seu in sensibilem, & insensibilem. Deinde interna, seu insensibilis dividitur in habitum, & dispositionem, in potentiam, & in impotentiam. Similiter externa, seu sensibilis fortè dividitur in primò sensibilem, scilicet in passionem, & passibilem qualitatem, & in secundo sensibilem, scilicet in formam, & figuram. Ex quo constat, supradictam divisionem non esse immediatam. Ulterius, quælibet ex prædictis subdividitur in ferè innumeras species. Unde constat, prædictam divisionem non esse ultimam, seu infimam, sed dicendam esse generis in species subalternas. Coordinatio huius prædicamenti constat ex dictis.

QUÆSTIO III.

Quænam sint proprietates qualitatis?

1 ARist. in hoc capite tres assignavit proprietates qualitatis, scilicet, *habere contrarium, suscipere magis, & minus secundum intensionem; & reddere simile*, vel *dissimile*. Pro quarum intelligentia.

2 Dicimus 1. Prima proprietas, scilicet, *habere contrarium*, sumpta contrarietate rigorosè, modo explicato disp. de substantia, quæst.

quæst. 3. num. 4. soli qualitati, non tamen omni convenit. Quod conveniat qualitati, patet; nam calor, & frigus, v. gr. sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subjecto gradatim mutuò se expellunt, quod est proprium contrarietatis propriè dictæ. Quod conveniat soli qualitati, patet etiam: quia neque substantiæ, neque quantitati, neque relationi, ut tali formaliter, convenit, ut dictum est loquendo de proprietatibus illarum; neque convenit sex ultimis prædicamentis, ut omnes fatentur. Quod autem non conveniat omni qualitati, similiter patet; quia lux, & figura non habent propriè contrarium neque colores intermedii, ut hic notat Arist. nam non maximè distant sub eodem genere. Idem dicendum videtur de speciebus intentionalibus, & de habitibus infusis supernaturalibus.

3 Dicimus 2. Secunda proprietas, scilicet, *suscipere magis, & minus secundùm intensionem*, similiter convenit soli, sed non omni qualitati. Quod conveniat soli qualitati, patet, sicut de proprietate antecedenti, dictum est. Quòd non conveniat omni qualitati, etiam patet, quia figura, & aliæ qualitates ab aliquibus assignatæ, non suscipiunt magis, & minus secundum intensionem. Unde constat, duas prædictas proprietates tantùm in primo modo convenire qualitati. Et similiter constat, non benè describi qualitatem per aliquam ex prædictis proprietatibus, quia similis descriptio nequit omni qualitati convenire.

4 Dices: hæ proprietates conveniunt relativis, & etiam actioni, nam Arist. eas numeravit inter proprietates actionis, & relativorum: ergo non conveniunt soli qualitati. Resp. prædictas proprietates solum convenire relativis secundùm dici, quæ pluries sunt

sunt qualitates: & si fortè conveniunt relativis secundum esse, hoc tantum provenit ratione fundamenti, ut suo loco dictum est. Similiter tantum conveniunt actioni, ratione termini; ideò enim calefactio, & frigefactio dicuntur actiones contrariæ, & susci pere magis, & minus: quia termini illarum, scilicet, calor, & frigus sunt qualitates contrariæ, & recipiunt magis, & minus, & hoc solum est intentum Arist.

5 Tertia proprietas est, *reddere simile, vel dissimile:* quod debet intelligi, non formaliter, sed fundamentaliter, non actu, sed potentia. Hæc proprietas convenit omni qualitati soli illi, & semper, alia enim prædicamenta possunt reddere simile, vel dissimile tantum metaphoricè, & per similitudinem ad qualitatem. Unde constat, hanc proprietatem convenire qualitati in quarto modo. Similiter constat, benè posse describi qualitatem per istam proprietatem, dicendo: *Est accidens absolutum reddens simile, vel dissimile.*

6 Aliam proprietatem assignant aliqui, ut qualitatem a quantitate distinguant, scilicet, *non esse impenetrabilem,* & per illã hoc modo qualitatem describunt; *Est accidens absolutum non impenetrabile.* Sed licet verum sit, quod hæc proprietas conveniat qualitati, licet non in quarto modo; quia etiam convenit substantiæ; tamen prædicta descriptio a pluribus non admittitur, quia non datur per aliquid proprium positivum qualitatis, sed tantum per negationem gradus proprii quantitatis.

DISP. VI.

De sex ultimis prædicamentis.

ARist. cap. 9. & 10. huius tractatus breviter egit de sex ultimis prædicamentis; id eoque Gilbertus Porretaneus ad majorem illorum intelligentiam tractatum scripsit, quem de sex principiis appellavit. Nos autem Arist. originem sequentes, in hac disputatione, quæ communiter de sex ultimis prædicamentis exagitantur, proponemus. Sit ergo

QUÆSTIO I.

Quid pro formali importent sex ultima prædicamenta?

1 PRæsens difficultas latè ab aliquibus controvertitur, Præcipuè a nostro Meron, qui varios modos dicendi circa illam enumerat, & Authores pro illis adducit cap. 1. de relatione extrinsecus adveniente. Aliqui enim dicunt, sex ultima prædicamenta esse denominationes extrinsecas. Alii autem, esse quasdam minutissimas entitates absolutas, quas modos vocant, & quia nequeunt explicari, nisi per ordinem ad alia, posse dici, respectus *secundum dici*. Alii vero, esse quid mixtum ex absoluto, & respectivo. Scotistæ verò asserunt cum Scoto in 3. dist. 1. quæst. 1. §. *Ad aliqua*, litt. K, loquendo de unione, & in 4. dist. 13. quæst. 1. §. *Ad huius*; *vers. Ulterius*, litt. C. & aliis in locis, sex ultima prædicamenta formaliter consistere in respectu, non intrinsecus, sed extrinsecus adveniente. Discrimen inter prædictos respectus assignat Scotus, loco citato in 4. & nos assignavimus in hac 2. part. disp. 4. quæst. 2. num.

8. &

8. & 9. Videantur ibi dicta. Nunc autem claritatis gratia.

2 Dicimus 1. Sex ultima prædicamenta non dicunt formaliter solam denominationem extrinsecam. Conclusio est communis, & potest probari primo ex dictis loquendo de relatione in simili. Deinde probatur secundo: quia vel oppositum intelligitur, ita ut quodlibet prædicamentum sit purè denominatio extrinseca, desumpta a forma reali; vel ita quod sit ipsa forma realis, ut extrinsecè aliquod subiectum denominans: neutrum potest dici: ergo. Prob. min. quia non primum; nam cum denominatio extrinseca non sit aliquod ens verum, & reale non rectè salvaretur divisio entis realis in decem prædicamenta. Neque secundum; quia forma denominans, ut se tenet ex parte subiecti, quod intrinsecè denominat, jam supponitur, esse in suo prædicamento; visio enim, v. gr. ut est actus potentiæ visivæ, est in prædicamento qualitatis, neque, ex hoc, quod alius extrinsecè denominet, ponitur in alio prædicamento: ergo neutro ex prædictis modis constituuntur hæc prædicamenta per denominationem extrinsecam.

3 Dicimus 2. Hæc prædicamenta non sunt formaliter quid absolutum. Probatur; quia quod nequit concipi sine ordine, & habitudine ad aliud, non est quid absolutum; sed hæc prædicamenta nequeunt concipi sine ordine, seu habitudine ad aliud, ut patebit per omnia discurrenti: ergo non sunt formaliter quid absolutum.

4 Neque valet, si dicant, esse quid absolutum, *secundum esse*, quid verò respectivum *secundum dici*. Nam contra est primò, quia relativa *secundum dici* non sunt verè relativa, sed simpliciter absoluta: ergo dicere, quod prædicta prædicamenta sunt relativa *secundum dici*, non extrahit illa ab hoc, quod sint simpliciter ab-

absoluta: sed hoc non admittunt sic respondentes; ergo neque debent dicere, quod sint relativa *secundum dici*. Secundo, quia relativa secundum dici, licet communiter explicentur in ordine ad aliud; tamen absolutè possunt concipi, & explicari sine tali ordine, secundum suas entitates absolutas; sed hæc prædicamenta nullatenus possunt concipi, seu explicari sine ordine ad aliud; ergo nequeunt dici absoluta *secundum esse*, & relativa *secundum dici*.

5 Dicimus 3. Hæc prædicamenta non sunt quid mixtum ex absoluto, & respectivo. Probatur; quia ens prædicamentale debet esse unum per se; sed ex absoluto, & respectivo nequit fieri unum per se; ergo. Prob. min. quia absolutum, & respectivum sunt opposita; nam absolutum est ad se, & respectivum est ad aliud; sed hæc duo nequeunt in unicam per se essentiam coire; ergo ex absoluto, & respectivo nequit constitui unum per se, modo requisito ad prædicamentum.

6 Neque valet si dicant, hæc prædicamenta non esse æquè in recto quid absolutum, & respectivum; sed unum dicere in recto, & aliud in obliquo. Nam contra est; quia vel dicunt in recto quid absolutum, & in obliquo quid respectivum? Et hoc idem est, ac dicere, quod formaliter, & per se sunt quid absolutum, nam quod in aliquo tantum secundariò, seu de connotato reperitur, est extra essentiam illius, & sic idem erit, ac dicere, quod hæc prædicamenta consistunt in aliquo absoluto, quod supra manet impugnatum. Vel dicunt in recto aliquid respectivum, & in obliquo aliquid absolutum? Et hoc idem est, ac dicere, quod pro formali dicunt aliquid respectivum; sed respectivum formale nequit esse principium alicuius absoluti; ergo ut sic nequeunt dicere de connotato aliquid absolutum; nisi dicant, hoc absolu-

lutum esse fundamentum; sed hoc nihil est, & quia hoc solùm convenit respectivo in concreto; non verò in abstracto, & secundùm se, ut loquimur in præsenti de prædicamentis, & quia hoc etiam convenit relationi intrinsecùs advenienti.

7 Dicimus 4. Sex ultima prædicamenta formaliter consistunt in respectu extrinsecùs adveniente. Hæc conclusio est communis consensus Scotistarum cum Scot. cit. Quòd consistant in respectu, non melius probari potest, quàm ex dictis in conclusionibus antecedentibus. Quòd autem talis respectus sit extrinsecus adveniens, patet ex eo, quòd hæc prædicamenta distinguuntur à prædicamento *ad aliquid*: sed nihil aliud potest assignari, per quod ab illo differant, nisi quòd dicant respectum extrinsecus advenientem, nam prædicamentum *ad aliquid* dicit respectum intrinsecùs advenientem: ergo sex ultima prædicamenta dicunt respectum extrinsecùs advenientem.

8 Arg. 1. intentantes probare, nullatenus dari relationes extrinsecùs advenientes: quando Scotus dicit, relationes extrinsecùs advenientes esse illas, quæ non necessariò resultant positis fundamento, & termino, vel loquitur de fundamento proximo, vel remoto? Si de remoto, idem contingit in relatione intrinsecus adveniente, nam sicut positis igne, & ligno, non resultat relatio actionis quoadusque ponatur approximatio, ita similiter, positis duobus parietibus, non resultat relatio similitudinis, quoadusque ponatur unitas albedinis. Si loquitur de fundamento proximo, nulla est relatio, quæ non resultet, illo posito, nam sicut posita unitate albedinis, ut fundamento proximo, relatio similitudinis inter duos parietes resultat, ita resultat relatio actionis inter agens, & passum, po-

sita approximatione, ut fundamento proximo: ergo nulla est differentia inter relationes intrinsecus, & extrinsecus advenientes, ac per consequens, &c.

9 Respondetur, quod Scotus per fundamentum, & terminum intelligit extrema, quæ immediatè referuntur, ut sunt duo alba: agens, & passum. Unde constat differentia inter prædictas relationes, videmus enim, quod positis actu in rerum natura agente, & passo, igne, & ligno, v. gr. quæ sunt extrema actionis, non resultat necessariò relatio actionis; at verò, positis actu in rerum natura duobus albis, necessariò resultat relatio similitudinis inter illa. Quod autem dicunt de approximatione, non videtur ad propositum, quia adhuc approximatione posita, non necessariò resultat relatio actionis inter agens, & passum; sed adhuc requiritur transmutatio passi ab agente, quod patet, nam si talis transmutatio impediretur à Deo, adhuc posita approximatione, non resultaret talis relatio, ut contigit in furno Babylonis. Similiter non videtur ad propositum æquiparantia; quæ fit inter duos parietes, respectu relationis similitudinis, & agens ad passum, respectu relationis actionis, nam duo parietes non sunt extrema, inter quæ immediatè versatur relatio similitudinis, sicut agens, & passum sunt extrema, inter quæ immediatè versatur relatio actionis.

10 Arg. 2. datur aliquod ex sex ultimis prædicamentis, quod non dicat respectum extrinsecus advenientem: ergo. Prob. antec. nam prædicamentum *quando* dicit respectum intrinsecus advenientem, positis enim in rerum natura tempore, & re temporanea, necessario resultat in hac relatio *quando*, quæ explicatur per *esse in tempore*: ergo. Propter hoc argumentum Mastrius hic tenet, prædicamentum *quando* non consistere in relatione reali extrinse-

secus adveniente. Meron autem hic adducit aliquas responsiones ex mente aliorum, dicens, quemcumque pro suo libito posse ex illis eligere, quam voluerit, eo quod quælibet videtur illi sufficiens ad argumentum. Videantur, si placet.

11 Alia fortè aptior solutio deducitur ex Merinero hic; ex quo in forma respondetur, neg. antec. & antecedens probationis, quatenus dicit prædicamentum *quando* dicere respectum intrinsecus advenientem, nam licet verum sit, quod posito tempore, & re temporali, detur relatio *quando*, seu *esse in tempore*, hoc non provenit ex eo quod talis relatio resultet ex positione fundamenti, & termini, quod necessario requiritur ad respectum intrinsecus advenientem: sed ex eo quod talis relatio provenit ab agente, producente ipsum fundamentum, ita ut talis actio agentis æquivaleat actioni, qua producitur fundamentum, vel terminus relationis intrinsecùs advenientis, & pullulationi, seu emanationi ipsius relationis ab extremis, quod sufficit ut relatio *quando* dicatur extrinsecus adveniens quia non oritur ab extremis, sed provenit illis ab agente extrinseco producente, seu adducente extrema: ad differentiam relationis intrinsecus advenientis, quæ ex ipsis terminis oritur Idem potest responderi ad similia argumenta, quæ possunt fieri circa *ubi*, & *situm*; quia quando Arist. dixit, ad relationem non dari per se motum, loquebatur de relatione intrinsecus advenientem, non verò de relatione extrinsecus adveniente. Alia argumenta omittimus, & quia parvi momenti, & quia facilè solvuntur ex alibi dictis, & dicendis.

QUÆSTIO II.

De ultimis prædicamentis in speciali.

1 ACtio sic definitur à Gilberto: *Est secundùm quam in id, quod subiicitur, agere dicimur*. Sed quia potest esse aliqua æquivocatio, notandum est, quòd nomen *actio*, plura significat. Primò, operationes immanentes, ut sunt intellectio; & volitio. Secundò, respectum producentis ad productum, in quo sensu pater dicitur causa agens filii. Tertiò, respectum inducentis ad inductum, seu educentis ad eductum; in quo sensu ignis dicitur causa agens caloris; & quia illum educit de potentia passiva ligni, & illum inducit in lignum, Quartò, significat rem in fieri. Quintò, respectum transmutantis ad transmutatum; & in hoc sensu constituit hoc prædicamentum; & explicando definitionem Gilberti, sic communiter definitur ab Scotistis: *Actio est relatio extrinsecus adveniens transmutatio ad transmutatum*. Dicitur: *Relatio extrinsecus adveniens*, in quo convenit cum quinque sequentibus prædicamentis. Dicitur: *Transmutantis ad transmutatum*, per quod differt ab illis. Similiter debent explicari definitiones sequentium prædicamentorum.

2 Arist. in hoc capite duas proprietates actionis enumeravit; scilicet, *habere contrarium*; & *suscipere magis, & minus*: quæ tantùm conveniunt actioni ratione termini; & hoc quando terminus recipit magis, & minus, & habet contrarium. Gilberus autem alias duas proprietates assignavit, quæ conveniunt actioni in quarto modo, scilicet, *fieri cum motu, vel mutatione, & passionem inferre*, eo quòd actio, & passio sint correlativa.

3 Hoc

3 Hoc praedicamentum sic potest coordinari. Actio in communi est genus supremum; & dividitur in actionem animae, & corporis. Actio animae dicitur illa, cuius principium est anima, vel quaelibet substantia spiritualis, praeter Deum. Actio corporis dicitur illa, cuius principium est inanimatum; quae ulterius dividitur in substantialem, & est illa, cuius terminus est substantia, & in accidentalem, cuius terminus est accidens. Adhuc accidentalis subdividitur in instantaneam, quae fit in instanti, & in successivam, quae pro aliquo tempore durat. Denique, omnes subdividuntur in plures species infimas.

4 Cum passio correlativè opponatur actioni, & oppositorum eadem sit ratio, sic communiter definitur ab Scotistis; *Passio est relatio extrinsecus adveniens transmutati ad ad transmutans*, cui applicantur suo modo proprietates actionis, & ad similitudinem actionis dividitur, & coordinatur praedicamentum illius.

5 Gilbertus sic predicamentum *quando* definivit; *Est id id, quod ex adiacentia temporis relinquitur in re temporali*. Id enim, quod ex tali adiacentia in re temporali relinquitur; *Est relatio extrinsecus adveniens coexistentiae, seu praesentiae rei temporalis, & mensurabilis ad tempus, cui coexistit, seu a quo mensuratur*: Sic explicant Scotistae praedicamentum *quando*.

6 Gilbertus tres proprietates huius praedicamenti enumeravit, scilicet, *non habere contrarium*, & *non suscipere magis, & minus, & solum convenire illis, quae incipiunt esse*. Prima, & secunda non conveniunt illi in quarto modo, quia etiam conveniunt aliis praedicamentis; tertia vero in quarto modo illi convenit.

7 Hoc praedicamentum sic solet coordinari. *Quando* in communi est genus supremum, & juxta varias differentias temporis di-

viditur in præsens, præteritum, & futurum. *Quando* præsens est, ratione cuius res dicuntur esse in tempore, quod potest subdividi in *manè*, & *vespere*. *Quando* præteritum est, ratione cuius res dicuntur fuisse in tempore, & potest dividi in *heri*, *nudius tertius*, &c. *Quando* futurum est, ratione cuius res dicuntur futuras esse in tempore, & potest dividi in *cras*, *sequentem mensem*, &c. Vidi, si hæc coordinatio sustineri possit, nam aliquas instantias pati videtur, sed difficulter altera aptior coordinatio inveniri poterit.

8 Gilbertus sic *ubi* definivit: *Est circumscriptio passiva a circumscriptione loci, vel spatii proveniens.* Vbi tantum videtur definisse *ubi* passivum, quod communiter dicitur *esse in loco*, tamen communiter dividitur *ubi* ab Scotistis in activum, & passivum. *Ubi activum est relatio extrinsecus adveniens continentis ad rem contentam*, ut est relatio vasis ad aquam, quam continet. *Ubi passivum est relatio extrinsecus adveniens rei contenta ad continens*, ut relatio aquæ ad vas.

9 Duæ proprietates huius prædicamenti assignantur a Gilberto, scilicet, *non habere contrarium*, & *non suscipere magis, & minus*, quæ non conveniunt illi in quarto modo, sicut neque duæ sequentes, quæ ab aliquibus assignantur, scilicet, *esse immobile*, & *esse curruptibile*; nam etiam conveniunt aliquibus aliis prædicamentis. Quintam addunt aliqui, scilicet, *per se acquiri per motum localem*, quæ convenit illi in quarto modo.

10 Hoc prædicamentum sic coordinatur, *ubi* est genus supremum, & dividitur in definitivum, & circumscriptivum. *Ubi* definitivum consistit in hoc, quod res contenta sit tota in toto loco, & tota in qualibet parte loci. *Ubi* circumscriptivum consistit in hoc, quod res contenta sit tota in toto loco, & pars in parte lo-

loci. Deinde. *Ubi* cicumscriptivum potest dividi in sex species, iuxta sex differentias loci, scilicet, *sursum, deorsum, ante, retro, dextrorsum*, & *sinistrorsum*.

11 Gilbertus sic *situm* definivit: *est positio partium corporis, & generationis ordinatio*, quæ definitio sic explicatur ab Scotistis: *Situs est relatio extrinsecus adveniens, quam inter se dicunt partes, quæ sunt in loco*. Vnde colligitur, *situm* distingui ab *ubi*, quia *ubi* solum dicit præsentiam rei in loco, *situs* verò positionem partium, & sic invariato situ, potest variari *ubi*, nam si homo sedens transeat ad alium locum, mutatur *ubi*, licet non varietur situs.

12 Duas proprietates huius prædicamenti enumerat Gilbertus, quæ sunt communes aliis prædicamentis, scilicet, *non habere contrarium, neque suscipere magis, & minus*.] & alteram, quam dicit, esse maximè propriam huius prædicamenti, scilicet, quod positio semper competit substantiæ, aliis formis præsuppositis, & ipsam afficientibus. Vbi aliqui advertunt, situm propriè solum convenire corpori animato, nam *situs* est dispositio partium in loco existentium, ut subiectum aptius suas operationes exerceat, & sic seipsum conservet, quapropter dicitur in definitione: *Generationis ordinatio*.

13 Hoc prædicamentum sic coordinatur, *Situs* est genus supremum, quod dividitur in rectum, & flexum, & deinde quodlibet in aliquas species, ut sunt *statio, sessio, recubatio*, &c.

14 Gilbertus sic *habitum* definivit: *Est corporum, & eorum, quæ circa corpus sunt, adiacentia*. Quæ definitio sic explicatur ab Scotistis: *Habitus est relatio extrinsecus adveniens vestiti ad vestem*.

15 Duas proprietates, huius prædicamenti

enumerat Gilbertus, quæ etiam conveniunt aliis prædicamentis, scilicet, *non habere contrarium, neque suscipere magis, & minus*, & aliam tertiam, scilicet, quod ad relationem habitus requiritur, quod unum sit actu in alio.

16 Hoc prædicamentum sic coordinatur. Habitus est genus supremum, quod videtur in esse armatum, & esse vestitum. Deinde hæc dividuntur in plures species habitus, juxta plures species vestium, & armorum. Plura alia ad intelligentiam omnium prædicamentorum in Physica disputantur.

PARS TERTIA

De Postprædicamentis.

1 POstquam egit Arist. de prædicamentis in speciali, per quinque posteriora capita huius tractatus, egit de aliquibus affectionibus illorum, quæ communiter vocantur Postprædicamenta, & sunt modi *oppositionis, prioris, simul motus, & habere*. De quibus cum ipso sigillatim ferè litteram recitando agemus, quia in illis nulla videtur apparere difficultas.

2 Arist. cap. 11. assignavit quatuor modos, seu species *oppositionis*. Prima oppositio dicitur relativa, quæ versatur inter correlativa, ut *pater*, & *filius*. Secunda est contraria, quæ versatur inter qualitates sibi repugnantes in eodem subiecto, ut *calor*, & *frigus*. Tertia dicitur privativa, quæ versatur inter formam, & eius privationem; ut *visus*, & *cecitas*. Quarta dicitur contradictoria, quæ versatur inter illa, quæ repugnant inter se per affirmationem, & negationem; ut *Petrus est albus*, *Petrus non est albus*.

Cap.

3 Cap. 12. assignavit Arist. quinque modos prioris. Primus est, ratione cuius aliquid dicitur prius tempore alio, ut homo, qui hodie nascitur, dicitur prior eo, qui nascetur cras. Secundus est, ratione cuius unum dicitur prius alio, à quo non valet subsistendi consequentia; superius, verb. gratia dicitur prius inferiori, nam licet valeat: *est homo: ergo est animal*; non tamen valet è contra: *est animal*: ergo *est homo*. Tertius est, ratione cujus unum dicitur prius alio in aliquo ordine; in exercitu, verb. gratia Dux dicitur prior cæteris. Quartus est, ratione cujus dignius dicitur prius minus dignis; hoc modo Prælatus in Monasterio solet appellari prior. Quintus est, ratione cuius causa dicitur prior natura effectu, quomodocumque sumatur causa, hoc est, vel physicè, ut pater, respectu filii, non in esse relativo, sed absoluto; vel metaphysicè, ut essentia respectu passionum, seu proprietatum, quæ ab illa dimanant. Sextum modum prioritatis addunt Theologi, scilicet proprietatem originis, qua una persona in divinis dicitur prior altera sine aliqua dependentia. Per oppositum facilè deducitur, tot esse modos posterioritatis, quot sunt prioritatis.

4 Cap. 13. assignat Arist. tres modos simultatis. Primus est, ratione cuius aliqua dicuntur simul tempore, ut quando aliqua in eodem tempore ponuntur in rerum natura. Secundus est, ratione cuius aliqua dicuntur simul natura, quia non solum dicuntur ad convertentiam, sed neque unum est causa alterius, in quo sensu diximus loquendo de relatione *esse simul natura* esse proprietatem relativorum. Tertius est, ratione cuius aliqua dicuntur etiam esse simul natura, quia sunt membra dividentia aliquod genus, unde hæc simultas naturæ non dicitur talis simpliciter, & absolutè, sed cum addito *in participando genus*,

homo, & equus, v. gr. sunt simul natura in participando animal; licet alias unus sit prior alio.

5 Cap. 14. enumerat Arist. sex modos, seu species motus, prout comprehendit, tam motum instantaneum, quam successivum. Primus est, generatio, per quam producitur substantia. Secundus est, corruptio, per quam destruitur substantia. Tertius est, augmentatio, per quam aliqua res acquirit majorem quantitatem. Quartus est, diminutio, per quam aliqua res deperdet partem quantitatis. Quartus est, alteratio, & includit sub se intensionem, quæ est acquisitio qualitatis, & remissionem, quæ est deperditio qualitatis. Sextus est, motus localis, per quam acquiritur *ubi*. Vnde deducitur, tot modis dici quietem, quot dicitur motus, eo quod quies motui opponatur.

6. Cap. 15. enumerat Arist. septem modos habendi. Primus est, habere qualitatem, ut albedinem. Secundus est, habere quantitatem, ut esse bicubitum, &c. Tertius est, habere ea, quæ circumstant, ut habere vestem. Quartus est, habere aliquid in aliqua parte corporis ratione cuius dicitur, totum corpus illud habere, ut habere annulum in manu. Quintus est, habere partes componentes, ut habere caput, manus, &c. Sextus est, habere aliquid per continentiam activam, ut vas continet aquam. Septimus est, habere aliquid per possessionem, ut habere Domum, agrum, &c.

TRA-

TRACTATUS
De Enuntiatione.

POstquam egit Arist. de prædicamentis, tanquam de principiis remotis syllogismi, statim de enuntiationibus, tanquam de materia proxima ipsius syllogismi, tractatum instituit, quem *Periermenias* græcè appellavit; latinè verò, *libros de interpretatione*, prout interpretatio dicit vocem articulatam significantem, aliquid esse, vel non esse, seu verum, vel falsum; non quia finis huius tractatus sit agere de enuntiatione vocali; sed quia de illa egit Arist. tanquam de signo enuntiationis mentalis, quæ propriè, & rigorosè dicitur enuntiatio. Plura, ad præsens institutum pertinentia, in summulis disputavimus: unde solum restat sequens difficultas.

DISP. ET QUÆST. UNICA.

An enunciatio possit transire de vera in falsam, & è contra.

1 SUpponitur, veritatem, ut ad præsens attinet, consistere in conformitate actus intellectus enunciantis cum obiecto enunciato: hæc enim enunciatio: *homo est animal*, est vera, quia enunciatur obiectum, sicut se habet a parte rei: falsitatem autem consistere in non conformitate actus intellectus enunciantis cum obiecto enunciato; hæc enim enunciatio: *homo est lapis*, est falsa, quia non enunciatur obiectum, sicut se habet a parte rei, seu non se habet a parte rei obiectum, sicut enunciatur ab intellectu.

2 Supponitur etiam, quod difficultas non

procedit de enunciationibus, quæ fiunt in materia necessaria, vel remota, certum enim est, prædictas propositiones, si sint affirmativæ in materia necessaria, & negativæ in materia remota, esse necessariò veras, & sic nullatenus posse transire in falsas, si autem sint negativæ in materia necessaria, & affirmativæ in materia remota, esse necessariò falsas, & sic nullatenus posse transire in veras. Difficultas ergo solùm procedit de enunciationibus, quæ fiunt in materia contingenti, utrum, v. g. hæc propositio: *Petrus currit* possit, eadem numero manens, transire de vera in falsam; Partem affirmativam tenet Mastrius hic quæst. 2. art. 2. Partem verò negativam tenet Poncius disp. 19. Logicæ, quæst. 3. & Meron hic quæst. 3. Assertione 4. Apud prædictos possunt videri plures Authores pro utraque sententia, quæ si rectè inspiciatur, videtur æquè probabilis, ut autem aliquam partem determinatè proponamus.

3. Dicimus: eadem numero propositio, in sensu dicto, nequit transire de vera in falsam. Probatur; quia quando aliquis profert hanc propositionem: *Petrus currit*, vel intelligit, quòd currat pro aliqua parte detrminati temporis, v. g. unius horæ, indeterminatè; vel quòd currat pro toto aliquo tempore determinato, v. g. pro tota hora, nam cùm propositio sit de præsenti, aliquo ex prædictis modis necessariò debet intelligi: sed neutro modo potest propositio transire de vera in falsam: ergo. Prob. min. quia si primo modo intelligatur, propositio erit vera, si pro aliqua parte illius temporis Petrus currat, sive pro aliis partibus currat, sive non; si autem pro nulla parte illius temporis currat, propositio erit falsa. Si verò intelligatur secundo modo; propositio erit vera, si Petrus currat pro toto illo tempore; si autem non currat pro toto illo tempore, licet

pro

pro aliqua parte ipsius temporis currat, propositio erit falsa; ergo nullo modo prædicta propositio potest transire de vera in falsam, vel è contra.

4 Confirmatur, & simul statuitur fundamentum sententiæ, quia hæc versatur differentia inter enunciationem indefinitam, seu indeterminatam in materia contingenti; & enunciationem indefinitam, & indeterminatam in materia necessaria, quòd enunciatio in materia necessaria expressa per verbum *est*, ampliatur ad omnem durationem, scilicet, ad tempus præteritum, præsens, futurum, ut patet in hac enunciatione: *homo est animal rationale*; quia nullo tempore potest homo existere, quin sit animal rationale, quapropter prædicta enunciatio, & aliæ similes dicuntur æternæ veritatis, at verò enunciatio in materia contingenti expressa per verbum *est*, non sic ampliatur, imò restringitur ad aliquam determinatam differentiam temporis, in hac enim propositione: *Petrus currit*, quæ idem valet, ac *Petrus est currens*: verbum *est* restringitur ad tempus præsens.

5 Ratio huius est, quia eodem modo loquendum est de ampliatione, aut restrictione verbi in propositionibus, quo loquitur de ampliatione, & restrictione subiecti, servata proportione, iuxta materiæ diversitatem. Unde sequitur, quòd sicut, quotiescumque propositio indefinita sit in materia necessaria, æquivalet propositioni universali, nam idem est dicere; *homo est animal rationale*, ac dicere; *Omnis homo est animal rationale*; & sicut quoties sit in materia contingenti, æquivalet propositioni particulari, nam idem est dicere; *homo currit*, ac dicere; *aliquis homo currit*. Ita similiter propositio indeterminata, seu indefinita in materia necessaria, ratione verbi, correspondet omnibus temporis differentiis universaliter,

ita

tia ut idem sit dicere; *homo est animal rationale*, ac dicere: *homo, pro quacunque differentia temporis, est animal rationale*: propositio verò indeterminata in materia contingenti, ratione verbi, correspondet alicui tantum differentiæ temporis, licet indeterminatè, ita ut idem sit dicere: *homo currit*: ac dicere *homo pro aliqua differentia temporis, currit*. Unde sequitur, quòd sicut hæc propositio: *aliquis homo currit*, est determinate vera, si unus homo currat, sive alii homines currant, sive non, & sic nullatenus potest esse falsa, & est determinatè falsa, si nullus homo currat, & sic nullatenus potest esse vera, ita similiter, hæc propositio: *Petrus currit*, sic indefinitè prolata ex parte verbi, quo sensu, idem est, ac dicere: *Petrus pro aliqua differentia temporis currit*, erit determinatè falsa, si Petrus, pro nulla differentia temporis currat, & erit determinatè vera si pro aliqua differentia temporis, currat, sive pro aliis differentis temporis currat, sive non, & sic nullatenus potest transire de vera in falsam, vel è contra. Facilè quælibet argumenta solventur, si quod dictum est, benè percipiatur: Aliqua tamen proponemus.

6 Arg. 1. Si aliquis judicaret, Petrum currere, v.g. conservaret illud iudicium pro una hora, casu quo Petrus pro prima dimidia hora curreret, propositio esset vera, & casu, quo pro altera dimida hora non curreret, propositio esset falsa: ergo iam transiret propositio de vera in falsam. Resp. nullatenus posse aliquem habere prædictum iudicium de præsenti, nisi pro aliquo tempore, vel determinatè, vel indefinitè, hoc est, vel ita quòd affirmet, Petrum currere pro tota hora determinatè, & sic propositio, in casu dicto, esset absolutè falsa, vel ita quòd affirmet, Petrum currere pro aliqua parte illius horæ, & sic propositio esse absolutè vera. Unde neg. conseq.

7 Dices: prædictum iudicium, pro primo instanti esse iudicium asserens, Petrum currere pro illo primo instanti, si autem conservetur pro alio instanti, esse iudicium asserens, Petrum currere pro illo alio instanti; ergo si Petrus currat pro primo instanti; & non pro secundo, iudicium transibit de vero in falsum. Resp. neg. quòd in hypotesi sit idem num. iudicium, nam cùm propositiones de materia contingenti dependeant à tempore, iudicium asserens, Petrum currere primò instanti determinatè, nequit esse iudicium asserens, Petrum currere pro alio sequenti instanti, sicut iudicium asserens, aliquod individuum determinatum currere, nequit esse iudicium asserens, aliud individuum currere.

8 Arg. 2. Si intellectus iudicaret, ex aliquo motivo probabili, Petrum currere, non determinando tempus, & perseveraret in illo iudicio per spatium unius horæ, v. g. si Petrus curreret in prima parte, & non in secunda parte horæ, propositio esset conformis obiecto, pro prima parte horæ, & sic vera, & non esset conformis obiecto pro secunda parte horæ, & sic falsa; ergo transiret de vera in falsam. Resp. neg. ant. nam tale iudicium nullatenus esset conforme obiecto; quia cùm ut dictum est, propositiones contingentes dependent à tempore, tempus aliquomodo includitur in obiecto, in tali hypothesi, obiectum illius iudicii esset cursus Petri pro omnibus partibus horæ coniunctivè, & cùm ad veritatem propositionis coniunctivæ requiratur veritas utriusque partis, hinc est, quòd licet pro prima parte horę videatur, prædictum iudicium habere veritatem, cùm tamen illam non habeat pro secunda parte horæ, tota propositio coniunctiva est falsa, sicut hæc propositio; *homo est animal, & brutum* est absolutè falsa, eo quòd sit coniunctiua, licet pro prima parte sit vera.

9 Arg-

9 Arg. 2. Propositio de præsenti non consignificat aliud instans, nisi illud, quod est, quando propositio est; ergo si quis conservaret hanc propositionem; *Petrus currit, in hoc instanti*, pro instanti sequenti significaret per eadem propositionem, Petrum currere, pro illo sequenti instanti: ergo si Petrus curreret pro primo instanti, & non pro sequent, eadem propositio, quæ pro primo instanti erat vera, pro secunda esset falsa. Resp. neg. suppositum; scilicet, quòd sit eadem propositio; nam in hypothesi, variatur instans determinatum, & sic variatur illa determinata propositio, cùm ut talis, dependeat ab instanti determinato, licet in nomine eadem propositio appareat; sicut non est eadem propositio, qua ego affirmo, v. g. Petrum currere, loquendo de uno individuo determinato, ac propositio, qua affirmo, Petrum currere, loquendo de alio individuo determinato, licet in nomine, eadem propositio appareat, eo quòd in re varietur subiectum, sicut in supradicta propositione variatur instans.

10 Arg. 4. Conclusio opponitur Arist. qui cap. de substantia, tenet veritatem, & falsitatem accidentaliter convenire propositioni. Idem tenet Scotus in 4. dist. 8. quæst. 2. ergo. Resp. neg. quòd conclusio opponatur Arist. nam ad hoc, quòd veritas, & falsitas accidentaliter conveniant propositioni, non requiritur, quòd propositio possit transire de vera in falsam, sed sufficit, quòd propositio, quæ nunc est vera, posset in eodem instanti esse falsa, quòd certè contingere potuit, hæc enim propositio *Petrus currit*, quæ in instanti, in quo sit, est vera, si pro illo instanti Petrus currit, esset falsa, si pro eodem instanti Petrus non curreret, quod evenire poterat, eo quòd cursus contingenter convenit Petro, in quo distinguitur propositio de materia contingenti à propositionibus

de

de materia necessaria, & remota, eo quod his prædicatum non convenit contingeret, sed necessario, vel repugnantes, unde propositio, quæ est vera, non potuit in eodem instanti esse falsa, neque propositio, quæ est falsa, potuit in eodem instanti esse vera. Hinc facilè deducitur, quomodo veritas, & falsitas conveniant propositioni.

TRACTATUS

De Demonstratione.

IN libris Priorum egit Aristot. de syllogismo quoad formam, de quo cum ipso egimus lib. 3. Sumul. In libris Posteriorum egit de demonstratione, & de partibus illius, & nos similiter agimus in præsenti. Sit ergo

DISPUT. UNICA.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit demonstratio?

1 DIcimus 1. pro primo, quod inquirit questio: *Demonstratio est syllogismus scientialis, seu faciens scire.* Vel; *demonstratio est syllogismus procedens ex veris, primis, & immediatis, prioribus, notioribus, & causis conclusionis.* Vtraque definitio traditur ab Arist. 1. Posteriorum cap. 2. Prima rectè explicat demonstrationem per effectum, quia in hoc distinguitur demonstratio a syllogismo topico, & sophistico, quod demonstratio generat scientiam, syllogismus topicus generat opinionem, & syllogismus sophisticus generat errorem.

Secun-

Secunda rectè explicat demonstrationem per partes, ex quibus componitur, in quo etiam distinguitur ab aliis syllogismis. Particulæ huius definitionis ex se satis constat, solum est advertendum, quod ly *primis* denotat demonstrationem procedere ex primis principiis, id est, in demonstrabilibus ly *prioribus* denotat, quod præmissæ debent esse ex natura sua priores conclusione. Vnde constat, quod Arist. tantum definivit demonstrationem *propter quid*, seu, *a priori*; non autem demonstrationem *quia*, seu, *a posteriori*; quia hæc, ut infra dicemus, non procedit ex primis, immediatis, notioribus, & prioribus.

2 Dicimus 2. pro secundo, quòd inquirit quæstio, demonstratio dividitur in demonstrationem *propter quid*, seu *a priori*, & in demonstrationem *quia*, seu *a posteriori*. Demonstratio *pro pter quid*, seu, *a priori* dicitur illa, quæ non solum demonstrat, prædicatum convenire subjecto, sed etiam ostendit causam, propterquam illi convenit, ut quando per essentiam demonstratur passio, ut cum dicimus: *Omne rationale est risibile; Petrus est rationalis*; ergo *Petrus est risibilis*. Demonstratio *quia*, seu, *a posteriori* dicitur illa, quæ tantum denotat prædicatum convenire subiecto, non tamen ostendit, convenire illi propter aliquam causam, imo est demonstratio causæ per effectum, ut cum dicimus: *Omne risibile est rationale; Petrus est risibilis*: ergo *Petrus est rationalis*. Vnde facile cognoscitur, hanc divisionem esse adęquatum, quia quod demonstratur, vel demonstratur per aliquid, quod sit prius illo, & sic est demonstratio *a priori*, vel per aliquid quod sit posterius illo, & sic est demonstratio *a posteriori*: sed nequit assignari aliud medium per quod aliquid demonstretur: ergo talis divisio est adæquata.

3 Vbi advertendum est, quod quando passio, seu proprietas mediata demonstratur per pas-

passionem, seu proprietatem immediatam, reducitur ad demonstrationem *à priori*; ut cum dicimus: *Omne admirativum est risibile: Petrus est admirativus*; ergo *Petrus est risibilis*. Si autem è contra contingat reducitur ad demonstrationem *a posteriori*. Advertendum est etiam, quod quando definitio assumitur pro medio ad aliquid demonstrandum, demonstratio dicitur potissima, quia definitio est potissima causa illius, quod demonstratur, vel quia definitioni convenit, esse quid prius, & notius omnibus aliis, quæ in demonstratione possunt inveniri.

4 Dubitabis; an prædicta divisio sit generis in species? Resp. quod ratione formæ non est divisio generis in species; eadem enim forma syllogistica potest inveniri in demonstratione *a priori*, & *a posteriori*, ut patet ex dictis in summulis. Ratione verò materiæ potest dici divisio generis in species; nam duæ prædictæ demonstrationes conveniunt in ratione demonstrationis, & differunt essentialiter, quia constat diversis principiis, & diversis mediis, quæ sunt materia demonstrationis. Unde sequitur, quod demonstratio genericè seu in communi sumpta, ut sub se comprehendit prædictas duas species, sic potest definiri: *Demonstratio est sillogismus constans præmissis certis, & evidentibus, ex eisque certo, & evidenter inferens consequentiam.*

QUÆSTIO II.

De præcognitis, & præcognitionibus demonstrationis.

1 PRæcognita dicuntur illa, quæ ante demonstrationem cognoscuntur, & sunt subiectum conclusionis demonstrativæ, prædicatum ipsius, & principium, scilicet præmissæ,

d
n
co
in
p
d
l
i
i
i
ſl

ſi
ar
in
li
&
in
di
&
fer
diſi
rio
gn
lin
arb

ri , hæc enim neceſſar
demonſtrationem ,
demonſtratiuæ aſſentiam
nequit dari talis aſſenſus
cognoſcantur , in quarum
ter includitur cognitio c
ſi ſubiectum , & prædic
nis non præcognoſcerent
cum medio : neque in c
poſſent ſubiici , & prædic
debeat præcognoſci defin
in demonſtratione potiſſ
mur , tamen non nume
bus prædictis præcognit
non ſe habet, ut res, ſed
medius inter præcognitio
cognita , numerari pote
nam in demonſtratione
ſicut ponuntur ſubiectu
concluſione, cognitio ill
tione præmiſſarum, ſeu p
tur reduci ad quæſtionem
illud teneat communiter
hic .

1 *Præcognitiones non a*
ctas, qui ſunt cognitiones
cognoſcuntur de ſupradict
demonſtrationem , quæ
ſcit, *an ſit?* & *quid ſit?*
quæ de qualibet re poſſunt
ſit? Quid ſit? Qualis ſit? &
men hæc duo ultima per
gnoſcuntur , nam cum de
... & denotetur ratio
... conveniat, *Qualis ſit?* S
... præcognoſci. Adve
... vel potest inqu
... potest inqu
... Sim
... naturæ, S

nomen? Vel potest inquiri de re, & id sit res? Nunc est difficultas, quæ ræcognitionibus debeant cognosci radictis præcognitis ante demon-

s 1. de principio, seu præmissis non tur, *quid sit*? sed tantum, *an sit*? do de re, quam de veritate. Prima uia *quid sit*? Inquirit essentiam, seu n rei, sed præmissæ, cùm sint quid, nequeunt definiri: ergo nequit ecognosci, *quid sit*? Secunda pars, quia veritas conclusionis infertur præmissarum: ergo debet præcoas præmissarum, sed nequit coveritas quin cognoscatur in re esse ergo de principio, seu præmissis gnosci, *an sit*? Tam loquando de veritate.

s 2. de subiecto debet præcognosci, d *sit*? Probatur prima pars, quia ebet præcognosci, ut aptum ad lo enuncietur passio, sed de illo, esset habet, nequit aliqua passio rgo de subiecto debet præcogno- Quod non debet intelligi de exisufficit, quod cognoscatur possibitur secunda pars, quia definitio d demonstrandam passionem: ergo gnosci de subiecto, de quo de- passio, sed per definitionem respon- *sit*: ergo de subiecto debet præco-

3. de prædicato, seu passione tan- præcognosci *quid sit nomen*? seu gnificet? Probatur, quia existen- sibilitas passionis nequit cognosci ne ad subiectum, sed hæc ostendinstratione: ergo nequit de passio- osci, *an sit res*? & consequenter ne-

de p
conseque

neque *quid sit res* ? quia *quid sit* ? semper præsupponit, *an sit* ? Deinde si ignoretur quid significet nomen passionis, v.g. risibilitas, nullatenus poterit demonstrari de homine : ergo necessario debet præcognosci de passione *quid nomen significet*? Ubi adverte, quod sufficit cognitio confusa significationis, seu rei significatæ per nomen, non autem requiritur cognitio clara, quia hæc nequit haberi, quin cognoscatur *an sit*? & *quid sit*? loquendo de re. Cùm quo potest responderi ad aliqua argumenta.

QUÆSTIO III.

Quomodo præmissæ concurrant ad assensum conclusionis?

1 PRæmissæ, & similiter conclusio, possunt accipi, vel formaliter, ut dicunt actus intellectus, vel materialiter, ut dicunt obiecta prædictorum actuum disposita in forma syllogistica. In hoc secundo sensu non procedit difficultas, omnes enim fatentur, præmissas in genere causæ materialis posse dici causam conclusionis quia termini præmissarum sunt etiam termini, seu extrema conclusionis. Possunt etiam præmissæ, materialiter sumptæ, dici aliquomodo causa efficiens conclusionis; quia medium præmissarum, quod in potissima demonstratione est definitio, seu essentia subiecti, est quasi causa efficiens passionis, quæ in conclusione prædicatur de subiecto. Difficultas autem procedit de præmissis formaliter sumptis.

2 Aliqui negant causalitatem præmissarum, respectu conclusionis, præter causalitatem assignatam de præmissis materialiter sumptis. Communior tamen sententia asserit, quod præmissæ concurrunt simul cum intellectu in genere

re

re causæ efficientis ad assensum conclusionis; eo modo, quo obiectum concurrit simul cum intellectu ad sui notitiam, vel per se immediatè, vel media sua specie. Videatur Mastrius in Log. disp. 11. quæst. 3. ubi adducit aliquos Authores.

3 Dicimus 1. Præmissæ modo dicto, in genere causæ efficientis causant conclusionem. Pro hac conclusione citatur Scotus quæst. 1. prologi; §. *Ad secundum*, & in 1. dist. 3. quæst. 7. lit. A. & §. *Ad quæstionem*: quibus in locis loquitur de causalitate obiecti, respectu intellectionis.

4 Probatur 1. quia in præmissis inveniuntur omnia signa, quibus à posteriori arguitur, aliquid esse causam effectivam alterius, nam præmissæ continent virtualiter conclusionem, & conclusio assimilatur præmissis, ita ut si præmissæ sunt necessariæ, certæ, & evidentes, etiam conclusio est necessaria, certa, & evidens. Deinde conclusio essentialiter dependet à præmissis, ita ut sit impossibile, intellectum efficere conclusionem, quin præmissę sint in ipso intellectu; conclusio enim, ut conclusio, dicit ordinem essentialem ad præmissas, unde si intellectus absque præmissis aliquam eliceret propositionem, talis propositio non esset conclusio, quia conclusio est scientia, & propositio elicita, absque præmissis, non est scientia: ergo præmissa in genere causæ efficientis concurrunt ad conclusionem.

5 Probatur 2. Quia quòd constituit potentiam in actu primo, concurrit efficienter cum illa ad actum secundum, sed præmissæ constituunt intellectum in actu primo potentem elicere conclusionem: ergo præmissæ concurrunt efficienter cum intellectu ad conclusionem, & consequenter ex intellectu, & præmissis, ut causis partialibus, constituitur causa totalis effectiva conclusionis.

6 Re-

6 Respondent aliqui, præmissas tantùm esse conditiones, ut intellectus conclusionem eliciat, non autem causam partialem ad producendam conclusionem simul cum intellectu. Sed contra est primo, quia differentia essentialis effectus nequit provenire originativè, nisi ab eo quòd est causa efficiens, sed per præmissas differunt essentialiter originativè conclusiones, conclusio enim probabilis differt essentialiter à conclusione necessaria, eo quòd præmissæ essentialiter differunt; ergo præmissæ non sunt conditiones, sed veræ causæ efficientes conclusionis. Secundò, quia effectus non assimilatur conditioni requisitæ ad productionem illius, sed veræ causæ illius productivæ; sed conclusio assimilatur præmissis, ut supra dictum est; ergo præmissæ non sunt conditio requisita, sed vera causa productiva conclusionis.

7 Arg. 1. Conclusio vera se sola potest movere intellectum ad sui cognitionem; ergo præmissæ non concurrunt efficienter ad assensum illius. Resp. disting. antec. conclusio, ut conclusio est, se sola potest movere intellectum ad sui cognitionem, nego, ut quædam propositio est præcisè, concedo. Etenim conclusio, ut propositio est præcisè, nullum ordinem dicit ad præmissas, & sic potest cognosci sine illis; at verò, ut conclusio est, dicit ordinem essentialem ad præmissas, & sic nequit movere intellectum ad sui cognitionem sine præmissis.

8 Arg. 2. In hoc enthymemate; *Omne animal rationale est homo*; ergo *Christus est homo*, consequens non causatur ab antecedenti, cùm consequens sit supernaturale, & de fide, antecedens verò naturale, supernaturale autem nequit à naturali causari, alias effectus esset perfectior sua causa, quod nequit dici; ergo præmissæ non causant efficienter conclusionem. Resp. quòd in prædicto enthymemate subintelligitur hæc propositio minor; *Christus est animal rationale*,

quæ

quæ est supernaturalis, & de fide, unde benè potest causari à præmissis prædicta conclusio supernaturalis, quin sequatur effectum esse perfectiorem sua causa.

9 Arg. 3. Sicut requiritur assensus præmissarum ad assensum conclusionis, ita requiritur simplex apprehensio ad judicium, & actus intellectus ad actum voluntatis, sed neque apprehensio est causa judicii, neque actus intellectus est causa actus voluntatis, sed tantùm sunt conditiones requisitæ: ergo idem dicendum est de præmissis respectu conclusionis. Resp. neg. paritatem, quia exigentia apprehensionis ad judicium, & actus intellectus ad actum voluntatis se habet per modum applicationis obiecti, ut dicetur in libris de Anima, præmissæ verò se habent per modum vis illativæ, & impulsivæ, respectu conclusionis, & sic non est conditio, sed causa effectiva ipsius conclusionis.

10 Dicimus 2. Præmissæ sunt causæ efficientes conclusionis, vel immediatè per se ipsas, vel per suas species. Hæc conclusio ex ipsis terminis patet, quia cùm præmissæ, in causando conclusionem, se habeant ad modum, quo obiectum est causa notitiæ, & hoc causat notitiam, vel per se ipsum immediatè, si sit proportionatum potentiæ, vel per suam speciem, idem videtur dicendum de præmissis, respectu conclusionis. Solùm est difficultas, an præmissæ existant, quando existit assensus conclusionis? Nam si tunc existant, dicendum est, ipsas immediatè causare conclusionem. Si autem non existant, dicendum est, ipsas non immediatè, sed mediis suis speciebus derelictis in intellectu, conclusionem causare.

11 Aliqui dicunt, præmissas non existere, quando existit conclusio, quia ut tenet Arist. 2. Topic. cap. 4. intellectus nequit habere plures actus simul. Alii autem dicunt, præmissas exi-

existere, quando existit conclusio, quia licet intellectus nequeat simul habere plures actus disparatos, seu nullam inter se connexionem dicentes, tamen potest simul plures actus inter se essentialiter connexos, ut sunt assensus præmissarum, & conclusionis habere, & ita dicunt, debet intelligi Arist. Utrumque est probabile.

12 Ex dictis colligitur, assensum conclusionis realiter distingui ab assensu præmissarum, cùm causa à suo effectu realiter distinguatur, & præmissæ, ut dictum est, sint causæ conclusionis.

13 Dubitabis, an posito assensu præmissarum, ita necessitetur intellectus ad assensum conclusionis demonstratæ, ut nequeat illi non assentiri? Resp. affirmativè. Probatur, quia potentia naturalis distinguitur à libera in eo quòd potentia libera, positis omnibus requisitis ad agendum, potest non ponere suum actum, potentia verò naturalis, positis omnibus requisitis, nequit non ponere suum actum; sed intellectus est potentia naturalis; ergo positis omnibus requisitis, nequit non ponere suum actum, sed posito assensu præmissarum, ponuntur omnia requisita ad agendum; ergo posito assensu præmissarum, nequit intellectus non ponere assensum conclusionis, & consequenter necessitatur ad assentiendum conclusioni.

14 Confirmatur, quia nequit potentia visiva non videre suum objectum debitè approximatum, eo quòd sit potentia naturalis; ergo nequit intellectus non assentiri conclusioni debitè propositæ, cùm etiam sit potentia naturalis, sed posito assensu conclusionis, debitè proponitur intellectui conclusio; ergo posito assensu præmissarum, nequit intellectus non assentiri conclusioni. Ubi adverte, quòd sicut nequit voluntas impedire visionem objecti debitè propositi, nisi ponendo aliquod impedimentum ex

parte

parte potentiæ, ita nequit impedire assensum conclusionis, nisi ponendo aliquod impedimentum ex parte intellectus, scilicet, removendo illum ab objectis, seu à cognitione præmissarum, & proponendo illi alia objecta, circa quæ suas operationes exerceat, sed hoc non est contra nos, quia tantùm loquimur ex suppositione, quòd intellectus rectè cognoscat præmissas, & ipsis assentiatur.

15 Arg. contra, in intellectu datur habitus ad faciliter assentiendum conclusioni, sed frustraneus esset talis habitus, si intellectus ex assensu præmissarum necessitaretur ad assensum conclusionis; ergo non sic necessitatur. Resp. neg. min. nam talis habitus ponitur in intellectu ad faciliter disponendas præmissas in forma syllogistica in ordine ad eliciendam conclusionem, cùm sit habitus Logicæ facilitans intellectum ad cognitionem artis syllogisticæ, qua cognitione posita ex parte præmissarum, necessitatur intellectus ad assensum conclusionis. Si autem detur habitus scientiæ, in qua fit demonstratio, v. g. Physicæ, talis habitus facilitat intellectum ad conclusionem tantum materialiter sumptam, seu quatenus conclusio versatur circa objectum talis scientiæ, non verò formaliter, seu in ratione formali consequentiæ deductæ ex præmissis.

QUÆSTIO IV.

Utrùm præmissa demonstrationes debeant esse veriores, certiores, & evidentiores conclusione?

1 SUpponitur, quòd veritas est conformitas actus intellectus cum objecto enuntiato, ut dictum est disp. de enuntiat. num. 1. Evidentia verò est clara, & distincta cognitio rei

Secunda rectè explicat demonstrationem per partes, ex quibus componitur, in quo etiam distinguitur ab aliis syllogismis. Particulæ huius definitionis ex se satis constat, solum est advertendum, quod ly *primis* denotat demonstrationem procedere ex primis principiis, id est, in demonstrabilibus ly *prioribus* denotat, quod præmissæ debent esse ex natura sua priores conclusione. Vnde constat, quod Arist. tantum definivit demonstrationem *propter quid*, seu, *a priori*; non autem demonstrationem *quia*, seu, *a posteriori*; quia hæc, ut infra dicemus, non procedit ex primis, immediatis, notioribus, & prioribus.

2 Dicimus 2. pro secundo, quòd inquirit quæstio, demonstratio dividitur in demonstrationem *propter quid*, seu *a priori*, & in demonstrationem *quia*, seu *a posteriori*. Demonstratio *propter quid*, seu, *a priori* dicitur illa, quæ non solum demonstrat, prædicatum convenire subjecto, sed etiam ostendit causam, propterquam illi convenit, ut quando per essentiam demonstratur passio, ut cum dicimus: *Omne rationale est risibile; Petrus est rationalis*; ergo *Petrus est risibilis*. Demonstratio *quia*, seu, *a posteriori* dicitur illa, quæ tantum denotat prædicatum convenire subiecto, non tamen ostendit, convenire illi propter aliquam causam, imo est demonstratio causæ per effectum, ut cum dicimus: *Omne risibile est rationale; Petrus est risibilis*: ergo *Petrus est rationalis*. Vnde facile cognoscitur, hanc divisionem esse adęquatum, quia quod demonstratur, vel demonstratur per aliquid, quod sit prius illo, & sic est demonstratio *a priori*, vel per aliquid quod sit posterius illo, & sic est demonstratio *a posteriori*: sed nequit assignari aliud medium per quod aliquid demonstretur: ergo talis divisio est adæquata.

3 Vbi advertendum est, quod quando passio, seu proprietas mediata demonstratur per

pas-

passionem, seu proprietatem immediatam, reducitur ad demonstrationem *à priori*; ut cum dicimus: *Omne admirativum est risibile*: *Petrus est admirativus*; ergo *Petrus est risibilis*. Si autem è contra contingat reducitur ad demonstrationem *a posteriori*. Advertendum est etiam, quod quando definitio assumitur pro medio ad aliquid demonstrandum, demonstratio dicitur potissima, quia definitio est potissima causa illius, quod demonstratur, vel quia definitioni convenit, esse quid prius, & notius omnibus aliis, quæ in demonstratione possunt inveniri.

4 Dubitabis; an prædicta divisio sit generis in species? Resp. quod ratione formæ non est divisio generis in species; eadem enim forma syllogistica potest inveniri in demonstratione *a priori*, & *a posteriori*, ut patet ex dictis in summulis. Ratione verò materiæ potest dici divisio generis in species; nam duæ prædictæ demonstrationes conveniunt in ratione demonstrationis, & differunt essentialiter, quia constat diversis principiis, & diversis mediis, quæ sunt materia demonstrationis. Vnde sequitur, quod demonstratio genericè seu in communi sumpta, ut sub se comprehendit prædictas duas species, sic potest definiri: *Demonstratio est sillogismus constans præmissis certis, & evidentibus, ex eisque certo, & evidenter inferens consequentiam.*

QUÆSTIO II.

De præcognitis, & præcognitionibus demonstrationis.

1 PRæcognita dicuntur illa, quæ ante demonstrationem cognoscuntur, & sunt subiectum conclusionis demonstrativæ, prædicatum ipsius, & principium, scilicet præmissæ,

missæ, hæc enim necessario debent præcognosci ante demonstrationem, quia cum conclusioni demonstrativæ assentiamur propter præmissas, nequit dari talis assensus, quin prius præmissæ cognoscantur, in quarum cognitione virtualiter includitur cognitio conclusionis. Deinde si subiectum, & prædicatum ipsius conclusionis non præcognoscerentur, neque in præmissis cum medio: neque in conclusione inter se, possent subiici, & prædicari. Licet autem etiam debeat præcognosci definitio, quæ est medium in demonstratione potissima, de qua hic loquimur, tamen non numeratur separatim a tribus prædictis præcognitis, & quia definitio non se habet, ut res, sed ut ratio rei, ideoque melius inter præcognitiones, quam inter præcognita, numerari potest, & quia cum non ponatur in demonstratione separatim a præmissis, sicut ponuntur subiectum, & prædicatum in conclusione, cognitio illius includitur in cognitione præmissarum, seu principii. Sed hoc videtur reduci ad quæstionem de nomine, sic tamen illud tenent communiter Philosophi cum Arist. hic.

1 Præcognitiones non dicuntur actus intellectus, qui sunt cognitiones formales, sed ea, quæ cognoscuntur de supradictis præcognitis, ante demonstrationem, quæ tantum sunt duæ, scilicet, *an sit*? & *quid sit*? nam licet sint quatuor, quæ de qualibet re possunt inquiri, scilicet, *an sit*? *Quid sit*? *Qualis sit*? & *propter quid sit*? Tamen hæc duo ultima per demonstrationem cognoscuntur, nam cum demonstretur passio de subiecto, & denotetur ratio propter quam subiecto conveniat, *Qualis sit*? & *propter quid sit*? Non debent præcognosci. Advertendum tamen est, quod *an sit*? vel potest inquiri de re, & dicitur, *an sit res*? Vel potest inquiri de veritate, & dicitur; *an sit veritas*? Similiter, *quid sit*? Vel potest inquiri de nomine, & dicitur; *quid sit*;

seu

seu significet nomen? Vel potest inquiri de re, & dicitur, *quid sit res*? Nunc est difficultas, quænam ex his præcognitionibus debeant cognosci de tribus supradictis præcognitis ante demonstrationem?

3 Dicimus 1. de principio, seu præmissis non præcognoscitur, *quid sit*? sed tantum, *an sit*? Tam loquendo de re, quam de veritate. Prima pars patet, quia *quid sit*? Inquirit essentiam, seu definitionem rei, sed præmissæ, cùm sint quid complexum, nequeunt definiri: ergo nequit de illis præcognosci, *quid sit*? Secunda pars etiam patet, quia veritas conclusionis infertur ex veritate præmissarum: ergo debet præcognosci veritas præmissarum, sed nequit cognosci talis veritas quin cognoscatur in re esse præmissas: ergo de principio, seu præmissis debet præcognosci, *an sit*? Tam loquando de re: quam de veritate.

4 Dicimus 2. de subiecto debet præcognosci, *an sit*? & *quid sit*? Probatur prima pars, quia subiectum debet præcognosci, ut aptum ad hoc, ut de illo enuncietur passio, sed de illo, quod nullum esset habet, nequit aliqua passio enunciari: ergo de subiecto debet præcognosci, *an sit*? Quod non debet intelligi de existentia, sed sufficit, quod cognoscatur possibilitas. Probatur secunda pars, quia definitio est medium ad demonstrandam passionem: ergo debet præcognosci de subiecto, de quo demonstratur passio, sed per definitionem respondetur ad *quid sit*: ergo de subiecto debet præcognosci *quid sit*:

5 Dicimus 3. de prædicato, seu passione tantùm debet præcognosci *quid sit nomen*? seu; *quid nomen significet*? Probatur, quia existentia, vel possibilitas passionis nequit cognosci sine habitudine ad subiectum, sed hæc ostenditur in demonstratione: ergo nequit de passione præcognosci, *an sit res*? & consequenter ne-

neque *quid sit res*? quia *quid sit*? semper præsupponit, *an sit*? Deinde si ignoretur quid significet nomen passionis, v.g. risibilitas, nullatenus poterit demonstrari de homine: ergo necessario debet præcognosci de passione *quid nomen significet*? Ubi adverte, quod sufficit cognitio confusa significationis, seu rei significatæ per nomen, non autem requiritur cognitio clara, quia hæc nequit haberi, quin cognoscatur *an sit*? & *quid sit*? loquendo de re. Cùm quo potest responderi ad aliqua argumenta.

QUÆSTIO III.

Quomodo præmissa concurrant ad assensum conclusionis?

1 PRæmissa, & similiter conclusio, possunt accipi, vel formaliter, ut dicunt actus intellectus, vel materialiter, ut dicunt obiecta prædictorum actuum disposita in forma syllogistica. In hoc secundo sensu non procedit difficultas, omnes enim fatentur, præmissas in genere causæ materialis posse dici causam conclusionis quia termini præmissarum sunt etiam termini, seu extrema conclusionis. Possunt etiam præmissæ, materialiter sumptæ, dici aliquomodo causa efficiens conclusionis; quia medium præmissarum, quod in potissima demonstratione est definitio, seu essentia subiecti, est quasi causa efficiens passionis, quæ in conclusione prædicatur de subiecto. Difficultas autem procedit de præmissis formaliter sumptis.

2 Aliqui negant causalitatem præmissarum, respectu conclusionis, præter causalitatem assignatam de præmissis materialiter sumptis. Communior tamen sententia asserit, quod præmissæ concurrunt simul cum intellectu in genere

re

re causæ efficientis ad assensum conclusionis; eo modo, quo obiectum concurrit simul cum intellectu ad sui notitiam, vel per se immediatè, vel media sua spetie. Videatur Mastrius in Log. disp. 11. quæst. 3. ubi adducit aliquos Authores.

3 Dicimus 1. Præmissæ modo dicto, in genere causæ efficientis causant conclusionem. Pro hac conclusione citatur Scotus quæst. 1. prologi §. *Ad secundum*, & in 1. dist. 3. quæst. 7. lit. A. & §. *Ad quæstionem*: quibus in locis loquitur de causalitate obiecti, respectu intellectionis.

4 Probatur 1. quia in præmissis inveniuntur omnia signa, quibus à posteriori arguitur, aliquid esse causam effectivam alterius, nam præmissæ continent virtualiter conclusionem, & conclusio assimilatur præmissis, ita ut si præmissæ sunt necessariæ, certæ, & evidentes, etiam conclusio est necessaria, certa, & evidens. Deinde conclusio essentialiter dependet à præmissis, ita ut sit impossibile, intellectum efficere conclusionem, quin præmissę sint in ipso intellectu; conclusio enim, ut conclusio, dicit ordinem essentialem ad præmissas, unde si intellectus absquæ præmissis, aliquam eliceret propositionem, talis propositio non esset conclusio, quia conclusio est scientia, & propositio elicita, absque præmissis, non est scientia: ergo præmisſa in genere causæ efficientis concurrunt ad conclusionem.

5 Probatur 2. Quia quòd constituit potentiam in actu primo, concurrit efficienter cum illa ad actum secundum, sed præmissæ constituunt intellectum in actu primo potentem elicere conclusionem: ergo præmissæ concurrunt efficienter cum intellectu ad conclusionem, & consequenter ex intellectu, & præmissis, ut causis partialibus, constituitur causa totalis effectiva conclusionis.

6 Re-

6 Respondent aliqui, præmissas tantùm esse conditiones, ut intellectus conclusionem eliciat, non autem causam partialem ad producendam conclusionem simul cum intellectu. Sed contra est primo, quia differentia essentialis effectus nequit provenire originativè, nisi ab eo quòd est causa efficiens, sed per præmissas differunt essentialiter originativè conclusiones, conclusio enim probabilis differt essentialiter à conclusione necessaria, eo quòd præmissæ essentialiter differunt; ergo præmissæ non sunt conditiones, sed veræ causæ efficientes conclusionis. Secundò, quia effectus non assimilatur conditioni requisitæ ad productionem illius, sed veræ causæ illius productivæ; sed conclusio assimilatur præmissis, ut supra dictum est; ergo præmissæ non sunt conditio requisita, sed vera causa productiva conclusionis.

7 Arg. 1. Conclusio vera se sola potest movere intellectum ad sui cognitionem; ergo præmissæ non concurrunt efficienter ad assensum illius. Resp. disting. antec. conclusio, ut conclusio est, se sola potest movere intellectum ad sui cognitionem, nego, ut quædam propositio est præcisè, concedo. Etenim conclusio, ut propositio est præcisè, nullum ordinem dicit ad præmissas, & sic potest cognosci sine illis; at verò, ut conclusio est, dicit ordinem essentialem ad præmissas, & sic nequit movere intellectum ad sui cognitionem sine præmissis.

8 Arg. 2. In hoc enthymemate; *Omne animal rationale est homo*; ergo *Christus est homo*, consequens non causatur ab antecedenti, cùm consequens sit supernaturale, & de fide, antecedens verò naturale, supernaturale autem nequit à naturali causari, alias effectus esset perfectior sua causa, quod nequit dici; ergo præmissæ non causant efficienter conclusionem. Resp. quòd in prædicto enthymemate subintelligitur hæc propositio minor; *Christus est animal rationale*,

quæ

quæ est supernaturalis, & de fide, unde benè potest causari à præmissis prædicta conclusio supernaturalis, quin sequatur effectum esse perfectiorem sua causa.

9 Arg. 3. Sicut requiritur assensus præmissarum ad assensum conclusionis, ita requiritur simplex apprehensio ad judicium, & actus intellectus ad actum voluntatis, sed neque apprehensio est causa judicii, neque actus intellectus est causa actus voluntatis, sed tantùm sunt conditiones requisitæ: ergo idem dicendum est de præmissis respectu conclusionis. *Resp.* neg. paritatem, quia exigentia apprehensionis ad judicium, & actus intellectus ad actum voluntatis se habet per modum applicationis obiecti, ut dicetur in libris de Anima, præmissæ verò se habent per modum vis illativæ, & impulsivæ, respectu conclusionis, & sic non est conditio, sed causa effectiva ipsius conclusionis.

10 Dicimus 2. Præmissæ sunt causæ efficientes conclusionis, vel immediatè per se ipsas, vel per suas species. Hæc conclusio ex ipsis terminis patet, quia cùm præmissæ, in causando conclusionem, se habeant ad modum, quo obiectum est causa notitiæ, & hoc causat notitiam, vel per se ipsum immediatè, si sit proportionatum potentiæ, vel per suam speciem, idem videtur dicendum de præmissis, respectu conclusionis. Solùm est difficultas, an præmissæ existant, quando existit assensus conclusionis? Nam si tunc existant, dicendum est, ipsas immediatè causare conclusionem. Si autem non existant, dicendum est, ipsas non immediatè, sed mediis suis speciebus derelictis in intellectu, conclusionem causare.

11 Aliquid dicunt, præmissas non existere, quando existit conclusio, quia ut tenet Arist. 2. Topic. cap. 4. intellectus nequit habere plures actus simul. Alii autem dicunt, præmissas

existere, quando existit conclusio, quia licet intellectus nequeat simul habere plures actus disparatos, seu nullam inter se connexionem dicentes, tamen potest simul plures actus inter se essentialiter connexos, ut sunt assensus præmissarum, & conclusionis habere, & ita dicunt, debet intelligi Arist. Utrumque est probabile.

12 Ex dictis colligitur, assensum conclusionis realiter distingui ab assensu præmissarum, cùm causa à suo effectu realiter distinguatur, & præmissæ, ut dictum est, sint causæ conclusionis.

13 Dubitabis, an posito assensu præmissarum, ita necessitetur intellectus ad assensum conclusionis demonstratæ, ut nequeat illi non assentiri? Resp. affirmativè. Probatur, quia potentia naturalis distinguitur à libera in eo quòd potentia libera, positis omnibus requisitis ad agendum, potest non ponere suum actum, potentia verò naturalis, positis omnibus requisitis, nequit non ponere suum actum; sed intellectus est potentia naturalis; ergo positis omnibus requisitis, nequit non ponere suum actum, sed posito assensu præmissarum, ponuntur omnia requisita ad agendum; ergo posito assensu præmissarum, nequit intellectus non ponere assensum conclusionis, & consequenter necessitatur ad assentiendum conclusioni.

14 Confirmatur, quia nequit potentia visiva non videre suum objectum debitè approximatum, eo quòd sit potentia naturalis; ergo nequit intellectus non assentiri conclusioni debitè propositæ, cùm etiam sit potentia naturalis, sed posito assensu conclusionis, debitè proponitur intellectui conclusio; ergo posito assensu præmissarum, nequit intellectus non assentiri conclusioni. Ubi adverte, quòd sicut nequit voluntas impedire visionem objecti debitè propositi, nisi ponendo aliquod impedimentum ex

parte

parte potentiæ, ita nequit impedire assensum conclusionis, nisi ponendo aliquod impedimentum ex parte intellectus, scilicet, removendo illum ab objectis, seu à cognitione præmissarum, & proponendo illi alia objecta, circa quæ suas operationes exerceat, sed hoc non est contra nos, quia tantùm loquimur ex suppositione, quòd intellectus rectè cognoscat præmissas, & ipsis assentiatur.

15 Arg. contra, in intellectu datur habitus ad faciliter assentiendum conclusioni, sed frustraneus esset talis habitus, si intellectus ex assensu præmissarum necessitaretur ad assensum conclusionis; ergo non sic necessitatur. Resp. neg. min. nam talis habitus ponitur in intellectu ad faciliter disponendas præmissas in forma syllogistica in ordine ad eliciendam conclusionem, cùm sit habitus Logicæ facilitans intellectum ad cognitionem artis syllogisticæ, qua cognitione posita ex parte præmissarum, necessitatur intellectus ad assensum conclusionis. Si autem detur habitus scientiæ, in qua fit demonstratio, v. g. Physicæ, talis habitus facilitat intellectum ad conclusionem tantum materialiter sumptam, seu quatenus conclusio versatur circa objectum talis scientiæ, non verò formaliter, seu in ratione formali consequentiæ deductæ ex præmissis.

QUÆSTIO IV.

Utrùm præmissæ demonstrationes debeant esse veriores, certiores, & evidentiores conclusione?

1 Supponitur, quòd veritas est conformitas actus intellectus cum objecto enuntiato, ut dictum est disp. de enuntiat. num. 1. Evidentia verò est clara, & distincta cognitio rei

Certitudo autem est firma adhæsio intellectus ad verum, ut verum est, præscindendo à claritate. Unde certitudo, & evidentia se habent, tanquam superius, & inferius, nam certitudo est superior, & evidentia inferior, & sic valet: *actus est evidens*: ergo *est certus*; non tamen è converso: *actus est certus*: ergo *evidens*.

2 Supponitur etiam, præmissas demonstrationis scientificæ esse veras, certas, & evidentes, quia sunt causæ conclusionis scientificæ, quæ est vera, certa, & evidens. Neque valet, si dicas, præmissas posse esse falsas, eo quòd ex falso aliquando sequitur verum. Nam contra est, quòd ex falso, ut falsum est, nunquam sequitur verum, sed tantùm ex falso, si teneatur, seu concedatur ut verum.

3 Supponitur denique (ut ex superius dictis colligitur) quòd certitudo, & evidentia magis, & minus suscipere possunt. Patet hoc de certitudine, nam cum hæc consistat in adhæsione firma intellectus ad verum, potest quidem intellectus magis, vel minus firmiter adhærere, vel quia major, vel minor potest esse immutabilitas obiecti veri, vel quia rationes adhærendi magis, vel minus necessariæ esse possunt, cum quo, quam optimè stat totalis exclusio formidinis, sicut stat amor magis, vel minus intensus cum totali carentia, seu exclusione odii. De evidentia etiam constat, nam cùm hæc consistat in claritate, seu distinctione, qua intellectus videt obiectum, potest hoc magis, vel minus clarè, seu distinctè videri, ut est perspicuum.

4 Dicimus 1. pro primo quæsito quæstionis præmissæ demonstrationis non sunt veriores conclusione ex illis deducta, sed tam ipsæ inter se, quàm cum conclusione sunt æquè veræ. Hæc conclusio est communis, & probatur sic: veritas formalis est conformitas, seu adæ-

adæquatio actus cùm obiecto taliter, quòd tunc est verus actus intellectus, quando repræsentat objectum, sicut se habet, falsus autem quando illud non repræsentat, sicut se habet in se, ab eo enim quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa, sed ista conformitas, seu adæquatio consistit in indivisibili, ita ut nequeat intelligi major, aut minor: ergo præmissæ nequeunt esse veriores conclusione. Major est ipsa veritatis definitio, minor autem probatur, nam ex hypothesi, quod Petrus, verb. gratia sit albus, tam vera est ista propositio: *Petrus est albus*, ac ista: *Petrus est homo*; æqualiter namque conformantur cum suis objectis, ut per se patet; ergo conformitas actus cum objecto, in qua veritas consistit, stat in indivisibili; ergo nequeunt præmissæ demonstrationis esse veriores conclusione ex ipsis deducta. Potest hoc confirmari ex Arist. citato à nostro Mercon disp. de syl. demonst. Assertione 5. dicente, quod sic, servatis servandis, differendum est de veritate entis, quomodo de numero, sed si cuilibet numero addatur, aut detrahatur unitas, penitus ipse immutatur; ergo si veritati aliquis gradus intensivus addatur, aut detrahatur, talis veritas penitus aboletur.

5 Arg. 1. Una propositio magis necessaria, quàm alia esse potest, ut patet in supra positis, magis enim necessaria est secunda, quam prima; ergo etiam una propositio potest esse magis certa, quam alia. R esp. neg. paritatem disparitas est, quod necessitas consistit in connexione prædicati cum subiecto, & est certum, quòd prædicatum secundæ propositionis majorem connexionem habet cum subiecto, quam prædicatum primæ, veritas autem stat in conformitate actus cum obiecto, quæ ut dictum est, magis, & minus non admittit 6. Arg. 2. Unus actus intellectus potest esse perfectior alio; ergo &

verior. Prob. conseq. quia si actus perfectior non est verior alio imperfectior sequitur, quod veritas fidei non sit verior, quam quælibet alia veritas humana, sed hoc est absurdum: ergo actus perfectior est verior imperfectiori. Resp. neg. paritatem, quæ sit inter perfectionem actuum, & eorum veritatem, nam perfectio actus sumitur ex obiecto, & ex modo tendendi circa illud, quare perfectissimum obiectum, ut est Deus, perfectissimum infert actum, & imperfectius objectum, sicuti est quodvis objectum humanum, imperfectiorem actum infert, veritas verò desumitur ex conformitate actus cum obiecto, quæ conformitas, ut ostensum manet, in indivisibili consistit, unde licet actus fidei sit perfectior propter obiectum, quam actus tendens circa obiectum humanum, sunt tamen æquales in veritate, cùm hæc magis, & minus non suscipiat. Deinde quia etiam ex modo attingendi obiectum, unus actus potest esse perfectior alio, ideòque actus beatificæ visionis perfectior est, quam actus fidei, eo quod ille perfectiori modo Deum attingit, in veritate tamen uterque est æqualis, nam æqualiter conformatur cum obiecto.

7. Arg. 3. Unus actus voluntatis est melior alio: ergo & unus actus intellectus alio verior. Patet consequentia, nam sicut veritas actus consistit in conformitate cum obiecto, ita bonitas actus voluntatis in conformitate cum ratione naturali. Deinde Arist. 4. Met. text. 18. dicit, quod magis mentitur, qui dicit, quatuor esse mille, quam qui dicit, quatuor esse quinque: ergo datur unus actus magis falsus, quàm alius: ergo & etiam unus verior alio, oppositorum enim eadem est ratio. Resp. ad argumentum neg. paritatem, nam conformitas voluntatis cum ratione sumitur ex pluribus circumstantiis, quæ bonitatem actuum illius augere, vel minuere possunt, ut dicitur latè in mate-

materiale de actibus humanis, conformitas verò actus intellectus cum obiecto, in qua veritas consistit, sumitur ex repræsentatione obiecti, sicuti est, unde nequit unus actus esse magis, vel minus verus, quam alius, cum non possit magis, vel minus conformari cum obiecto. Ad illud Arist. dicimus, quod unus actus intellectus potest esse magis falsus, quam alius, sed hoc tantum materialiter, seu ratione materiæ, & juxta communem loquendi modum, non verò formaliter, seu in ratione formali falsitatis; quæ est non conformitas cum obiecto, seu repræsentatio illius aliter, ac est, quæ est quid indivisibile, ut dictum est de conformitate, & hoc est, quod intendit Arist. in textu præallegato.

8 Dicimus 2. Præmissæ demonstrationis sunt certiores, & evidentiores conclusione ex ipsis deducta. Hanc conclusionem tenet maior pars Scotistarum. Probatur, præmissæ sunt certiores, & evidentiores conclusione, si firmius illis adhæreat intellectus, quàm conclusioni, & clarius, distinctiusque illas intuetur, quam istam, sed intellectus firmius adhæret præmissis, quam conclusioni, clariusque, & distinctius illas intuetur quam istam: ergo præmissæ sunt certiores, & evidentiores conclusione. Major est certa, & minor, in qua est difficultas, probatur, nam ut inquit Arist. propter quod unumquodque tale, & illud magis, sed præmissæ causant certitudinem, & evidentiam conclusionis, seu ita est certa, & evidens propter illas: ergo premissę sunt certiores, & evidentiores conclusione. Minor patet quoad certitudinem, quia ideò adhęret intellectus conclusioni, quia adhęret firmiter pręmissis, ut per se constat. Patet etiam quoad evidentiam ex Arist. 1. Poster. cap. 2. dicente: *Non solum autem oportet eum, qui habiturus est scientiam per demonstrationem, magis principia cognoscere, & magis eis credere, quam rei demonstrata*: ergo.

9 Arg. 1. Major certitudo alicuius actus sumitur ex rationibus, quibus movemur ad assentiendum, sed non sunt plures rationes, quæ potius moveant ad assentiendum præmissis, quam conclusioni; ergo præmissæ non sunt certiores, & evidentiores conclusione. Prob. min. nam ideò assentimur, extrema uniri inter se in conclusione, quia assentimur, ipsa in præmissis uniri cum medio, sed eadem est unio, & connexio extremorum cum medio, ac ipsorum inter se, juxta illud commune principium: *Quæ sunt eadem uni tertio*, &c. ergo non est ratio assentiendi potius præmissis, quam conclusioni. Consequentia patet, quia eademmet veritas, & connexio nequit esse evidentior, aut certior se ipsa. Deinde nam ut aliquis actus sit certior alio, necesse est, quod habeat obiectum motivum, seu principium formale assentiendi diversum, sed hoc est idem, tam in præmissis, quam in conclusione, quippè est connexio essentialis, quæ sicut versatur inter extremitates, & medium, ita & inter ipsas, inter se comparatas: ergo.

10 Resp. neg. min. Cuius probationis etiam negatur minor, quia non eodem modo, nec eadem unione extrema uniuntur cum medio, ac inter se, nam unio cum medio est immediata, & independens, unio autem inter se est mediata, & dependens. Neque ex prædicto principio aliquid contra hoc infertur, imò quia in illo unio extremorum cum medio assignatur, ut causa unionis illorum inter se, apertè deducitur, hanc esse distinctam unionem ab illa, Cum ergo unio immediata, & independens, quæ est, quæ versatur inter extrema, & medium in præmissis, sit intimior, & manifestior, ideò intellectus certius, evidentiusque præmissis, quam conclusioni assentitur. Et licet eadem sit veritas connexionis extremorum cum medio, ac connexionis illorum inter se, diver-

diverso tamen modo concipitur in præmissis, ac in conclusione, nam unio in præmissis concipitur cum habitudine extremorum ad tertium, in conclusione autem cum habitudine extremorum inter se, & cum illa unio, prout importat habitudinem ad tertium, sit intimior, & manifestior, ideò intellectus certius, & evidentius assentitur ei, quàm cum eam concipit cum habitudine extremorum inter se, eadem namque veritas, prout diverso modo conceptibilis, potest esse se ipsa certior, ut patet in veritate huius propositionis; *Deus est*, quæ quatenus ei assentitur per divinam revelationem, certior est seipsa, quatenus per naturalem discursum demonstrata. Ex quo patet ad primam rationem pro consequentia adductam, atque etiam ad secundam, essentialis enim connexio non movet eodem modo in conclusione, ac in præmissis, nam in illa est mediata, & dependens in istis verò independens, & immediata, ut sæpè dictum est.

11 Arg. 2. Hæc conclusio; *Deus est*, est tam certa, & evidens Philosopho, quàm omnes effectus, ex quibus cognitis, in cognitionem Dei ducitur; ergo præmissæ non sunt certiores, & evidentiores conclusione. Confirmatur, nam conclusio deducta ex uno principio revelato, & alio naturaliter noto, æquè certa est, ac ipsa principia revelata, ut patet; ergo necesse non est, præmissas esse certiores conclusione. Resp. ad argumentum, quòd & si hæc propositio; *Deus est*, sit æquè certa, imò certior, quàm omnes effectus, ex quibus deduci potest, si consideretur, ut cognita per fidem, considerata tamen, ut educta, seu illata ex effectibus creatis, tanquam ex præmissis, non habet tantam certitudinem, neque evidentiam, quantam habent ipsi effectus, seu præmissæ, ex quibus deducitur; magis enim movet Philosophum naturalem, illique magis patet natura

hominis, plantæ, &c. quam natura Dei, quatenus ex his effectibus agnoscitur, etiamsi ex eis evidenter inferatur. Ad confirmat, respond. quod conclusio deducta ex duobus principiis, altero revelato, & altero lumine naturali noto, qualis est in hoc syllogismo: *Omnis homo est rationalis; Christus est homo: ergo Christus est rationalis*, dupliciter considerari potest; Primo, quatenus subesset divinæ revelationi, in quo casu esset omnino certum, quod non haberet minorem certitudinem, quam præmissæ, seu propositiones jam assignatæ, imò esset certior quam altera illarum, quæ est naturali lumine nota. Secundo considerari potest, ut educta, seu illata ex illis præmissis, in quo sensu est minus certa illis, & non est propriè conclusio de fide, nam actus fidei immediatè innititur divina veritate revelanti, & non mediante discursu, non enim conclusionibus revelatis assentimur, quatenus per discursum inferuntur ex præmissis, alioquin actus fidei non esset obscurus, sed clarus, utpotè demonstratus, quod est absurdum. Ex quo patet, præmissas semper esse certiores, & evidentiores conclusione ex ipsis illata.

12 Dubitabis 1. quomodo intelligi debeat illud commune principium, nempè: *Conclusio sequitur debiliorem partem*? Resp. ita intelligi debere nimirum, quod quando aliqua ex præmissis est probabilis, & si altera præmissa evidens sit, conclusio tantum probabilis evadit. Similiter conclusio semper conformatur cum præmissa minus certa, minusque evidenti. Cujus ratio est, nam conclusioni assentimur propter præmissas, ita ut istæ sint causæ illius, sed effectus non potest esse perfectior sua causa, ergo conclusio necessario sequitur præmissam imperfectionem, atque ideo sequitur debiliorem partem.

13 Dubitabis 2. Quænam sint conditiones requi-

requisitæ ad hoc, ut valeat, & sic verum illud prædictum principium; *Propter quod unumquodque tale, &c.* Resp. quòd quatuor communiter ad hoc requirunt conditiones. Prima est, quòd illa ratio, quæ dicitur conveniens, uni propter alterum, utrique convenire possit. Ob defectum huius conditionis non bene infertur: *Homo fit ebrius propter vinum*: ergo *vinum est magis ebrium*. Secunda est, quòd talis ratio magis, & minus suscipiat. Defectu cuius conditionis non valet hæc illatio; *Filius est homo propter patrem*; ergo *pater est magis homo, quàm filius*. Tertia est, quòd illa ratio conveniens sit realiter distincta, seu non sit eadem numero in uno extremo, ac in altero. Proter defectum huius conditionis non benè inferes: *Homo est risibilis propter rationalitatem*; ergo *rationalitas est magis risibilis, quàm homo*; quia eademmet numero risibilitas utrique convenit. Quarta denique conditio est, quòd id, propter quod aliud est tale, non communicet illam rationem, seu formam in eodem gradu, in quo ipsum illam habet. Ex defectu huius non benè sequitur; *Aliquid est calidum, ut quatuor propter aliud calidum, ut quatuor*; ergo *unum calidum, ut quatuor, est magis calidum, quàm aliud calidum, ut quatuor*. His conditionibus servatis, semper erit firmum prędictum principium. Quę si benè perpendantur, absque dubio conveniunt præmissis, & conclusioni respectu evidentiæ, & certitudinis, unde in illis valet prædictum principium.

QUÆSTIO V.

Vtrùm præmissa demonstrationis debeant esse de omni, & per se & de prædicato universalis?

1 SUpponitur 1. Quòd illud commune principium: *dici de omni*, est duplex. Aliud prioristicum, posterioristicum aliud. Prioristicum est, quando de subiecto ita enunciatur prædicatum, ut nihil sit in subiecto de quo prædicatum non dicatur, & hoc, sive prædicatum sit necessarium, sive contingens, sive verum, sive falsum, cum in forma syllogistica disponi possit, ut, *omnis homo currit*: *omnis homo est animal*, *&c.* Et dicitur prioristicu m, quia pertinet ad libros priorum, in quibus solum agitur de syllogismo, quatenus ratione formæ est necessarius in qualibet materia. *Dici de omni* posterioristicum est, quando nullum datur subiectum, de quo prædicatum non enuncictur, nec ullum tempus, in quo predicatum subiecto non conveniat, ut in hac propositione: *homo est risibilis.*, &c. Vocatur posterioristicum, eo quòd ad libros Posteriorum spectat.

2. Supponitur 2. Propositionem *de per se* quadrupliciter sumi. Primò, quando prædicatum est de essentia subiecti, ut cum definitio, vel partes eius prædicantur de subjecto, Ut in hac, *homo est animal rationale*. Hic dicitur primus modus dicendi per se. Secundò, quando prædicatum est propria passio subiecti. Cuiumodi est ista propositio: *homo est risibilis*. Iste vocatur secundus modus dicendi per se, ad quem reducuntur omnia illa, quæ appellantur *proprium*. Tertiò, quando substantia dicitur existere per se, prout contraponitur modo essendi in alio. Hic dicitur tertius modus essendi per se. Ad quem reducun-

ducuntur accidentia in abstracto, licet enim hæc inhæreant subiecto, talis tamen inhæsio non exprimitur in huiusmodi prædicatione, ut in ista propositione: *albedo est color*. Quartò tandem, quando denotatur causa efficiens, vel quævis alia; ut in his propositionibus: *Medicus medetur*: *Ædificator ædificat*, in illis enim subjectum est causa prædicati. Hic dicitur quartus modus dicendi per se.

3 Supponitur 3. Quòd pro prædicato universali non intelligimus in præsenti, prædicatum universale logicum, quod est multis commune, sed prædicatum necessarium. Ad quod tria requirunt. Primum, quòd dicatur de omni subiecto propositionis: unde in hoc sensu hæc propositio: *vivens est animal*, non est de prædicato universali, eo quòd animalitas non enunciatur de omni viventi. Secundum est, quòd prædicatum conveniat per se subjecto: qua propter ista propositio: *omnis Cygnus est albus*, non est de prædicato universali, ut hoc usurpatur in presenti. Tertiū denique est, quòd conveniat subiecto cōvertibiliter: propter quod ista propositio: *homo est animal*, non est, in hoc sensu, de prædicato universali; quia quamvis prædicatum dicatur de omni subiecto; non tamen convertibiliter, ut per se patet.

4 Dicimus 1. Præmissæ demonstrationis debent esse de omni, & per se, modo supra explicato. Probatur; nam præmissæ debent esse necessariæ; sed quælibet propositio necessaria continetur sub aliquo ex prædictis modis dicendi per se: ergo præmissæ debent esse propositiones de per se: sed omnis propositio de per se, est etiam de omni, ut illas examinanti patebit; ergo præmissæ debent esse de omni, & per se.

5 Dicimus 2. Aliqua ex præmissis debet esse de prædicato universali (in sensu jam explicato) in demonstratione *propter quid*, in demon-

monstratione autem *quia* non requiritur hoc necessariò. Probatur prima pars; nam in demonstratione potissima passio demonstratur de proprio,& adæquato subiecto; sed passio enunciatur convertibiliter de proprio, & adæquato subiecto; ergo aliqua ex præmissis debet esse de prædicato universali. Non tamen est necessarium, quòd utraque præmissa semper sit de prædicato universalis. Patet hoc in hac demonstratione: *Omne rationale est risibile: Petrus est rationalis; ergo Petrus est risibilis*. Attamen perfectior est demonstratio, in qua propria passio demonstratur de proprio, & adæquato subiecto; passio enim per se primò convenit adæquato subiecto, & ratione huius convenit inferioribus sub eo contentis. Probatur secunda pars conclusionis: quia in hac demonstratione: *Omne risibile est animal: Petrus est risibilis*; ergo *Petrus est animal*; nulla propositio est de prædicato universali, ut ex ipsa constat; ergo in demonstratione *quia* non est necessarium, quòd aliqua præmissa sit de prædicato universali.

6 Dubitabis 2. An demonstratio debeat procedere ex immediatis, & ex propriis? Ante resolutionem huius dubii notare oportet, quòd causa mediata dupliciter dici potest. Primò, quando verè influit in effectum, quamvis aliquid mediet inter istum, & illam; sic rationalitas dicitur causa respectu risibilitatis, licet enim hæc non sit immediata, & prima passio rationalis, quia priores sunt capacitas disciplinæ, & admirabilitas, hoc tamen non obstat, quominus risibilitas causetur, seu pullulet à ratinalitate. Secundò, potest dici causa mediata, quando non influit verè in effectum per se, sed per aliud sibi adiunctum, diciturque solùm causa, eo quòd sit subiectum, in quo est, vel recipitur causa propria talis effectus. V. g. aqua calida respectu caloris in manu producti:

aqua quidem dicitur causa remota caloris producti, non quia per se illum causet; sed quia est subiectum receptivum caloris, qui est vera causa caloris producti.

7 Notari debet secundò, quod *proprium* dupliciter sumi potest. Primò, ut opponitur extraneo. Hoc modo *sensibile* dicitur proprium respectu hominis; etsi enim hoc sit commune equo, cæterisque animalibus, dicitur tamen proprium homini, eo quod non est extraneum, seu alienum ab illo, sed potius intrinsecum, & essentiale ei. Secundò sumitur proprium quatenus opponitur commune, ut *risibile*, quod convenit soli homini. His notatis, per partes, ut distinctiùs procedamus, ad propositum dubium respondebimus. Pro prima ergo.

8 Respondetur, quod demonstratio *propter quid* potest producere per causam remotam, seu mediatam in primo sensu ex duobus explicatis. Ratio huius est: quia illa est vera demonstratio *propter quid*, quæ per veram, & propriam causam procedit: sed causa mediata in primo sensu, est vera, & propria causa: ergo demonstratio *propter quid* potest procedere per causam mediatam in hoc sensu. Hoc videtur in hac demonstratione a priori, seu *propter quid; omne animal rationale est risibile:* sed *homo est animal rationale:* ergo *homo est risibilis*. Si autem causa mediata sumatur in secundo sensu supradicto, nequit demonstratio per illam procedere. Ratio est, quia in hoc sensu causa non est verè, & propriè causa, ut per se constat.

9 Pro secunda parte dubii respondetur primo, quod demonstratio debet procedere ex propriis, quatenus *proprium* contraponitur extraneo, ita ut medium, quod assumitur in præmissis; necessario connectatur cum subiecto, & passione. Ratio huius est, quia si medium

dium non connecteretur necessariò cum aliqua extremitate, conclusio deducta esset contingens, & non scientifica; ergo ut conclusio sit scientifica, seu demonstrativa, debet procedere ex propriis, prout proprium opponitur extraneo.

10 Respondetur 2. quod si *proprium* sumatur, ut opponitur communi, non est necessarium, quod demonstratio procedat ex propriis. Ratio huius est; quia quando demonstratur aliquis effectus communis pluribus causis, per quamlibet ex his demonstrari potest, ut calor, qui potest demonstrari per ignem, aut per solem; ergo non est necessarium, quod demonstratio procedat ex propriis in hoc sensu.

11 Dubitatis 2. An demonstratio possit procedere ex singularibus, contingentibus, & corruptibilibus? Respondetur negativè. Ratio est; quia scientia seu demonstratio est cognitio invariabilis, & necessariæ veritatis; sed principia, quæ aliter se habere possunt, ac se de facto habent, cuiusmodi sunt singularia, contingentia, & corruptibilia, nequeunt causare invariabilem, & necessariam conclusionem; ut per se patet; ergo demonstratio non potest procedere ex singularibus, contingentibus, & corruptibilibus.

12 Argum. contra; existentia Dei demonstratur ex effectibus creatis; sed tales effectus sunt contingentes, siquidem sunt ad extra; ergo demonstratio ex contingentibus procedere potest. Confirmatur; nam plures fiunt demonstrationes, quæ procedunt de singularibus omninò contingentibus; astrologus enim evidenter demonstrat futuram eclipsim ex singulari, & corruptibili situ, & positione astrorum; ergo. Ante responsionem nota, quod prædicti effectus possunt bifariam considede-

derari: Primò, quatenus contingentes sunt, seu non necessarii quoad existentiam, ita quod hæc liberè conservatur à Deo. Secundò, quatenus jam positi talis effectus in rerum natura, dicunt necessariam connexionem cum sua causa prima, ad differentiam ipsorum effectuum, prout non necessariò, sed contingenter à causis secundis pendent; Petrus enim, verb. gratia non solum contingenter existit, sed eadem contingentia à suo patre dependet, poterat quidem immediatè a solo Deo produci: dependentia tamen respectu Dei, ita est invariabilis, & necessaria, ut sit intrinseca effectui, realiterque cum illo identificata. Hoc notato.

2 Respondetur ad argumentum, quod quando ex effectibus demonstratur causa, non est, quatenus contingentes sunt, sed quatenus cum sua causa necessariò connectuntur: unde rectè ex existentia creaturarum infertur existentia creatoris; nam omne creatum ab aliquo creante dependet, alioquin non daretur in causis ultimis terminus dependentiæ, quod est absurdum, quę dependentia creaturæ respectu Dei est omninò invariabilis, & necessaria; ideòque ex illa demonstrari potest Dei existentia. Ex quo patet ad confirmationem; nam ex positione, & situ contingenti astrorum evidenter infertur futura eclipsis, licet enim hæc positio sit in se contingens, illa tamen supposita, connexio cum tali effectu, nempè eclipsi, est omninò necessaria.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

Quid, & quotuplex sit propositio per se nota?

1 Thomistę sic communiter propositionem per se notam definiunt: *est cuius prædicatum est de ratione subiecti*. Quam definitionem reiiciunt omnes Scotistæ: ideòque illa sic impugnatur; propositio, in qua prima, & immediata passio prædicatur de definitione primi, & adæquati subiecti, est propositio per se nota: sed talis passio non est de ratione formali subjecti, ut patet in hac propositione: *animal rationale est capax disciplinæ*; in qua prædicatum non est de ratione formali subiecti, ut nullus ignorat: ergo prædicta definitio non est bona, siquidem omni suo definito non congruit. Prob. mai. prima, & immediata passio est indemonstrabilis à priori de definitione subiecti, sed prædicatum, quod à priori est indemonstrabile, est per se notum: convenire subiecto: ergo talis propositio est per se nota. Contra prædictam definitionem sic arguitur secundò: aliquæ sunt propositiones, in quibus prædicatum est de ratione subiecti, & non sunt per se notæ, ergo supra data definitio non est bona, eo quod convenit aliis à suo definito. Prob. anteced. propositiones, in quibus ratio superior de suo inferiori prædicatur, cujusmodi est hæc: *homo est animal*, habent prædicatum, quod est de ratione subjecti: sed tales propositiones non sunt per se notæ: ergo. Prob.min. quia propositio per se nota ex ipsis terminis (ut statim dicemus) debet esse nota, taliter, quòd nullo alio indigeat, ut eius veritas omnibus innotescat, sed hoc prædicatum *animal*, ut hac voce profertur, est indifferens ad hominem, & brutum: ergo ex ipsis terminis non ha-

habet necessariam, & determinatam connexionem cum homine, nisi aliquid addatur, per quod ad esse hominis determinetur; ergo propositio hæc, & aliæ huiusmodi aliquo alio egent, ut earum veritas innotescat, atque adeò non sunt propositiones per se notæ; consequenterque, &c. Hac igitur definitione impugnata.

2 Dicimus 1. *Propositio per se nota est illa, quæ ex ipsis terminis confusè cognitis, ut sunt eius, nata est habere evidentem veritatem.* Hæc definitio ferè verbaliter decerpitur ex Scoto in 1. dist. 2. quæst. 2. §. *Quoniam*, litt. A. quem omnes Scotistæ sequuntur. Ex qua duæ colliguntur conditiones ad propositionem per se notam requisitæ. Prima est, quod ad sui cognitionem non egeat alterius propositionis, sive aliorum terminorum cognitione. Secunda est, quod ex sola cognitione confusa terminorum cognoscatur. Quæ conditio exprimitur ab Arist. 1. Posterior. text. 21. dicente, quod prima principia cognoscimus, in quantum terminos cognoscimus: ergo propositio per se nota, quæ est quoddam primum principium, non indiget aliqua cognitione, præter ipsius terminorum cognitionem. Eo vel maximè quòd propositio, quæ indiget ad sui cognitionem cognitione alterius, nequit dici nota per se, sed per accidens.

3 Probatur secunda definitionis conditio: omnis propositio per se nota excludit quamlibet cognitionem distinctam à cognitione propriorum ipsius terminorum: ergo quoties propositio ultra cognitionem ipsius terminorum, etiam cognitorum confusè, indiget cognitione definitionis illorum, non erit propositio per se nota. Patebit hoc; quia definitio, & definitum sunt termini distincti, in demonstratione enim potissima (ut inquit Scotus) definitio subiecti est medium ad demonstrandam pas-

passionem de ipso: sed in tali demonstratione per definitionem subiecti ostenditur; passionem convenire illi: ergo definitio, & definitum sunt termini distincti; nam si non essent distincti; in demonstratione tantum essent duo termini: quod formæ syllogisticæ omninò contrariatur; ac per consequens quævis propositio per se nota excludit quamlibet cognitionem à cognitione propriorum terminorum distinctam.

4 Nec valet, si respondeas, quod definitio, & definitum sunt termini diversi penes diversos concipiendi modos; non tamen obiectivè, seu ex parte rei. Nam contra est: quia licèt definitio, & definitum eamdem rem significent, ipsi tamen termini non sunt idem, sive pro vocibus, sive pro conceptibus accipiantur. Quod voces sint distinctæ, ex se patet. Quod etiam conceptus distincti sint, perspicuum est: nam conceptus definiti est confusus; conceptus autem definitionis est distinctus, seu clarus; & hoc independenter à nostri intellectus operatione; ergo absolutè loquendo alius terminus est definitio, & alius definitum; ac per consequens, &c.

5 Confirmatur: nam multa prædicata sunt à priori demonstrabilia de definito, quæ de definitione sic demonstrari nequeunt; ergo definitio, & definitum sunt inter se termini distincti. Prob. antec. quia prima passio est demonstrabilis à priori de subiecto, seu definito per essentiam, seu per definitionem, quæ tamen passio de definitione est sic indemonstrabilis. Patet hoc in hac demonstratione; *Animal rationale est capax disciplinæ; homo est animal rationale:* ergo *homo est capax disciplinæ*. In qua de homine, qui est definitum, demonstratur a priori capacitas disciplinæ; sed de animali rationale, quod est definitio, nequit sic demonstrari, eo quod non est causa, per quam de-

mon-

monstretur; & ideò hæc propositio: *animal rationale est capax disciplinæ*, est per se nota: ergo definitio, & definitum sunt termini distincti, consequenterque, &c.

6 Arg. 1. contra nostram definitionem: ista propositio: *homo est animal*, & aliæ huiusmodi, in quibus superius de inferiori prædicatur, sunt per se notæ; sed non ex propriis terminis, ut sunt eius; animal enim est commune pluribus speciebus; ergo ut propositio sit per se nota, non requiritur, quòd ex propriis terminis, ut sunt eius, pateat. Prob. mai. quia eiusmodi propositiones sunt sufficientes, ut causent demonstrationem *propter quid*; ergo vel sunt per se notæ, vel deductæ ex primis; sed non hoc secundum, quia sunt immediatæ; ergo primum. Respond. quod huiusmodi propositiones æquivalent in demonstratione propositioni per se notæ, quantum ad veritatem intelligibilem; in quo sensu existimari possunt propositiones per se notæ, eo quod carent medio, quo demonstrentur à priori; non tamen sunt (absolutè loquendo) propositiones per se notæ; quia ex propriis terminis, ut sunt eius, nullatenus patent, ut ex dictis constat.

7 Replicabis; ista propositio; *homo est animal rationale*; vel ista; *homo est rationalis*, est per se nota; ergo etiam hæc; *homo est animal*. Resp. neg. conseq. nam quando superius prædicatur de inferiori, non habet evidentem connexionem cum illo, ratione indifferentiæ, quam ex se tale superius importat, ideòque ad sui evidentiam indiget alio, nempè prædicato tale superius contrahente, & determinate; unde talis propositio non est per se nota; quando autem de subiecto prædicatur tota essentia, vel eius essentialis differentia; prædicatum non importat indifferentiam, atque adeò ex se causat evidentiam, & demonstrationem; nullatenusque ad hoc indiget alio.

8. Arg.

8 Arg. 2. Scotus docet, quòd hæc propositio; *Deus est*, est per se nota, eo quòd extrema illius nata sunt causare evidentiam hujusmodi complexionis cuilibet intellectui perfectè apprehendenti illius extrema; sed apprehensio perfecta idem est, ac distincta; ergo in propositione per se nota debent ejus termini apprehendi, non confusè, sed distinctè. Respond. quòd ideò ad notitiam per se hujus propositionis; *Deus est*, requirit Scotus distinctam apprensionem terminorum, non quia propositio, ut est per se nota, exigat talem distinctam extremorum cognitionem, sed ut hæc propositio sit cognoscibilis evidenter ex suis terminis propriis, ut sunt ejus, unde cum in tali propositione subiectum non apprehendatur, ut terminus proprius, nisi distinctè cognoscatur, ideò ad per se notum in prædicta propositione specialiter repertum, requirit Scotus distinctam terminorum cognitionem, non ob rationem propositionis per se notæ, ut sic; sed ut eius termini, quatenus proprii, cognoscantur.

9 Dicimus 2. pro secundo, quod inquirit quæstio; nulla propositio dicitur per se nota à nostra actuali cognitione, sed quævis propositio in se, & per se nota est cuiuscumque intellectui per se nota, & si actualiter non cognoscatur, quia quantum est ex terminis ipsius, est evidenter nota. Sic Scotus supra citatus, *vers. Ex his patet*, ante litt. B. quem omnes Scotistæ sequuntur contra Thomistas communiter asserentes, propositionem per se notam dividi in per se notam in se, & in per se notam quoad nos. Probatur conclusio; si ex eo propositio diceretur per se nota quoad nos, quia actualiter conciperetur ab intellectu, sequeretur, quòd omnis propositio à nobis evidenter cognita, sive mediata, sive immediata, esset per se nota; sed hoc est falsum, ut patet; ergo. Patet sequela maioris, nam si omnis propositio, ut sit per se nota, dependet

ex

ex actuali nostra cognitione; ergo quoties noster intellectus concipit aliquam veram, & evidentem propositionem, talis propositio, quæcumque sit, erit per se nota; sed hoc est absurdum; ergo. Confirmatur hæc ratio, & simul impugnatur divisio propositionis per se notæ à Thomistis statuta; propositio non dicitur per se nota, ex eo quòd actu cognoscatur, vel non cognoscatur, sed ex aptitudine ad causandam sui evidentiam in intellectu, quovis alio secluso; sed in huiusmodi aptitudine omnes propositiones per se notæ conveniunt, & eodem modo se habet penes quemcumque intellectum; ergo nulla est prædicta divisio. Prob. min. nam propositio per se nota, vel nata est cognosci ex propriis ipsius terminis, vel ex aliis? Si ex propriis; ergo omnes propositiones per se notæ in hoc conveniunt, respectu cuiusvis intellectus. Si ex aliis; ergo non est per se nota, sed per aliud, consequenterque nulla datur propositio, quæ sit per se nota in se, & non quoad nos.



TRA-

TRACTATUS
De Sillogiſmo topico, & ſophiſtico.

DIximus lib. 3. Sumul. ſyllogiſmum, ratione materiæ, dividi in demonſtrativum, topicum, & ſophiſticum. Ideòque, cùm jam in antecedenti tractatu de ſyllogiſmo demonſtrativo egerimus, in hoc de topico, & ſophiſtico conſequenter agemus. Pro quibus ſit.

DISP. UNICA.

Utrumque ſyllogiſmum complectens:

LIcet Ariſtot. de ſyllogiſmo topico per octo libros topicorum diſputaverit, & de ſyllogiſmo ſophiſtico per duos libros Elenchorum (quem ſequentes aliqui, valdè fusè, ſed non minus confusè, de prædictis ſyllogiſmis ſermonem inſtituunt) nos tamen, brevitate poſsibili, in hac unica diſputatione aliqualem notitiam illorum tyronibus proponemus, quæ & ad illorum intelligentiam ſufficiens videatur, & ab intellectus confuſione pro viribus ſubterfugiat.

QUÆSTIO I.

De pertinentibus ad syllogismum topicum.

1 DIcimus syllogismus topicus, ex Arist. hic, *est, qui ex probabilibus est collectus.* Hæc definitio ab omnibus Philosophis admittitur, eo quòd rectè explicat syllogismum topicum, ut distinctum, tam à demonstrativo, qui constat ex necessariis, certis, & evidentibus; quàm à sophistico, qui procedit ex apparentibus. Deinde, sicut syllogismus demonstrativus definitur per effectum, scilicet per scientiam, sic etiam per effectum potest definiri syllogismus topicus: *est, qui generat opinionem*, per quod distinguitur à demonstrativo, & etiam à sophistico, qui generat errorem.

2 Pro intelligentia syllogismi topici aliqua sunt observanda. Primum, quòd Aristot. assignavit tanquam materiam remotam illius, hæc quatuor: definitionem, genus, proprium, & accidens, quæ prædicata topica appellavit, non quia judicaverit, prædicata tantum esse materiam remotam huius syllogismi (nam omnes termini, ex quibus propositiones constituuntur, dicuntur, & sunt materia remota syllogismi) sed quia ex diversitate prædicatorum desumitur diversitas problematum dialecticorum, quę sunt materia proxima, ut infra dicetur. Sufficientiam horum prædicatorum desumpsit Arist. ex eo quòd omne prædicatum, vel convenit subiecto communi convertibiliter, vel inconvertibiliter: si convertibiliter, aut essentialiter, & sic est definitio; aut accidentaliter, & sic proprium: si inconvertibiliter, aut essentialiter, & sic est genus; aut accidentaliter, & sic est accidens. Ubi advertendum est, quòd differentia specifica in ordine ad speciem, & generica in ordine ad genus, non est prædicatum topicum distinctum à definitione, cùm essentialiter convertibiliter prædicentur; si verò comparentur ad inferiora, non distinguuntur in ratione prædicati topici à ge-

genere, cùm essentialiter inconvertibiliter prædicentur. Idem dicendum est de transcendentibus, respectu suorum inferiorum.

3 Secundum, quòd Arist. assignavit pro materia proxima syllogismi topici problema dialecticum, quod est quæstio de utraque parte contradictionis, vel contrarietatis, ut cùm dicimus, v.g. *an terra sit frigida, vel calida?* Vel: *an terra sit frigida, vel non?* Dicitur problema dialecticum, quia utraque pars illius est probabilis. Ubi advertendum est, quòd non dixit Arist. problema dialecticum esse materiam proximam syllogismi topici, eo quòd totum problema ponatur, tanquam propositio prædicti syllogismi; sed quia tam præmissæ, quàm conclusio illius, cùm tantum debeant esse propositiones probabiles, necessariò sunt partes problematis, ita ut non assentiatur alicui illarum, absque alterius partis formidine; ideòque appellantur propositiones problematicæ, ad differentiam propositionum, ex quibus syllogismus demonstrativus constituitur, quæ cùm sint evidentes, certæ, & necessariæ, nullatenus possunt ad problema, seu ad dubium reduci.

4 Ex quatuor supradictis prædicatis possunt deduci plures maximæ, seu plura loca dialectica ad probandam affirmativè, vel negativè quamcumque partem problematis, quæ omnia enumerat Aristot. à lib. 2. usque ad 8. ubi ferè quingenta loca assignat, quæ ut advertit Merinerus, non meliùs possunt explicari, quàm ipsum textum describendo, quod nos omittimus brevitatis gratia, & quia quæ sunt communiora apud recentiores possunt videri, præcipuè apud nostros Mastrium, & Meron hìc. Sit tamen regula generalis, quòd quæcumque maxima probabilis dicitur locus dialecticus, eo quòd est sufficiens ad probandam aliquam partem problematis, quæ est conclusio syllogismi topici. Ubi advertendum est, quòd quando maxima, quæ de-

deducitur ex aliquo ex supradictis prædicatis est necessaria,& ex illa necessariò infertur aliqua conclusio;tunc prædicta maxima non dicitur locus dialecticus, seu probabilis, sed maxima demonstrativa, quia non ad probandam conclusionem syllogismi topici,sed ad probandam conclusionem syllogismi demonstrativi deservit. Neque hoc est contra Philosophum; nam solùm intendit, quòd ex quatuor prædictis prædicatis possint deduci plures maximæ ad probandam conclusionem syllogismi topici, non tamen negat, quòd aliquæ maximæ deducantur ad probandam conclusionem syllogismi demonstrativi.

QUÆSTIO II.

De spectantibus ad syllogismum sophisticum.

1 SUpponitur, hoc nomen *Sophistes* esse æquivocum, aliquando enim sumitur pro excellentia in aliqua arte, seu scientia, unde antiquitus professores sapientiæ, aut artis *Sophistæ* dicebantur. Aliquando verò sumitur pro habentibus aliquam apparentiam sapientiæ, & in hoc sensu jam communiter sumitur,& ipsum assumit Arist. in duobus libris Elenchorum, in quibus agit de syllogismo sophistico, qui etiam dicitur syllogismus falsigraphus,& contentiosus. Nunc.

2 Dicimus 1. Syllogismus sophisticus in communi sic potest describi: *Est qui cùm propter aliquem defectum, verè syllogismus non sit, apparet syllogismus.* Quæ descriptio ex ipsis terminis patet,& benè explicatur per illam distinctionem syllogismi sophistici à verò syllogismo. Ubi advertendum est, quòd ad rationem syllogismi sophistici necessariò requiritur,quòd falsitas illius aliquomodo sit occulta, nam si falsitas appareat, jam non erit syllogismus sophisticus.

3 Dicimus 2. Syllogismus sophisticus dividitur in syllogismum peccantem ratione materiæ, & ratione formæ. Syllogismus sophisticus ratione formæ sic potest describi: *Est, qui apparet formatus, iuxta regulas Logicæ; cùm tamen, iuxta tales regulas non sit formatus*, & potest dividi, juxta defectus, qui possunt occurrere in dispositione formæ syllogisticæ, quæ possunt videri lib. 3. Sumul. Syllogismus Sophisticus ratione materiæ *est, qui constat præmissis rectè dispositis in forma syllogistica, quarum aliqua, vel utraque, cùm sit falsa, apparet vera*. Aliter per effectum potest describi syllogismus sophisticus; *est enim syllogismus generans errorem*. Quælibet definitio explicat syllogismum sophisticum, ut distinctum à syllogismo vero, topico, & demonstrativo.

4 Dicimus 3. Syllogismus sophisticus ratione materiæ ex duplici capite potest provenire, scilicet ex *fallacia in dictione*, & ex *fallacia extra dictionem*. Fallacia in dictione dicitur, quando causa apparentię syllogismi sophistici, provenit ex ipsa dictione, sumpta dictione pro quocumque signo ad placitum, sive sit incomplexum, sive complexum. Fallacia extra dictionem dicitur, quando causa apparentiæ syllogismi sophistici, non provenit ex ipsa dictione, sed ex parte rei significatæ per dictionem. Ex hoc duplici capite plures fallacias assignavit Arist. scilicèt, ex dictione, fallaciam *æquivocationis*, *amphibologiæ*, *compositionis*, *divisionis*, *accentus*, & *figuræ dictionis*. Ex alio verò capite, fallaciam *accidentis*, *secundùm quid ad simpliciter*, *ignorantiæ Elenchi*, *petitionis principii*, *consequentis*, *non causa ut causa*, *plurium interrogationum*, *ut unius*. Quas omnes sigillatim explicabimus; non ut sophisticè arguatur, hoc enim indecens viro sapienti videtur; sed ut sic arguentibus facilè responderi possit.

De

De fallaciis ex dictione.

5 Fallacia æquivocationis dicitur, quando aliqua dictio incomplexa manens una, plura æquivocè significat, & in una præmissa sumitur in diversa significatione, ac in altera; ut cùm dicimus: *omnis canis currit; sydus est canis*: ergo *sydus currit*, in quo syllogismo deceptio stat in hoc, quòd terminus *canis* in maiori sumitur pro cane latrabili; & in minori pro cane cælesti. Idem dicendum est de quocumque syllogismo, in quo aliquis terminus est æquivocus, ex quocumque capite proveniat æquivocatio, si non in eodem sensu, sed in diverso accipiatur in præmissis.

6 Fallacia amphibologiæ dicitur, quando aliqua dictio complexa manens una, diversos habet sensus, & in una præmissa sumitur in diverso sensu ac in altera, vel in conclusione ut cùm dicimus; *quiquid est Arist. possidetur ab Arist. hic liber est Arist.* ergo *hic liber possidetur ab Arist.* in quo syllogismo deceptio stat in hoc, quòd *liber Aristotelis* in minori sumitur, quatenus scriptus fuit ab Aristotele; & in conclusione, quatenus ab Aristotele possidetur. Similiter, cùm dicimus: *Quicumque sunt Episcopi, sunt Sacerdotes; isti equi sunt Episcopi*; ergo *isti equi sunt Sacerdotes*, in quo syllogismo deceptio stat in hoc, quòd ly *sunt Episcopi*, denotat in maiori dignitatem Episcopalem, & in minori possessionem. Unde constat, fallaciam æquivocationis distingui à fallacia amphibologiæ, in eo, quòd æquivocatio in fallacia æquivocationis stat in dictione incomplexa; in fallacia verò amphibologiæ æquivocatio stat in dictione complexa.

7 Fallacia compositionis dicitur, quando ex sensu divisio infertur sensus compositus ut cùm dicimus: *qui sedet, potest ambulare, Petrus sedet;*

det, ergo *Petrus sedens potest ambulare*. Qui syllogismus est falsus, si major sumatur in sensu diviso, & consequens in sensu composito.

8 Fallacia divisionis est, quando ex sensu composito infertur sensus divisus, ut cùm dicimus: *Qui sedet, non potest ambulare; Petrus sedet; ergo Petrus sedens non potest ambulare*. Qui syllogismus est falsus, si maior sumatur in sensu composito, & consequens in sensu diviso.

9 Fallacia accentus dicitur, quando eadem vox diverso modo profertur, ut cùm dicimus: *Qui habet leporem habet animal; lingua sapientis habet leporem*: ergo *lingua sapientis habet animal*. In quo syllogismo est deceptio, quia ly *leporem* in maiori sumitur pro animali, Hispanè dictum *Libre*, eo quòd penultima est brevis, in minori verò est penultima longa, & ut sic significat elegantiam in dicendo.

10 Fallacia figuræ dictionis dicitur, quando propter similitudinem duarum dictionum, id quod convenit uni, infertur alteri convenire, quod tripliciter potest venire. Primò, si propter definitionem dictionum tribuitur illis eadem affectio grammaticalis, ut cùm dicimus; *Musa est feminini generis*; ergo *& poeta*, vel logicalis, ut cùm dicimus: *Facies est de prædicamento substantiæ*: ergo *& species*, in quibus syllogismis tribuitur poetæ; & speciei affectio grammaticalis, vel logicalis, quæ convenit Musæ, vel faciei, eo quòd similem definitionem habeant.

11 Secundò, quando arguitur à significatione substantię rei tantum ad significationem substantiæ, & alicuius accidentis, ut cùm dicimus: *Quidquid emisti, comedisti*; *carnes crudas emisti* ergo *carnes crudas comedisti*. In quo syllogismo deceptio stat in hoc, quòd in maiori sumitur significatio quoad substantiam tantum, & in minori quoad substantiam, & quoad accidens.

Ter-

12 Tertiò, quando dictio, quæ convenit superiori, ut abstrahit ab inferioribus, applicatur etiam inferioribus, & è contra, ut cùm dicimus: *Homo est species : Petrus est homo*; ergo *Petrus est species*. In quo syllogismo deceptio provenit ex eo quòd ly *homo* in majori sumitur, ut abstrahit ab inferioribus, non verò in minori. Etiam hoc tertio modo potest dici fallacia, quando ex convenientia aliquorum in ratione communi, infertur convenientia illorum in ratione particulari, seu mutando *quale quid* in *hoc aliquid*, ut cùm dicimus: *Petrus est homo*: *Ioannes est homo*; ergo *Petrus est Ioannes*. Cuius syllogismi deceptio stat in hoc, quod ex convenientia, quam habent Petrus, & Joannes in ratione hominis, arguitur convenientia illorum in rationibus individualibus.

De fallaciis extra dictionem.

13 Fallacia accidentis dicitur, quando aliquid videtur concludi, ex eo quod per se est tale, cùm tamen non concludatur, nisi ex aliquo accidenti, ut cùm dicimus: *Homo non est Rex ; Carolus est homo*; ergo *Carolus non est Rex*. In quo syllogismo videtur concludi, Carolum non esse Regem, ex eo quod sit homo, quod nullatenus sequitur, nam si non esset Rex, hoc proveniret ex accidenti, accidentale enim est, quod aliquis sit, vel non sit Rex.

14 Fallacia secundum quid simpliciter dicitur, quando arguitur ab eo quod secundum quid est tale ad probandum esse tale simpliciter; ut cùm dicimus; *Æthiops est albus secundum dentes*, ergo *est albus*.

15 Fallacia ignorantiæ Elenchi dicitur, quando ex apparenti contradictione in præmissis infertur contradictio in conclusione, ut cum dicimus; *Petrus dormit noctu ; Petrus non dormit*

dit: ergo Petrus dormit, & non dormit. Cujus syllogismi deceptio stat in hoc, quod in præmissis appareat contradictio, cùm re vera contradictio non sit. Dicitur hæc fallacia ignorantiæ Elenchi, quia Elenchus dicitur syllogismus consistens,& probativus conclusionis contrariæ, vel contradictoriæ propositioni concessæ à respondente, seu est syllogismus,per quem respondens reducitur ad impossibile, scilicet ad concedendum duo contraria, vel contradictoria,& ex ignorantia hujus syllogismi potest aliquis decipi, & duo contraria, seu contradictoria concedere.

16 Fallacia petitionis principii dicitur,quando ad probandam aliquam conclusionem accipitur aliquid æquè, vel magis ignotum, ut cum dicimus: *Omne animal rationale currit* : *omnis homo est animal rationale*:ergo *omnis homo currit*. Cujus syllogismi deceptio stat in hoc, quod juxta regulas Logicæ videtur evidenter probare conclusionem; cum tamen ratione materiæ nullatenus illam probet, eo quod major, quæ assumitur est æquè incerta, ac conclusio, ad quam probandum, assumitur.

17 Fallacia consequentis dicitur, quando ex consequenti arguitur ad antecedens, ut cùm dicimus : *est animal*: ergo *est homo*. Cujus argumentationis deceptio stat in hoc, quod appareat ex animali (quod est consequens) benè argui ad hominem (qui est antecedens) sicut bene arguitur ab homine ad animal.Etiam negativè potest committi hæc fallacia arguendo à negatione antecedentis ad negationem consequentis, v.g. *non est animal*: ergo *non est homo*. Hæc ultima fallacia vocatur ab aliquibus fallacia antecedentis. Videantur,quę diximus in Summulis loquendo de terminis inter se comparatis, & de regulis bonæ consequentiæ.

18 Fallacia non causæ, ut causa dicitur quando assumitur pro causa, quod re vera causa non

est,

est, ut cum dicimus: *Arma attulerunt perniciem civibus*: ergo *non sunt permittenda*. Cuius argumentationis deceptio stat in hoc, quod teneantur arma, ut causa perniciei, cum tamen illa non sint talis causa, sed illorum abusus.

18 Fallacia plurium interrogationum, ut unius dicitur, quando fit una interrogatio de pluribus, quorum aliquod est verum, & aliquod falsum, ut cum interrogatur: *an Petrus sit homo, & lapis?* in responsione cuius potest esse deceptio, si ad utrumque simul respondeatur; si enim respondeatur affirmativè; bene infertur: ergo *Petrus est lapis*: si vero negativè respondeatur, recte sequitur: ergo *Petrus non est homo*. Vnde, non unica, sed pluribus responsionibus utendum est, dicendo: *est homo, & non esse lapis*.

20 Aliter solent explicari ab aliquibus aliquę ex supradictis fallaciis, sed quælibet explicatio coincidit cum præcedentibus. Advertendum tamen est, quod aliqua fallacia potest fieri in dictione, & extra dictionem, quod provenit ex diversis acceptionibus terminorum, vel quoad ipsam dictionem, vel quoad significatum illius. Quæ omnia magis usu, & frequenti exercitio, quam regulis, & præceptis cognoscuntur. Quare sufficiant dicta pro totius Logicæ tractatu, & cedant in laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, & Beatissimæ Virginis Mariæ, cuius descensionis festivitatem Ecclesia Toletana solemniter celebrat die 24. Mensis Januarii, in quo & nos huic operi ultimam manum imponebamus. Anno Domini 1692.

FINIS.

INDEX

Tam Capitulorum, quæ in Logica parva, quam Diſputationum, Quæſtionum, & Sectionum, quæ in Logica, tam parva, quam magna continentur.

Pars 1. Logica parva, ſeu Sumularum.

LIBER PRIMUS.

LIBER SECUNDUS.

LIBER TERTIUS.

Disp. 2. *Prooemialis de Naturâ Logicæ*:

Se-

Tractatus de quinque vocibus, seu universalibus Porphyrii.

Disp. 1. De *universali Metaphysico, & unitate formali.*

Disp. 2. *De distinctionibus.*

Dis-

Disp. 3. *De predicationibus*,

Disp. 4. *De universali Logico*.

Disp. 5. *De Genere primo praedicabili*.

Disp6. *De specie secundo pradicabili*.

Quæ.

Diſ-

Disp. 1. *De Univocis, æquivocis, analogis, denominativis.*

Disp. 2. *De prædicamentis in communi.*

Pars 2. De prædicamentis in speciali.

Disp. 1. *De substantia primò prædicamento.*

Disp. 2. *De Accidenti prædicamentali in communi.*

Quæ-

Diſp. 3. De *Quantitate ſecundo prædicamento.*

Diſp. 4. *De relatione tertio prædicamento.*

Quæ-

Disp. 5. *De qualitate quarto prædicamento.*

Disp. 6. *De sex ultimis prædicamentis?*

Pars 3. De post prædicamentis.

Tractatus de Enunciatione.

Tractatus de demonstratione.

Quæ-

Tractatus de Syllogismo topico, & sophistico.

Disp. Unica *utrumque Syllogismum complectens.*



F I N I S.